



EX
BIBLIOTHECA
PHILIPPI PFISTER
MONACENSIS.
Cat. Nr. 5127

([Du Buat — Nançay, comte])

ORIGINES
BOICAE DOMVS.

TOMVS PRIMVS.

m. 31 geneal. Tabellen

Front. 2 Titel m. Vedeten. 1/17.

XIV. 355 SS. 358 SS. 14 u. 14 unn. Reg.


GENTI ÆTERNÆ
LVD·GABR·DVBVAT

L G. Du Buat Nançay


ORIGINES

BOICAE DOMVS.


TOMVS PRIMVS.



NORIMBERGAE,
APVD
IOAN. GEORG. LOCHNERVM,
cIↄ Iↄ cc LXIV.



PRAEFATIO AVTORIS.



In Aula Boica verſabar, cum inſtituta fuit a Sereniſſimo Boiorum Principe Academia; cui me honoris gratia adſcribi autoritas magis quam conſilium fuit. Puduiſſet tamen honorem cum deſidia apud me coniungi, qui ſat iuuenis eram: et in conſeſſu, qui

a primus


primus omnium fuit, legi de Luitpaldo Comite libellum; quem, temporis ratione habita magis, quam aut elegantiae aut inuentionis, quae elaborata nondum fuerat omnino, commentariis ſuis addidit Academia Boica. Alterum tamen argumentum, hoc neglecto, ſuſcepi: et per omnium fere populorum, quos aluit Europa, reliquias euagatus, propoſui ipſe, ut inquiſitionem, quam in Autores gentis Auguſtae, utinam aeternae, attigeram magis quam ſuſceperam, aliis diligentius proſequendam committeret Academia. Accidit quod non timueram, ut laborem ſurriperet vir doctus alias, et litteratus; et longius progreſſus diſcederet a via, quam indigitaueram, nondum ſtraueram. Poenituit errorum nouorum, quibus gignendis anſam dederam: quae ut praeſcideretur, redii ad argumentum aliquot iam annos neglectum; et ſepoſita Europae hiſtoria antiqua, Luitpaldum eiusque familiam denuo adii, et per quatuor menſes fere integros totus fui in hac opera; quam et genti Regnatrici et populo Boico nauare volebam, priusquam ab ea diſcederem, quod iam inſtabat. Ha-

Habes Lector, Lucubrationes meas, quae quanti ſint, ad aſſerendam Boicae domus originem, ad illuſtrandam Boiorum Hiſtoriam, ad ornandas Germanorum antiquitates; id enim omne egi, aut agere volui: ipſemet iudica. Quod excuſandum hic foret, in ipſo opere iam excuſaui; quod deſiderandum eſt adhuc, minus expedite hic recenſerem, quam quod praeſtiti. Hoc vero ediſſeret in praefatione, huic ſubiicienda editor doctiſſimus; quem ſucceſſorem in Academia Boica habere, cum contigit volenti, et petenti; gloriae meae quam Reipublicae utilitati minus conſultum fuit.


Plura itaque non praefabor, niſi ut moneam legiſſe me et attentius inſpexiſſe codicem, quem edidit autor Mauſolaei Emmeramnenſis: in quo dicitur Arnolphus Dux, ex genere Imperatorum et Regum fuiſſe: et mihi conſtare id ſcriptum olim eſſe ab hiſtorico coaeuo, quod in dubium vocatum fuiſſe video a nonnullis. Credant vero ii, qui mihi fidem omnem non detrahent, hoc mancum

nimis et detruncatum codicis amplioris fragmentum, pretiosissimum monumentum esse Boicae antiquitatis.

Nihil alio festinanti superest, nisi ut mihi lectorum benignitatem, genti Augustae aeternitatem, quae in mortales cadit, populo Boico aliisque Boicorum Principum subditis, diuturnam felicitatem exoptem.



PRAE-



PRAEFATIO EDITORIS.

Lectori Beneuolo

S. P. D.

Christ. Frider. Pfeffel.



Operi egregio praefari iussus, spartam, cui me imparem noueram, eo animo in me suscepi, ut sic tandem documentum publice ederem gratitudinis meae erga illustriss. Autorem, obsequiique atque venerationis.

Etenim multae erant, ac grauissimae caussae, quae suaderent, ut operam quam abs me petebat voluntas autoris, quantumuis mihi honorifica, subterfugerem potius, quam praefidens viribus subirem.

Iam

Iam vero audaciam excusabit pictas, ipsiusque sententia Autoris, cui refragari honeste nequibam.

Tuum est, Lector, benigne de iis sentire, quae mihi dicenda sunt, ichnographiam systematis praestantissimi, rudi quidem stilo, delineaturo.

Nosti iam ex ore ipsiusmet illustr. Buati, operis, quod in lucem publicam produco, occasionem. Scilicet in album Academiae Boicae relatus, id primus omnium egit Autor sagacissimus, ut profligatis fabellis: quas nescio utrum proteruius an ineptius orbi litterario obtruderat Wilhelmus; Carolingicam originem augustae genti Boicae affingens: Luitpaldum Marchionem, Arnolfi Ducis patrem, indigenam fuisse, atque ex nobilissima Hosiorum stirpe oriundum probaret.

Id agens, praelegit ipse sodalibus suis A. 1759. dissertationem, Volumine primo Commentar. Academ. Boic. comprehensam; qua Lutpaldum quendam Comitem Hosium, principemque gentis suae virum e tenebris protractum, auum vel saltem agnatum Luitpaldi Marchionis A. 907. fortiter defuncti perhibebat: vaga quidem tunc temporis coniectura, nec facile uberius pertexenda, antequam publici iuris facta fuissent monumenta Boiorum antiquissima, horrida nocte adhuc dum inuoluta.

Verum enim vero lucubratio ista, in alias plures manus delata, cum materiam praebuisset struendo systemati Genealogico, quod Academiae

demiae noſtrae triennio poſt obtulit vir eruditionis haud vulgaris: tunc ſane illuſtr. Buatus, partim ut ſua ſibi vindicaret; partim, quod maxime animo haerebat, ut mentem ſuam penitius explicaret; opus quidem ſepoſitum, inque meliora tempora ſeruatum, denuo ſub incudem reuocauit, et aſſiduis curis in eum, quem vides, ſtatum perduxit. Accipe iam inſtituti rationes.

Primo Libro Ill. Autor gentem Hoſiorum, quam Lex Baiuuariorum poſt Agilolfingos nobiliſſimam nuncupauit, ingenti molimine ſcrutatur; pagi Vſgoue, in quo ſita fuit Friſinga, quemque Hoſii incolebant, fines explorat; familias Hoſias, quotquot earum ſubminiſtrant monumenta coaeua recitat; tandemque firmiſſimis argumentis adſtruit, Luitpaldum I. Comitem, qui ab Anno 807. ad An. 837. pagum gentilitium gubernauit, Hoſium fuiſſe, patremque Ratoldi: filium vero, ex coniectura perelegante, Alprahti Comitis Hoſii, circa Annum 802. defuncti.

Haec aſſecutus Autor, Libro ſecundo, Adelbertum quendam in ſcenam producit, circa medium ſeculum nonum celebrem; eumque non Hoſium ſolum, verum etiam cohaeredem Ratoldi; et ex praerogatiua teſtandi conſanguineum eius fuiſſe oſtendit. Huic vero Adelberto; argumentis ingenioſe pariter, ac ſolerter, ex ſitu praediorum utriusque potiſſimum conquiſitis; Patrem aſſignat Adelbertum I. Hoſium et ipſum, et Limiti Baioariae orientalis, quam Auſtriam dixere, inde ab An. 819. uſque ad An. 822. praefectum. Adelbertum denique primum, ex coniectura haud aſper-

aſpernanda, fratrem fuiſſe contendit Luitpaldi Comitis, adeoque filium natu maiorem Comitis Alprahti. Anſam haec praebent Autori, in priſcos Auſtriae Marchiones curioſius inquirendi, quorum ſeriem ex monumentis coaeuis egregie reſtituit atque adornat; quin et natales Luitwindae, quae amica fuit Carlomanni Regis, materque Arnulfi Imperatoris explorans, illos veroſimillime refert ad Priuinam, notiſſimum hoc aeuo Morauorum Principem. In orbem dein rediens, Adelberto II. Adelberti I. Marchionis filio, Alprahti nepoti, filium adſcribit Aribonem, Marchionem Orientalem apud noſtrates celeberrimum; hancque neceſſitudinem non ex Comitatu ſolum, ſituque praediorum, ad Trunnam, apudque Hoſios, quae Aribo poſt Adelbertum tenuit, firmiſſimis rationibus demonſtrat: verum etiam ex monumentis Salisburgenſibus fere coaeuis teſtimonium adducit, quo conſtat Aribonem, latine *Haeres* dictum, Patrem ſalutaſſe Adelbertum II.

Libro tertio ad Ratoldum reuertitur Ill. Buatus: probatque illum eundem eſſe Ratoldum, cui An. 871. creditus eſt limes Sorabicus, ſeu Marchia Baioariae ſeptentrionalis. Filios ipſi, ex coniectura, cui aegerrime aſſenſum deneges, Popponem tribuit et Heinricum: illum apud Ratisbonenſes notum, hunc celeberrimae familiae Babebergenſis autorem. Mirabere heic loci, Lector, induſtriam, quam in conferendis inter ſe monumentis Herbipolenſibus, Fuldenſibus, ac Friſingenſibus adhibuit Auctor; ut vix non probaret viros pleroſque qui prouinciam, quam Franconiam vocamus, incoluere, ex Baioaria illuc transmigraſſe; et Poppones,

pones, Adelbertos &c. Nordgouienſes eosdem fuiſſe, qui apud Friſingenſes reperiuntur. Poſtremo coniectura proſpicit Ellinratham, Arnolfi Caeſaris amicam, patrem ſalutaſſe Ratoldum miniſtrum regalem, auumque Ratoldum Ducem ſaepiuſcule allegatum.

Liber quartus poſteris Ratoldi Ducis, ſiue praefecti Sorabici limitis, deſtinatus eſt uniuerſus. Hic namque origines priſcae domus Auſtriacae An. 1246. extinctae, a Babebergenſibus Comitibus eorumque ſatore Heinrico Ratoldigena praeclaro prorſus molimine repetuntur: fides Aloldi in tuto collocatur: Erneſti I. Auſtriaci, qui iure uxorio Dux Sueuiae euaſit, itemque filii ſui Erneſti II. cui de Rosſtal cognomen dedere, fata exponuntur, huicque Irmgardis, latifundiorum in Nortgouia haeres, certiſſimo connubio iungitur, unde ortus eſt Hermannus, ſator familiae Caſtellenſis. Tranſitu hinc facto ad Popponem, Ratoldi Ducis primogenitum; Burgrauiorum Ratisbonenſium ab eo procreatorum ſeriem ab An. 904. usque ad An. 1159. quo clara et expedita fiunt omnia, producit autor; interque illos Engildeonem quendam nominat Hildegardis Carolingicae maritum. De Pabone Abuſino, filiorum triginta parente, nonnulla heic ſubiunguntur; Hundiusque et alii recentiores, qui natales plerarumque familiarum Boicarum ad illum retulere, iure meritoque caſtigantur.

Libro quinto, Ill. Autor Aribonem Marchionem, Adelberti II. filium, fratrem fuiſſe docet Luitpaldi Marchionis; quem ſatorem veneratur Auguſta gens Boico Palatina. Aribonis deinceps poſteros ingenti ſtudio exponit Autor; ad eos referens antiquos Comites Salzburgenſes, ex monumentis anecdotis notos: unde ſucceſſu temporis prodierunt Duces Carinthiae, de ſtirpe Crayburgenſi, Comites Burghuſani, et Ortenburgenſes, Comitesque Palatii Boici, quotquot eorum ad Annum uſque 1050. in monumentis noſtris occurrunt. [A] Ad eandem Aribonis propaginem Iacobos quoque Archi Aduocatos Friſingenſes pertinuiſſe coniectura eſt auctoris, vero ſi quae alia, ſimillima.

Libro ſexto, ex longo veluti errore, quem utique utiliſſimum dixeris, ad Luitpaldum Marchionem reuertitur Auctor: totus-

Not. A. Palatinis Aribonigenis, ex coniectura planiſſima, accenſuit quoque ill. Autor Cunonem de Rota, Palatii Boici ab An. 1060. ad An. uſque 1077. praefectum: patremque illius, Poponem de Rota, ingenioſe detectum natum fuiſſe arbitratus eſt Hartwico II. Salisburgenſium Comite, et primo ex hac gente Palatino. Palmarium aſſerti argumentum illuc redibat quod Comitiua Palatii Boici omnino erat haereditaria; hincque ſucceſſorem Aribonis V. eodem ſanguine natum dicere decebat. At enim vero conſtat ex Legenda SS. Marini et Aniani, volumine I. Monum. Boicor. nuper vulgata, Poponis de Rota patrem, Cunonis Palatini auum, Poponem audiuiſſe; et uti quidem compertum eſt mihi, illum Sundergouiae Comitem fuiſſe, in cuius Comitatum praedium Ruitanum reponunt Traditiones San Emmeramnenſes. Quae cum ita ſint, alia ineunda erit ratio, qua Palatinatus Boicus ad Cunonem deuenerit Rotenſem. Planiſſimum foret Vtam, Cunonis Palatini coniugem, ſororem dicere Aribonis V. qui anno circiter 1055. in gratiam affinis ſui Palatinatu Boico ſemet abdicauerit.

totusque primum in eo eſt, ut oſtendat Arnolfum Ducem, indubium gentis Auguſtae ſatorem, ab Imperatoribus Regibusque Carolingis deſcendiſſe omnino, ſed per foeminas ſolum ab illis deſcendiſſe. Non poſſum non vehementer probare viam quam iniit ill. Buatus, haec omnia praeſtiturus: ſcilicet Luitpaldo Marchioni coniugem, Arnoldo Duci matrem, attribuit filiam Ludouici III. Regis Boioariae et Saxoniae, ſororemque Hildegardis, quam Luitpaldo noſtro amiciſſimam fuiſſe conſtat. Soluto ſic nodo, quem inextricabilem fore crediderat Wilhelmus, et adſtructa per foeminas origine Carolingica Principum Boicorum; Comitatum praediaque Luitpaldi Marchionis inueſtigat Autor; ipſique, praeter Aribonem abunde notum, alium dat fratrem, Albericum; patrem Alberici Comitis, quem patruelem Arnolfi Ducis expreſſe nuncupant monumenta Salisburgenſia anecdota, in codice diplomatico noſtro inferius producenda. Alberico II. ex iisdem monumentis aſſeritur filius Heroldus ArchiEpiſcopus Salisburgenſis.

Libro ſeptimo, qui primus eſt partis ſecundae, Luitpaldi Marchionis fata poſtrema recenſentur: Arnolfum et Bertholdum, filios eius, Ducatui Boico coniunctim praefuiſſe ex cartis Salisburgenſibus et Friſingenſibus oſtenditur: orbumque obiuiſſe Bertholdum ni coelibem malis probatur. Arnolfo II. Arnolfi I. filio, profligatis erroribus Auentini, Hundiique ac recentiorum fere omnium, filius aſſignatur Bertholdus II. eumque gentem auguſtam propagaſſe inuictis demonſtratur argumentis.

Iam vero ſub examen reuocantur aſſerta Auentini, Aduocatiam Friſingenſem Comitatumque Palatii Boiici Schirenſibus noſtris Bertholdigenis, inde ab initio, adſcribentis. Libro octauo contra ipſum probatur aduocatiam Friſingenſem, demum ſeculo XI. iam adulto Schirenſi familiae ceſſiſſe. Arripit hanc anſam autor, ut ſeriem aduocator. ab Anno 830. repetitam ad Vdalſcalcum I. uſque, qui An. 1020. floruit operoſe perducat, exemplisque plurimis confirmet Aduocatiam Friſingenſem haereditario iure deferri ſolitam, foeminis quoque ſubinde contigiſſe. Vdalſcalci I. deinceps connubio cum Willipirga Ebersbergenſium Comitum haerede, egregie demonſtrato, neptem utriusque ac Aduocatiae Friſingenſis haeredem, ingenioſiſſime nec ſine ſumma vero ſimilitudine nuncupat Hazagam, Ottonis I. Schirenſium Comitis coniugem in vulgus notam.

Liber nonus verſatur circa hiſtoriam Comitatus Palatii Boici: primumque exemplis undique conquiſitis probatur erraſſe Auentinum, erraſſe omnes qui ante medium ſeculum XII. vindicarunt illum genti Schirenſi. Eadem Autor heic procedit via, quam ſecutus eſt libro ſuperiore. Hiſtoriam Palatinatus Boici inde a prima eius origine exorſus, poſt Aribonem IV. Seonenſem, memorat Hartwicos Aribonesque Salisburgenſium Comites ac Palatii Boici praefectos. Succeſſit illis Cuno Rotenſis, huic Cuno Meglingenſis Dynaſtae: utrique Rapoto II. ex Comitibus Taurenſibus ortus Annoquae 1099. Ratisbonae extinctus. Hic vero deſtitutus omnino

monu-

monumentis Autor coniecturis indulget quae vero similiores videbantur, atque Willitruden, Rapotonis II. Sororem Bertholdo Greisbacensi Comiti desponsat, coenobium Bergense breui post fundaturam. Firmato egregiis argumentis hoc asserto, autumat Ill. Buatus Palatinam dignitatem cum Willitrude ad Greisbacenses indeque per aliam matronam ad Ottonem Schirensem peruenisse.

Libro decimo de posteris Arnolfi Ducis uberius agitur. Bertholdo II. quem satorem Augustae gentis veneratus est Auctor, filius tribuitur Arnoldus III. Sundergouiae Comes: Arnoldo III. filiorum biga assignatur Fridericus I. atque Arnoldus IV. de Rihherishusa; hic Andechsensium Comitum, ille Schirensium sator. Haec assecutus, excutit autor monumenta Schirensia, queis docemur locum Vsenhofen, ubi monasterium quod hodieque Schirae floret, primitus fundatum est, communem fuisse Ottoni Comiti Schirensi, et Bertholdo cuidam de Burgecka. Recte hinc collegerunt recentiores fere omnes Bertholdum Burgeccensem et ipsum Schirensem fuisse, et Arnoldigenam. Iam vero ostenditur patrem ipsius Bertholdum de Greisbach audiuisse, huicque ex coniectura mox ulterius firmanda, frater adscribitur Otto Comes, maritus Tuotae Neuburgensis. Aduertens dein Auctor haereditatem opimam Rami Burgekcensis inter Lechsgemundanos ac Kreglingenses siue Eichstettenses Comites fuisse diuisam, hanc utramque familiam ab Ottone, Tuotae marito, coniectura haud ignobili, deriuat; Comitesque Faleyenses, olim de Gruba di-

 dictos,

dictos, iisdem parentibus ortos esse contendit. Ingenti studio conquisita sunt haec omnia, et ita sane comparata, ut ex ingenio quisque suo lubenter suppleturus sit, quicquid deesse videatur eorum euidentiae.

Libro undecimo refellit Autor originem Andechsensium Comitum a Ratoldo Notho repeti solitam, eosque a Schirensibus nostris deducit; suffultus potissimum autoritate Viti Arnpeckii. Iam supra monui satorem ipsis hic tribui Arnoldum de Rihherishusa. Multa in hanc rem inuenies egregia: siquidem Ill. Buatus eodem studio errores confutat vetustate pridem consecratos, quo nouas hypotheses condit, quas vero quam proximas ipse dixerit Koehlerus, heic loci saepiuscule emendatus. Sequuntur origines Comitum Wolfratshusanorum ad Fridericum Rochum Diessensem relatae, tandemque subiunguntur plurima, quae inseruiant historiae Comitum de Bogen, et Arcuensium inde ortorum.

Libro duodecimo, qui postremus est operis uniuersi, redit Autor ill. ad gentem Augustam Schirensem: Friderico I. ex monumento Frisingensi filium assignat Ottonem I. maritum Hazagae Comitissae apud Schirenses celeberrimae; cuius natales, per matrem Willipirigam, ad Vdalscalcos Frisingensium Archiaduocatos indeque ad Comites Ebersbergenses praeclare referuntur; explosa sententia recentiorum, qui Arragonensem ipsam dixere. Ottoni et Hazagae tergemina nata est proles: Ekkardus I. gentem Augustam propagauit; quod solidissime demonstratur. Ekkardus I. ex

ex coniuge Richarda filios suscepisse fertur duo: Ottonem II. qui primus numeratur ex hac gente Palatinus, et Arnoldum, Satorem rami Dachauiensis. Ottoni I. (II.) Palatino; quem ex mente Hundii A. 1131. obiisse autumat Auctor: filii tribuntur duo: Otto II. (III.) et Vdalricus Praepositus Frisingensis: Ipseque tandem Otto II. (III.) felicissimus genitor salutatur, Ottonis M. Wittelspacensis Palatini, et postliminio Baioariae Ducis.

Plurima in hoc systemate sunt, quae primus omnium vidit Ill. Buatus: neque profecto, si minutula quaedam excipias, quicquid in illis deprehendes, quod minus recte viderit, vir acerrimi visus. B

Haec sunt Lector amice, quae Auctor ill. circa origines Boicas e tenebris eruendas praestitit: nomina virosque furripiens obliuioni, qui nobis dehinc carissima cura sunto. Multa niti coniecturis, ingenue professus est ipse: At vero, quis tandem sanus coniecturas interdixerit


Not B. Huc referas, quod ill. Buatus Vdalricum Praepositum Frisingensem patruum nuncupauit Ottonis M. qui frater ipsius erat; teste carta Rotensi, quantiuis pretii A. 1179. exarata: vid. Monum. Boic. Tom. I, pag. 365. Enim vero huic errori ansam praebuit exemplar eiusdem cartae, quod Meichelbeckius exhibet magna sui parte truncum. Porro Ottonem I. Palatinum, Ekkardi I. filium, An. 1131. Ottonem II. primi filium, An. 1155. obiisse, post Hundium Monachumque Ensdorffensem affirmauit autor: Ex fastis autem Vndenstorffensibus, quos breui nuper manu concinnauit R. Praepositus Gelasius, fere constat Ottonem I. Palatinum ad plures transiuisse ante An. 1124., Ottonem II. exuuias mortales deposuisse An. 1146. At enim, praeterquam quod haec omnia nullo prorsus modo interuertant stemma Schirense, quale condidit illud autor: Breuiculum Historicum Vndenstorffense tunc prodiit demum cum iam sub prelo sudarent origines Domus Boicae. —

dixerit unquam ſcriptori, origines alta nocte preſſas, inueſtiganti; nominaque hinc inde ſparſa, legibus certis obtemperando in ordinem, qui vero ſimillimus eſſet, digerenti? Male actum foret de nobiliſſimus ſyſtematibus ſi temeritatis accuſare vellemus, quicquid in illis, ſine plano atque expreſſo auctoris idonei teſtimonio aſſertum eſt: neque vero memini aequos haruncce rerum aeſtimatores dubitare, quin ſufficiat, vero propiora ſecutum eſſe; donec monumenta prodierint, unde veritatem ipſam colliget felicior nobis poſterit as.

Iam vero quam vellem habere, quae de meis circa opus praeſtantiſſimum curis diſſererem! Negotium mihi dederat Auctor ill. ut illud typis exſcribi curarem: et ego quidem hanc prouinciam eo facilius capere poteram, quod tunc viderer ſedem fortunarum in viciniam Norinbergae translaturus. Verum enim vero poſtquam res aliter longe cecidiſſet, commiſſa eſt opera, quam nauare iam nequibam, viro, quem vel hoſpitem in Latio, vel luſcitioſum fuiſſe arguunt ſphalmata typographica, quibus ſcatet liber alias egregie excuſus. Indicauimus in calce voluminis, nonnulla potiora, quae ſenſum turbabant; omnia indicare, praeſertim vero notas, quas aiunt, diſtinctionum operoſe omiſſas reſtituere, grande et arduum fuiſſet opus, quod quidem ſuſcipere nec otium meum, nec Librarii rationes ferebant. Tuum erit, Lector beneuole, omnia aequi bonique conſulere, eaque humaniter emendare, quae mihi non licuit praecauere. Vale. Dab. Monachii x. Kal. Nouembr. A. R. S. MDCCLXIII.



ORI-



ORIGINES DOMUS BOICAE.

LIBER PRIMUS.

De Gente Hosiorum, et de Luitpaldo Comite.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS.

De Hosiis. De Luitpaldo Comite qui anno 807. comes fuit: de familia Adalhareshusana. Monumenta Luitpaldi Comitis.

§. I.

Post quam multi et docti viri in investiganda ac exponenda origine *serenissimae Domus* quae Bajoariis, siue Boiis per integra ferme sex secula, iamdum imperitat, defatigati sunt: audax sane videri potero qui hoc argumentum tot manibus tritum retractare aggrediar, hospes et parum

versatus in antiquitatibus nobilissimae gentis. At audacia audaciam excusabit; cum enim nihil magis haereat animis hominum, quam quod a patribus acceperunt, et in quo multum ipsi desudarunt et diu; praesertim cum id suspiciunt venerantur que; raro contingit ut errorem, vetustate consecratum, et quem genti decorum credunt Indigenae, homo apud eos natus educatusque aggredi et profligare audeat. Animadverteram vero nonnullos inter Bajoarios, et eos praesertim, quorum doctrinam iudiciumque maximi faciebam, dubitare de illa Carolingica origine, quam Principibus Bajoariae tanta mole asserere tentarunt viri, eruditissimi quidem, sed qui magna nomina plus aequo sectabantur amabantque. Audacia opus erat, quae vix in ciuem cadebat, ut quis in dubium reuocaret, quod omnibus fere Bajoariis sacrum videbatur. Id facere eo minus reformidaui, quo magis mihi persuasum est eam originem familiae regnatricis pulcherrimam et honestissimam esse, quae cum gentis, quam regit, origine deuinctissima sit, et errores, quales cumque sint, quantumuis vetusti; adeo non conducere ad decorandos populos virosque, ut in dedecus potius eorum redundent. Ratus itaque me bene meriturum de gente Boica quam veneror, de Principibus, quos amo coloque, si ostenderem communem utrisque et, post hominum memoriam, indiuisam originem esse, quoquo versus circumspexi; eoque maxime ubi certo certius floruerunt Principes nostri, antequam Boiorum solium conscenderent.

Pro confesso nunc habeo, quod tamen aliquando probare continget, Principes Schyrenses originem duxisse a Luitpaldo illo Bajoariae marchione qui anno 907. oppetiit, cum gentem laresque contra Hungaros tutaretur, paterque fuit Arnolphi et Bercholdi Ducum.

Id cum in animo haberem fciremque praecipuas Schyrenfium ditiones inter Lycum et Ifaram fitas fuiffe, nomina vero gentilitia maioribus noftris folennia quam maxime fuiffe atque a patribus, avis, patruisque in filios et nepotes ut plurimum propagata, non potui non et gaudio et admiratione quadam perfundi cum in illa ipfa regione, quae patria Schyrenfium fuit deprehenderem Luitpaldum quendam Comitem, qui, fi rationem temporis et locorum fpectas, auus, aut patruus magnus effe potuit Luitpaldi marchionis.

Hunc Luitpaldum Comitem Boium fubminiftrauit mihi Carolus Meichelbeckius, Benedictinus Buranus, cuius diligentiam fatis commendavero, cum eius ampliffimum Codicem traditionum Frifingenfium, in hos libros fere integrum transtulero meumque quodammodo fecero.

Luitpaldus, Comes audiuit ab anno 807. usque ad annum 837. et tot iudiciis praefuit, tam frequenter teftis vices fubiit ut me, lectoresque fatigaturus effem, fi, quoties laudatur in monimentis Frifingenfibus, toties eum nuncupare hic vellem.

Operam praefertim perderem in recenfendis chartis quae Luitpaldum exhibent cum aliis Comitibus *placitis* praefidentem. Conftat enim faepiuscule habitos fuiffe conuentus ad quos conuocabantur Comites vicini aut omnes aut plerique. Sed conftat etiam ex locis in quibus conuentus illi funt celebrati, nihil argui poffe de pago in quo minifterium quisque fuum exercuerunt.

Aliter fe res habet cum inftrumentis quibus unius tantum Comitis nomen infcriptum eft, fiue fint Indices latae fententiae, fiue contineant largitionem facram remve actam inter priuatos. In illis enim qui nuncupatur Comes, aut Princeps fuit fa-

miliae cuius interest, aut vicinus paciscentium vel litigantium, aut Comes pagi in quo iudicium est peractum, donatio facta, resue transacta. His legibus ut obtemperem, instrumenta in quibus *Luitpaldus Comes* nuncupatur, diuidam in capita duo: Alterum erit eorum qui *Comitem iudicemque pagi*, nobis sistunt Luitpaldum; alterum eorum qui vicinum eum, cognatum, affinem aut consanguineum paciscentium exhibent.

§. II.

Exordium facio ab litteris,[a] omittendis forte, nisi antiquissimae earum essent in quibus *Luitpaldus Comes* nominatur. Sunt illae indiculus iudicii lati in placito apud Feringam habito a missis Dominicis, quorum Princeps erat Arno Archiepiscopus; Primus post Praesulem et Iudices proprie sic dictos, nuncupatur *Luitpald* Comes, sequunturque alii duo Comites; Ex his vero patet Luitpaldum iam Comitem fuisse 3. kal. maias. Indict. 15ª anno VII° Imperii domini Karoli Magni Imperatoris, qui Aerae nostrae est 807.

Huc porro pertinet omnino charta[b] qua Atto Episcopus asseruit Ecclesiae Frisingensi Ecclesiam in Piparpach, quam qui vendicabant *venerunt ad domum episcopalem nominata Frigisiensa ante virum venerabilem Attonem Episcopum et Ellanpertum Iudicem et Luitpaldum Comitem.* Luitpaldus hic in suo pago est, ad eum enim itur, solus Comes nuncupatur et quod nonnullius forte momenti est *vidisse et audisse* dicitur ante Ellanperhtum iudicem.

Iterum anno VII. Karoli 5. kal. aprilis *Luitbald* Comis recitatur ante Ellanperhtum Iudicem, cum praedium daretur[c] in *crazun* siue

a) Meichelbeck Histor. Frising. Tom. I. pars altera Instrumentaria n. 125. b) ibid. n. 127. c) ibid. n. 148.

ſiue *Creuzn* ut hodie dicitur locus in territorio Starenbergenſi ſitus. Hac praerogatiua, non dignitatis ſed loci ergo, uſum eſſe Luitpaldum Comitem eo magis credo, quod praelatum eum iudicibus tunc demum video cum in pago cui praeerat conuentus agebatur. Sic anno 9º Imperantis Caroli nuncupatus fuit d. *Luitpald* Comis ante duos Iudices in publica ſynodo frigiſingae habita. At in publico placito quod habitum fuit in Feringa, cuique praefuit Arno Archiepiſcopus, poſt duo demum iudices, quorum alter Ellanperchte fuit, poſt tres quoque Comites nominatur *Luitpaldus*. e. Neſcio vero Comitemne egerit an potius aduocatum Eccleſiae Friſingenſis cum ab Hittone Epiſcopo „ *trans-* „ *mitteretur* ad videndum praedium in *Holze* ſitum quod dabatur „ Eccleſiae, cumque redux *Frigiſingam*, poſtquam largitor oſtenderat ei terminos praedii, *primus*, et ante Mezzi Comitem, *per aures tractus fuit*. f. Kaganhartum, tamen aduocatum tunc fuiſſe cum animaduerto, eo adducor ut credam aut Comitis, aut ſaltem optimatis vicini vicibus hic functum eſſe Luitpaldum.

At ne lectores per amfractus circumducam, quos vix ipſe ſuperaui, monebo, inſtar fere omnium eſſe chartam g. anno 822. ſcriptam, in qua *res nota* eſſe dicitur *multis in hac prouincia in qua conſtructa eſt* FEOHTKIRICHA IN MINISTERIO LVITPALD COMITIS. Haec enim ſola euincit miniſterium Luitpaldi, ſiue Comitatum, vicinum Friſingae urbi fuiſſe, et ita ut urbem ipſam complexus eſſe omnino videatur.

Qui vero huius miniſterii terminos deſcribere voluerit ex nuncupatione locorum in quibus aut iudex aut teſtis fuit Luitpaldus,

d) ibid. 170.
e) ibid. n. 253.
f) ibid. n. 302.
g) ibid. 453.

dus, vel de quorum mutatione coram eo actum eſt, caueat ne diuerſas, quas egit, perſonas ad unam reuocet, miniſteriumque eius cum iniuria vicinorum Comitum augeat.

Poſtquam miniſterium Luitpaldi Comitis ita feliciter indigitauimus, operae pretium non eſt excutere omnes chartas quibus inſcriptus fuit ut primus teſtis, vel quae eum exhibent *ſedentem cum aliis Comitibus*, ipſis tamen poſt poſitum. Saepe enim duo tresue Comites conueniebant, ut placitum unum celebrarent; Arbitror autem tunc eum principe loco nuncupatum fuiſſe in cuius miniſterio conuentus agebatur; poſt eum comites vicinos.

Exemplum habemus in placito h) ad Eccleſiam quae dicebatur *Perechiricha*, ad quam *dum reſediſſent Hitto Epiſcopus, et Engil-„ bardus Comis et* LIVTPALD *Comis et alii multi*, venerunt viri qui „ repeterent eccleſiam in Otolteshuſir a quodam presbytero olim „ datam, quod teſtati ſunt ii qui praeſentes fuerant. Actores „ vero negauerunt datam unquam fuiſſe. *Tunc demandauit Engil-„ bardus Comis quod illi nobiles viri iuraſſent ad veritatem dicendam. Et „ imprimis iurauit Ekkihart, ſimiliter Kerhart. . . . Viderunt et au-„ dierunt Hitto Epiſcopus, Engilhart Comis*, LVITPALD COMIS.

Otolteshuſir hodieque Odlzhauſen extat in tractu Dachauienſi. Manifeſtum vero eſt rem actam fuiſſe in Comitatu Engilhard Comitis, ideoque principe loco hunc nuncupatum fuiſſe cum alias modo Iobo Comiti, modo *Luitpaldo* ipſi poſtpoſitus fuerit i).

Non pigebit nos cum Luitpaldo Comite eo abiiſſe ubi procul dubio placiti praeſes fuit. k)

„ Con-

h) ibid. n. 312.
i) ibid. n. 315. 442.
k) ibid. n. 368.

„ *Conuenientibus viris nobilibus, Hittone utique Episcopo verum etiam* „ LVITPALDO COMITE *in loco iuxta fluuium* PHETERACH, *multorum ibi-* „ *dem confluentium pacificare contentiones, quam etiam in caput compo-* *nere ne aliquid deterius contigisset.*

„ *Interea igitur surrexit Aduocatus Episcopi nomine Wichart et in-* „ *terpellauit quidam hominem nomine Waldker dicens quod iniuste curtem* „ *vel domum Ecclesiae, quae sita est in loco nomine Pach, intraret et* „ *proprium seruum S. Mariae vapularet. Ille autem dicens hanc eccle-* „ *siam cum omnibus ad eam pertinentibus suam propriam esse;* TVNC IN- „ TERROGAVIT *eum* LVITPALDVS COMES *utrum ille vel Episcopus ve-* „ *stituram haberet (dixit tribus vicibus se habere). Tunc Episcopus et* „ *Luitpaldus arcesserunt illos homines qui hanc causam optime noverant,* „ *eosque iurare fecerunt in reliquiis . . . et post sacramentum factum* „ *dixerunt &c. His auditis sanxerunt populi Hittonem Episcopum et* „ *defensorem eius vestire debere.* „

„ *Eodem die contentio inter Hittonem Episcopum et Chunibertum de-* „ *finita est &c.*

„ *Inde vero Episcopus et* LVITPALDVS *venerunt ad Kysalhardum* „ *Comitem, ubi publicum placitum habuit ad* ADALKERESHVSVN, *ibi-* „ *que episcopus et defensor eius Reginpert quesierunt Waldperhtum ad* „ *seruitium . . . hoc audientes praedicti Comites iusserunt eos praesen-* „ *tari quibus haec causa cognita est et nota erat: iurauerunt (9. viri).* „ *hoc ipsud* LVITPALD COMIS, *Wago, Deothart, Kaganhart per sa-* „ *cramentum dominicum testificauerunt videntibus istis (25. viris) et* „ *aliis innumerabilibus. Tunc praefati Comites dixerunt Hittonem Epi-* „ *scopum suum tollere iubere hominem.* „ *actum id est Anno 5º Hludo-* *wici. Indict. XII.*

Illa postrema omittere nolui ut alterum exemplum haberes coniunctorum duorum Comitum in uno placito, cui tamen is

prae-

praeſuit maxime in cuius miniſterio celebrabatur. *Adalkerèsbuſun* hodie dici puto Alckershauſen ad Barrium flumen iuxta Aicham. Pheterach vero fluuius, cum vico cognomine indicat miniſterium Luitpaldi ad ſeptentrionem longe ſatis patuiſſe. Vtrumque reperies in Moſpurgenſi praefectura.

De limitibus ad meridiem et occaſum nonnihil forte elicere poſſem ex litteris[1] quae conſcriptae fuerunt de re acta in placito apud *Emberingam* iuſſu domini Regis, anno 828. habito, eo magis quod *Luitpaldus* comes ſolus in iis nuncupatur poſt Hittonem Epiſcopum et Anzonem Comitem miſſum dominicalem: In illo placito actum fuit de rebus in *Smeoba* (vel Schmiechen) et ad *Allingas* ſitis. Sed diutius his immorari ſuperfluum vel inde foret, quod parum conſtet de foro ad quod pertinebant huiusmodi actiones: Pergimus ergo ad inſtrumenta quae Luitpaldum quidem exhibent, ſed alio quam iudicis officio fungentem.

§. III.

Mos erat olim, ut qui fundum ſuum Eccleſiae largiri volebat, conuocaret conſanguineos, affines, cognatosque ſuos omnes, ſciſcitaretur ab iis utrum iure largiri poſſet, conſilium rogaret, fatentibusque omnibus largitionem fieri poſſe, aut nullo ſaltem vetante, daret fundum quem proprium immunemque poſſidebat. Nonnumquam largitor ipſe primus teſtis erat, ſaepius vero ii qui largitoris proximi haeredes futuri erant. Nonnihil itaque de familiis et agnationibus hallucinari fas eſt, ex illis cateruis quorum nomina praeferunt vetuſtae traditionum Litterae et Codices.

Nullam habemus traditionem quam ſolus fecerit Luitpaldus Comes. Sed unam habemus cuius autor ſi minus, ſaltem particeps fuit.

Eccleſia

1) Ibid. n. 530.

Ecclesia seu aedes sacra fundata fuerat a nescio quo nobili viro ad *Adalbareshusun*, qui locus hodie Altershausen dicitur situsque est iuxta Crantzpergium, ad confluentes Ambronis et Glani fluuiorum. Si de nomine fundatoris aliquid dici potest ex nomine loci, dicam *Adalbardum* nuncupatum fuisse et numerosam Gentem procreauisse.

Solemne erat tunc temporis apud Boios, ut Ecclesias construerent dotarentque, penes haeredes suos mansuras, frequentandasque a flaminibus domesticis, quos ipsi eligebant. Hunc morem inualuisse credo, cum in sacris Boiorum omnia adhuc incerta essent et confusa, forentque sacerdotes partim vagi, partim missi ab Episcopis vicinis, qui nobiles perpellerent ad aedes sacras domi fundandas, reditibusque muniendas.

Ita fundata fuerat aedes Adalhareshusae, et amplis praediis dotata. Cum vero fundator numerosae prolis pater extitisset, aedes ipsa et praedia ad eam pertinentia inter tot viros diuisa fuerant, quot haeredes patrimonii opulenti partes sortiti erant.

Anno 827. quo mutata fuit conditio Ecclesiae Adalhareshusanae, nobiles sequentes partem quisque suam aedis ipsius et praediorum, ut cohaeredes, possidebant.

1º *Piligrimus*, cuius filius erat Reginperhtus.
2º Erchanfrita, soror Piligrimi
3º *Hartnidus.*
4º LVITPALD
5º *Poapo* et *Heriolt.*

In hoc vero Episcopi industriam suam omnem collocabant, ut ad sedem suam traherent annecterentque ~~illis~~ peculiares has sedes flaminum, quibus nec Officium conferebant, nec leges dabant; Nec successu ut plurimum caruerunt indefessae sollicitationes.

„ Primus *Piligrimus* cum *filio suo Reginberbto* tradidit a. ad do-
„ mum S. Mariae ad Frigisingas quicquid *ipse* et *filius suus ad Adal-*
„ *baresbusun propriae baereditatis in* ECCLESIASTICIS *rebus* DE PAREN-
„ TIBVS *in partem sibi euenire declaratum inueniebatur.* Hoc firmi-
„ ter *ego* PILIGRIM, inquiebat, et FILIVS meus REGENPERHT, *com-*
„ *munis manibus*, tam PROPARENTES *quam* PRONOBIS et pro *posteri-*
„ *tatem nostram* cum *omni* integritate PARTIS NOSTRAE et PARENTVM
„ NOSTRORVM *ad banc ecclesiasticam rem supradictam pertinentem.* „

„ Factum ad Frigisingas 14 cal. Aug. Ind. v. an. 827. Ludo-
„ uici Impris XIV. et isti testes *more Bajowariorum* per aures tracti,
„ *Heriperbt*, Antonio, Deotrih, alius Heriperht, *Arabad*, *Karu-*
„ *'beri*, *Ambricbo*, *Hroadperbt &c.* quos omnes sequuntur ii qui
viderunt, scilicet Presbyteri Frisingenses.

Nihil manifestius est, quam quod Piligrimus haeres fuit fundatoris Adalhareshusani, quem proauum salutabat aut auum. Patrem ideo non dixeris, quia Piligrimus non nisi partem habuit Adalhareshusae *a Parente* suo sibi relictam. At vero Piligrimus iam A. 827. pater fuit filii adulti, hinc constat eum vix natum fuisse post A. 780. Ergo auus quem ipsi fingimus, Adalhardus, ad minimum circa A. 725. coepit rebus humanis interesse, ante quod tempus vix crederem Ecclesias diuites fuisse in Baioaria.

Vix elapsi erant menses aliquot, cum Hitto Episcopus in *Holzmobingas* se conferret, ubi deguisse videtur soror Piligrimi nomine *Ercbanfrit*, tuncque et haec quoque „ quicquid in su-
„ pradictare *Ecclesiastica ad Adalbaresbusun babuit* firmiter tradidit ..
„ cum omni integritate *quicquid proprietatis* ad *ipsam parte pertinere*
„ ad *Ercbanfrita* videretur *propriis* manibus *ipsa Ercbanfrit et fra-*
„ *tri suo Piligrimo manus suas iniacente* pro *remedio animarum* suarum
„ et

a) it id. n. 510.

„ et *genitorum suorum* firmiter in capsam S. Mariae . . . communi-
„ ter tradiderunt 3. cal. Octobris Indict. 6ª. anno suprascripto,
„ istis testibus confirmatum :

Piligrim, Paldachar, Crimperht, Petto, Wicco, Oadalscalch, Ratkis, Wolfolt, Managolt, Hiltibald, Hroadperht, Sigipald, Oadalrich, Chuniperht, Tiso, Luitpald, Oadalker, Welti, Kepolf, Reginhart, Reginperht.. Deotpald. - - Juto, Keruheri, Adalperht. Nescimus quo ordine nuncupari debuerunt testes. Suspicor tamen in traditione Piligrimi affines eius, primos recitatos fuisse, qui ob id ipsum in traditione Erchanfritae non reperiuntur: in hac vero, post Piligrimum fratrem affines quoque donatricis recenseri usque ad *Hruodperhtum* qui utriusque testis fuit ut et Sintar, Wizilo, seu Fizilo, Wigant, Iuto, et Keruheri. Locus *Luitpaldo* in altera datus ante Reginperhtum, Piligrimi filium.

Paucis diebus elapsis cum Hitto et Baturicus, Episcopi, Frigisingam venissent, „ *eoque* confluxissent multi nobiles et illustres „ viri, adhortationibus *Episcoporum* moti nonnulli, pro remedio „ animarum *suarum*, „ quibus aegris hanc medelam saluberrimam omnium credebant boni viri, „ *et pro* remedio animarum paren- „ tum suorum „ quibus non opitulari religio erat, tanta erat *facundia* Episcoporum, „ *aliquid Deo obtulerunt in Eleemosynam.* In- „ ter quos ibidem accessit quidam nomine Hartnidus et firmiter „ tradidit quicquid in re Ecclesiastica *ad Adalbaresbusir* habere vi- „ deretur *partis suae seu parentum suorum* tam pro se *quam pro paren-* „ *tibus et posteris firmiter tradidit* 3 *nonas octobris anno supradicto.* Et „ isti testes more solito Bajowariorum per aures tracti: In primis „ Luitpald Comis, Reginperht, Priso, *Oadalscalc, Willihelm,* Al- „ prat, *Piligrim, Sigipald... Reginhart, Adalperht, Reginperht, Oadal-* „ *rich . . . Hroadperht . . . Karuheri . . . Deotrih, Petto,* alius

„ Luitpald, *Mahtuni*, *Wicco &c.* Omnes qui mutato caractere hic notantur fuerunt quoque testes superiorum traditionum: ex quo vides non fortuito adhiberi consueuisse testes; *inprimis* vero *Luitpald Comes* nominatur, quamvis Frisingae tunc essent *multi illustres viri;* quia de re sua agebatur cum darent res suas consanguinei eius Ecclesiae, quae nunquam reddItura erat.

Ipse tandem exemplum eorum secutus est Luitpaldus.

Nam „ peractis supradictis traditionibus hoc audiens et vi-
„ dens simili recordatione compunctus quidam *cohaeres* eorum
„ nomine Lvitpald, et accessit ad *Altare S. Mariae*, ipsa hora,
„ paruo interuallo, et quicquid de portione parentvm *suorum* illi
„ *in proprietatem euenit lege dictante* in ipsis *Ecclesiasticis rebus* in loco
„ Adalhareshusir totum et integrum *pro se et pro parentibus* similiter
„ tradidit . . . hoc supradicto die *et supradictis testibus* in praesen-
„ tia confirmatur.

Tunc quoque Piligrimus suam et sororis suae traditiones renouauit, ut firmiores essent, et *iterum supra enumeratos viros* more solito in testimonium et confirmationem per aures traxit. „ Cum-
„ que Episcopus Hitto transmisisset Rubonem Archipresbyterum
„ ut vestituram legaliter acciperet, inprimis *Piligrim* per funicu-
„ lum signi Ecclesiae legitime vestiuit *de parte sua et sororis suae.*
„ Deinde Lvitpald simili confirmatione vestiuit; eodem modo
„ *Hardnid* vestiuit 2 nonas Octobris. Quae de *Poapone et Heriwlto* sequuntur in alium locum reseruo. Id interim constat, eos cohaeredes fuisse in Adalhareshusun.

Paulo prolixius has litteras excutiendas esse credidi, quod nullum extet monumentum ex quo felicius eruI posset *Luitpaldi I.* familia, gentisque qua editus erat veneranda antiquitas, ac situs praediorum quae auita illi fuerunt. Saepe quidem alias ut

testis

teſtis ſubſcripſit chartis *Luitpaldus*, et aſſerere audeo in ſingulis earum reperiri indicia eiusdem parentelae, eiusdem ſitus praediorum. Sed ſuperfluum foret aeque ac faſtidioſum poſt tam luculentam ſyſtematis noſtri probationem, aliis inhaerere quae minus in receſſu habent; ſequentia igitur notaſſe adhuc ſufficiat.

Primus teſtis fuit b. *Luitpald Comes*, ſecundus *Adalbart*, tertius *alius Luitpald*, quartus *Papo*, cum traditionem in Hlaginpach faceret Hitto Diaconus, qui poſtea cathedram Friſingenſem conſcendit, quemque ex eadem hac gente prodiiſſe probari forte poteſt, et aliunde. Certe c. tractus per aures fuit, quamuis Diaconus, cum matrona quaedam daret propriam haereditatem in *Feoht*.

Iterum *Luitpald* Comes teſtis adeſt d. per aures tractus, et primus, cum Paldachar, ex traditione Adalhareshuſana iam notus, daret haereditatem ſuam in Ismanninga

3º Primus teſtis eſt *Luitpald* Comis e. cum Ejo Presbyter filius Poaponis renouaret traditionem patris ſui ad Holze.

4º Teſtis legitur *Luitpald* Comis, f. cum Williperhtus Leuita et frater Antonii, (cuius nomen rariſſimum et ex traditione Adalhareshuſana tamen notum) traditionem faceret. Teſtes cum eo fuerunt Wichart (ſeu Wiceo) Reginhart, Adalhart, Pilicrim, Chuniperht, Ambrico, iam noti ad unum omnes, et Hroadolt.

„ Dubito de *Luitpaldo*, qui octauus teſtis fuit g. cum Adalfrita, „ vidua Cundharti Comitis, renouaret traditionem Eccleſiae con- „ ditae a Cundharto in loco dicto Moſaha in propria alode ſua et „ uxoris ſuae. Cum hoc Luitpaldo teſtes citantur Arahad, Pernolf, Adalperht, et poſt eum Deotpald.

B 3 5. *Luit-*

b) ibid. n. 197.
c) ibid. n. 237.
d) ibid. n. 295.
e) ibid. n. 302.
f) ibid. n. 305.
g) ibid. n. 319.

5º *Luitpaldus* Comes per aurem tractus est h. cum alio *Luitpaldo*, Arahad, Tifone an 817. in villa Mohinga.

6º. Testis est iterum i. anno proxime secuto, cum Heriperht „ archipresbyter et Sigihart nepos eius traderent communi ma- „ nu Ecclesias in Fechinga in chutilapuron, ad Poasinpurron et in Alpacowe. Simul nominantur Amo, *Pilicrim*, *Reginperht*, Wichart, Wigant, Petto, Sigihart.

Anno eodem coniunctos reperio *Luitpaldum* k. et alium Luitpaldum, sed ita, ut ille 5us hic sextus sit inter testes. Alter tamen ex iis videtur esse *Luitpaldus* Comes.

7º Testis fuit *Luitpald Comis* traditionis l. rerum in Mezinga, factae a nobilibus viris Cotescalcho et fratre eius Deotpaldo, eodem procul dubio qui et ipse inter testes memoratur traditionis Adalhareshusanae.

8º Anno 819. pacto inter Episcopum et Presbyterum de re in Niwara apud Ehingam inito, ad fuerunt m. Engilhart, Orendil, *Luitbald Comis &c.*

9º Cum daretur haereditas n. in Meskilenfeld (Schwabensis Praefecturae) testes per aures tracti nominantur Iob Comis, *Luitbald Comis*, Richo Comis . . . *Luitbald*, Priso. *&c.* an. 827.

Iob Comes habebat res Ecclesiasticas o. propriam paternitatis alodem in Ehinga et Perga.

10º Anno 820 cum fieret traditio p. a nepote *Kaganharti* in placito numeroso apud Feohtkirha, adstiterunt Crimperht, Cotaperht, Allmunt, Cundhart, Reginperht, *Luitbald. &c.* Vix non dubito, quin hic ordo testandi parum conueniens fuerit cum di-

h) ibid. n. 351.
i) ibid. n. 352.
k) ibid. n. 358.
l) ibid. n. 365.
m) ibid. n. 386.
n) ibid. n. 393.
o) ibid. n. 391.
p) ibid. n. 412.

dignitate Comitis in cuius minifterio res agebatur. Dicemusne hunc Luitpaldum diuerfum effe a Comite noftro? Aliae litterae eodem q. anno fcriptae exhibent iterum *Luitbaldum* quendam 5º loco teftantem.

11º Aliae de praedio in Vparacha fcriptae r. anno 821. in Ehingun fiftunt nobis Wagonem, Erchanfritum, et *Luitbaldum* Comites.

12º Rurfus tamen anno 822 *Luitbald Comis*, f. fed folus qui hoc titulo ornetur primus teftis eft, fequuntur eum Cotascalch, Cotaperht, Crimperht, Alhmunt, Paldachar.

13º At ubi placitum numerofum habetur in Feringa inter 12. Comites, qui nominatim recenfentur anno 821. fextus eft *Luitbald.* t.

Luitbald qui anno eodem 7us teftis dicitur traditionis u. in Niwara factae, cui primus interfuit *Hrodolt* diuerfus a noftro iterum iterumque videtur; cum idem Hrodolt in placito Feringenfi poft Comites demum nuncupetur.

Siquis vero animaduerterit anno 822. *Luitbaldum* w. Comitem poft Kifalhardum quidem fed ante Engilhartum Rihhonem et Reginhartum Comites recitari, is facile fibi perfuadebit id unum ex ordine teftandi elici poffe ubi quisque Comes fuerit.

Sic anno eodem traditionis in *Pob* factae teftes hoc ordine recenfentur: x. Engilhart, *Luitbald*, Alprat, Ratolt. Wicco *&c.*

Notabo hic, in litteris A. 823 Feohtkiricham conftructam quidem dici in minifterio *Luitpald Comitis*, Luitpaldum vero ipfum ne verbulo quidem praeterea nominari y. ad fecundum annum; aut ad proxime praecedentem referendae funt litterae duae z. Luitpaldum appellantes, quae fequuntur apud Meichelbeckium. Ad annum

q) ibid. n. 413.
r) ibid. n. 423.
f) ibid. n. 426.
t) ibid. n. 434.
u) ibid. n. 435.
w) ibid. n. 442.
x) ibid. n. 447
y) ibid. n. 453.
z) ibid. n. 472. 473.

annum vero 825. illae [zz] quibus „ matrona *Engilfrit* et Aduoca„ tus eius nomine Hroadolt *communibus* manibus dederunt manci„ pia ad Mohingas pro remedio animarum ſuarum, fideiuſſor fuit „ Amalo. Teſtes per aures tracti Livtpald *Comis*, Deothart, Amalo, Reginperht, Odolt . . . Hroadperht, Ratolt, Alprat.

Anno denique 827. Traditio facta eſt [a] ad Holzmohingas coram *Luitbaldo* Comite, eodem procul dubio qui traditionis *Adalbaresbuſanae* particeps fuit.

Anno proxime ſecuto, qui 828. *Luitbald* [b] *Comis* primus per aures trahitur, cum res ageretur in Feohtkyricha, et cum eo *Reginperht*, Tagiperht, . . Alhmunt, Wicco . . Paldachar. etc.

Inde uſque ad annum 831. nuſpiam nominatur quidem Luitpald Comes, ita quidem ut Reginperhtum Aduocatum Eccleſiae, vices eius ſuſtinuiſſe diceres, redit tandem primumque prodit [c] a 831. *Luitpald Comis*, quem ſtatim ſequuntur *Iſangrim* et Odolt Aduocatus. Friſingae res acta fuit.

Eodem anno iterum *Luitpald* [d] primus teſtis eſt, *Radolt* quidam ſecundus.

Rurſus anno eodem poſt Comitem Palatii, *Luitpald* [e] *Comes* primus praeſto eſt.

Anno 836. nam per quinquenium iterum abeſt noſter, *Luitpald Comis*, Rihho Comis, Coteperht, Reginperht et alii teſtes ſunt [f] pacti initi ad Holze de rebus ſitis in Muninpah et Reod.

His addam *Luitpaldum Comitem* adhuc dici anno 837. iamque finem imponam inquiſitioni longe prolixiori quidem quam deſtinaueram, ſed quam contrahere non potui ſine iniuria eorum qui alieno iudicio credere detrectant.

CAPVT

zz) ibid. n. 491.
a) ibid. n. 500.
b) ibid. n. 523.
c) ibid. n. 556.
d) ibid. n. 558.
e) ibid. n. 559.
f) ibid. n. 599.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS.

De pago Huosi. De gente Hosorum: illic Luitpaldus Comes deguit et omnia sua habuit: fuit denique Hosus: Schyrenses Principes orti sunt a viro qui auita praedia in pago eodem habuit: Hosine fuerunt?

§. I.

Si quid egimus in superiore capite, hoc profecto confecimus extitisse seculo IX. Comitem *Luitbaldum* qui ditionem suam, consanguineos, affines, praedia, sedem, vicinos habuit in ea regione quam irrigant Wirma, Ambro, Glanus, et Ilmus, quamque claudunt ad orientem Isara, ad occasum Lycus amnes. Nomen huius regionis coniunctum esse cum origine optimatum, qui in ea potentissimi erant, haud aegre concedent fatebunturque, quicunque antiquitatum huius generis rudes omnino non erunt.

Tota illa regio, quanta fuit, dicta est prouincia, siue pagus *Hosi* vel *Huosiorum*, quod nomen ut in alio opere monui, inter gentes Augustas Europae nostrae quae nunc exstant, vix non antiquissimum videtur. Hunc pagum describere a proposito meo adeo non est alienum, ut in hac descriptione vertatur omnino tota quaestio quae moueri potest de origine gentis, quam illustrandam suscepi.

Gottwicensis chronici doctissimum scriptorem laudare hic idem esset, atque onus omne in alienos humeros transferre et validiores; nisi constaret mihi errauisse eum, cum pagum *buosi* vel *Vsen* longe distinctum esse voluit a pago *busin* vel *bousi.*

Qui nominis diuersitatem allegaret, maioris, quam par est, faceret veterum in describendis nominibus quae propria dicuntur diligentiam, tandemque et ipse grauiter laboraret, quum alterius pagi nomen alteri subinde datum, utrumque autem fere promiscue usurpatum fuisse deprehendet.

Insigne est diploma Heinrici v. Imperatoris in quo monasterium *Vsenbouen* situm dicitur *in pago Ouskowe iuxta fluuium Glana, in Comitatu Husen.* a.

Ouskowe idem sonat ac Ousgau vel Housigau, reddita aspirationis nota, quae omitti magis in pago quam in comitatu denominando non debuit. Ipsius monasterii nomen ab hoc nomine deriuatum fuisse liquet, quasi curiam *Husen* vel *Husorum* diceres, reddita pariter littera H. quam rectius non omisit Biographus S. Gebehardi Archiepiscopi Salisburgensis „ dum nonneminem „ monasticam Religionem professum memorat de *monasterio Husen-* „ *bouen, quod postea Schiram* translatum fuit b. parui itaque interest Vsen scribasne vel Husin, Ouskowe vel housgowe; cum ex isto scribendi discrimine nulla distinctio legitime argui possit.

Adest

a) Hund. Metrop. Salisb. T. III. p. 215.

b) Canisii Lect. Ant. a Basnag edit. Tom III. P. II. p. 442.

Adeſt porro nobis diploma longe vetuſtius, c Ludowici Regis quem Germanicum dixere, in „ quo villa Solzimos, (hodie Sul- „ zemos in praefectura Dachawienſi) *ſita perbibetur in pago huoſi.* „ nemo erit, opinor, qui non fateatur hunc pagum Huoſi eundem eſſe quem Heinricus v. Ouskowe vel Comitatum Huſin appellauit.

At, quaeſo, dices ne ſerio pagum *Huoſi* quoad nomen ſaltem, diuerſum fuiſſe a pago *huoſon?* in quo Heinricus III. Imperator d. ao 1048. ſitas refert villas *Buron*, *Cochalon*, *Pubila* et *Orta*; in quarumque prima conſtructum eſt monaſterium, hinc *Benedicto - Buranum* dictum.

Sed ut omne exuas dubium, perpende Lector, quae in Chronico Benedicto-Burano de translatione S. Anaſtaſiae anno 1053. facta et a teſte oculato deſcripta narrantur; illic ſane abbatia Benedicto-Burana diſerte *ſita* dicitur in *pago huoſi.* Nullum igitur nominis diſcrimen ſupereſt, nam et Sultzemos villa *in pago huoſi* ſita fuit.

Idem pagus *huoſi*, qui huoſon vocatur ubi de abbatia *Burana* agitur, quoque *Huſin* apellatur in Charta ab ipſo Gottwicenſi laudata, iuxta quam monaſterium *Hecbibach* (hodie Haebach) ſitum fuit *in pago Huſin in comitatu Sigemari Comitis.*

Ad eundem pagum *Houſi* quoque dictum ſpectabat etiam *Pollinga* in *Comitatu Adalberonis*: ibidem et ſitae fuerunt villae *Wil-*

c) Pezii Theſaur. Anecd. Tom. I. Part. III. col. 19.

d) Meichelb. Chron. Benedictobur. p. 39.

heim, *Vbingen*, *Rieden*, *Hochunenwang*, *Pfaffenbouen*. Has quidem postremas duas ex pago, in quo Pollinga erat, eiicit Gottwicensis, ideo quod sitae sint ad sinistrum littus lacus Ambrensis. At ex diplomate quod apud Hundium e. exstat, nihil dici potest, cuius ergo hae duae villae exulare debeant ex pago Housiorum.

Nullum itaque nomen datum est pago in quo Bura et Pollinga, quod non datum fuerit quoque pago in quo *Husenhofen* et *Sultzemos* sitae fuerunt. Sequitur inde unum eos pagum fuisse; Si duo dixeris, confines sane fuerunt; at duo pagi confines quibus idem omnino nomen est, sine ulla diuersitatis nota, unus idemque pagus credi debent donec contrarium pronunciauerit autor coaeuus summae grauitatis ac fidei. At talem quidem Besselius inueniet nunquam.

Ratum igitur esto, pagum *Huosi*, *Vsen*, *Huosen*, *Husen*, vel *Husin*, meridiem versus a montibus qui monasterio Burano haud procul imminent, ad Glanum usque fluuium, qua septentrio est, patuisse et ab Isara orientali limite, ad Lycum procurrisse: totumque tractum intermedium qui Baioariae pars est haud exigua, complexum fuisse.

Quodsi vero Gentem, origine Boicam, Boiisque nunquam non accensitam legas usquam quae idem nomen gesserit, ne dubites quin illud ab ea hic pagus acceperit.

§. II.

e) Metrop. T. III. p. 78. et Meichelb. Hist. Fris. n. 1154.

§. II.

Huosos fuisse, et qui fuerint; lex ipsa Baioariorum nos edocet: dum gentem, quae Huosi dicebatur, primam vocat „*inter* „ *eas* quae *post Agilolfingicam quasi primae* erant; quibusque oriun- „ di, licet priuati essent„ eadem dignatione frui debebant, qua soli gaudebant Comites.

Legi huic Boicae magnam lucem affundunt litterae, quibus constat hoc nomen proprium fuisse Genti nobilissimae, quae in pago cognomine degebat.

Primas laudabimus eas, quae Chronographis Burensibus sequentia suppeditarunt a.

„ Conquisiuit etiam Elilandus Abbas medietatem Eccle- „ siae . . . atque molendinum in Vssingen coram *Omnibus nobi-* „ *lissimis de pago Huosin* ex legatione Domini Imperatoris, per eum „ et Kysalhardum habita concione in villa Sehhiringen „ (hodie „ Seehringa vico 3. horis distante a monasterio Burano) „ die „ 5º mensis maii „ ; incertum quo anno idfactum fuit. Contigit tamen vergente ad finem Imperio Caroli magni.

Temerarius profecto videbitur nemini qui dixerit *nobilissimos istos de pago Huosin*, Hvosos fuisse. Illis vero accenseri haud dubie debent 1º *Pabo*, fideiussor usurpatorum Luitkeri et Lantoldi, cum succubuissent, 2º *Sigur*, Gagandi aeque fideiussor eorum; quique saepissime, in Frisingensibus monimentis,

 inter

a) Meichelb. Chron. B. Buran. p. 20.

inter praecipuos teſtes nonnunquam etiam cum Adalhareshuſana familia reperitur 3º *Anthugi*, *Hyltipalto*, *Ouadalrich*, *Hillibrant* in quorum praeſentia res omnis acta eſt.

Ad eamdem quoque Gentem referre non dubito *tres fratres potentes*, qui circa idem tempus inuaſerunt diſtrictum monaſterii Burani: quorumque nomina erant *Reginbertus* vel *Reginaldus*, *Milo* et *Aribo*. Cauſa a Carolo commiſſa Hantoni Epiſcopo Auguſtano et Kyſalhardo Iudici: conuentus Egolfingae habitus: multati inuaſores fuerunt.

Illa ad eam ſaltem pagi partem pertinent quae meridiem verſus porrigebatur: clariora de parte pagi noſtri maxime ſeptentrionali pandunt litterae alibi laudandae; quarum ſumma haec eſt: Erchambertum Praeſulem Friſingenſem, cum Eccleſiae ſuae iniuria facta fuiſſet, placitum indixiſſe in loco qui dicebatur 'Tan-„ nara; hodie Dannern, *Vbi plurimi de Hoſis*, *vel alii quam plurimi viri nobiles inſimul conuenerunt*. „ totus dubito *Hoſos* plurimos conuenturos fuiſſe ad placitum extra pagum *Huoſi* celebratum; lex enim erat, ut ad placitum *Pagenſes* conuenirent. Conſtat inde *Hoſos* gentem fuiſſe, ex eaque proceſſiſſe *viros nobiles*.

Afferemus praeterea chartam in qua praedia quaedam Wurmae vicina ſita, dicuntur in *confinio* HOSIORVM, ex quo magis atque magis eluceſcit 1º *Hoſios* vel *Hoſos* gentem fuiſſe eamdem, de qua in lege *Baioariorum* 2º pagum qui ab *illa nobiliſſima gente* nuncupabatur *unum fuiſſe*, amplexumque quicquid terrarum continebatur intra Alpes Buranas, et Glanum fluuium, ni forte longius ad Septemtrionem protendebatur.

Con-

Constat itaque Comitatum *Luitpaldi* Comitis eiusque praedia, consanguineos, cognatos, vicinos omnes, omnia denique, quibus huc usque nobis notus est, in pago *hosorum* extitisse. Disputator ergo magis, quam veritatis amans dicendus erit quisquis post haec negauerit *Luitpaldum* HOSVM fuisse; contingere quidem potuit homini a gente Hosorum nobilissima prorsus alieno, ut apud *hosos* praepotens euaderet, sed reuera contigisse id cuiquam non credam ego quamdiu constabit, *Hosos* primam fuisse gentium siue *Genealogiarum* quae post Agilolfingicam, tunc extorrem atque tantum non spoliatam,primae fuerunt in Bajoaria; locumque hunc obtinuisse omni quo lex Bajoariorum viguit aeuo.


§. III.

Sepofita in praesens omni in posteros Luitpaldi Comitis inquisitione, inuestigabimus modo, quis terrae dominus fuerit in *Comitatu Vsen iuxta fluuium qui dicitur glana*, ubi fundatum est monasterium *Vsenhoven.* a) „ Diploma Heinrici V. Imp. superius re-„ citatum prodit nobis magni nominis Comites duos: *Othonem* „ videlicet unum, et alterum *Perichtoldum* nomine, qui praefati „ monasterii locum, *communem inter se a parentibus*, uti pluribus „ patuit, eatenus habuerant.„ Scilicet usque ad annum 1104. quo *conditum est monasterium S. Petri in Vsenhoven.* Si alia omnia nesciremus, nonne hinc verisimillimum foret *Ottonem* et *Berchtoldum Hosos* fuisse? at alterum ex eis iure summo autorem veneramur Schirensium Principum; ambo originem traxerunt a *Luitpaldo* marchione.

Hinc

a) Priuileg Schir. p. 52.

Hinc credere fas eſt omnino, Ducatum Bajoariae Agilolfingis ademptum ſimul et exſtinctum, in gratiam Arnulphi Luitpaldi Marchionis filii creatum fuiſſe iterum, partim quidem quod cognatus eſſet Arnulfus Regum Carolingorum, partim vero quod oriundus ex illa gente, quae poſt Agilolfingos prima ſemper eſt ſalutata.



CAPVT



CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS

Inquisitio in nonnullas Hosorum familias quae cum Adalbareshusana coniunctae fuerunt: exploratur magis ac magis illa gens: probatur in testibus adbibendis rationem maxime babitam fuisse parentelae: extra dubium ponitur Adalbareshusanos omnes et praesertim Luitpaldum Comitem Hosos fuisse.

§. I.

Dixi iam antea Adalhareshusam illic sitam fuisse, ubi confluunt Ambro et Glanus fluvii. Vsenhoven vero siue Comitatus Husi ad Glanum fuit haud longe ab Adalhareshusa, quod cum ita sit, coniunctissima fuerunt patrimonia antiqui illius Luitpaldi Comitis et longe recentiorum Comitum Ottonis et Berchtoldi, et ita coniuncta, ut alterum ab altero vix discerni queat.

Operae itaque pretium est paulisper morari in inuestiganda illa familia Adalhareshusana cuius pars fuerunt Luitpaldus Comes, et Luitpaldi omnes quotquot tunc vixerunt. Nihil enim de parentelis Seculo IX obuiis statuere possumus, nisi praediorum, que sola haereditaria tunc fuerunt, rationem habeamus; haec sola est via, qua rationem testandi, tunc temporis usitatam, indagare, ex eaque notitias eruere queamus, quae paulo minus quam certae sint; si quis verbi gratia a me quaerat, cur Luitpaldus Comes saepe adfuerit Hittoni clerico, postea Episcopo, largitiones facienti; dicam eadem de causa id contigisse,

qua contigit ut *Pernolfus* Adalhareshufanis adforet, iisdem adesset Heriporhtus, quia nempe consanguinei erant et alicubi cohaeredes.

§. II.

a. Pernolfus fuit Haholfi filius; Haholfus praedium auitum habuit in Hlaginpach, illic b. et Hitto praedium auitum possedit quod postea tradidit teste *Luitpaldo* Comite.

§. III.

Hittonis Pater dicebatur Reginhartus, c. qui una cum fratribus suis Meginhardo Abbate et Kundharto, praedium possedit in Huckinperc. Cohaeres eorum fuit Waltfridus, d. cui testium officium exhibuerunt duo Kundachari, seu Kundhari, e quibus alter e. Comes fuit et haereditatem habuit in Huckinperc, f. et in Hlaginbach, paterque fuit Kartheri.

§. IV.

g. Kundherio pater contigit *Deotto* (vel *Deotharte*) Ipse et *Sindeo* h. proximi fuerunt consanguinei *Chunonis* cuiusdam, qui Comes dicitur in rubrica chartae qua dedit praedium in *Abusna*, *Hittone clerico* teste; patruus Kundharii fuit *Oadelschalchus* presbyter. Alius cohaeres in Hlaginbach i. Kerhohus, eiusque frater Crimheri.

§. V.

a) Meichelbeck Instr. Frising. ibid. n. 113.
b) ibid. n. 197.
c) ibid. n. 266.
d) ibid. n. 209.
e) ibid. n. 110.
f) ibid. n. 462.
g) ibid. n. 307.
h) ibid. n. 186.
i) ibid. n. 345.

§. V.

At rurſum ſcimus [k] *Sindeonem*, *Cundherium*, *Pernolfum* proximos fuiſſe *Adalfridi*, cuius frater Cozpertus aduocatus ipſi aſtitit cum largiretur bona in *Ebamotinga* (Seu Emating, Schwabenſis praefecturae.) Fuerunt itaque hi omnes proximi alii aliorum; nec forte fortuna contigit ut teſtandi officio coniungerentur. Agnatos illi ſalutauerunt *Einbart*, *Wicbart*, *Tiſo*, *Memmo*, *Cundacbar*, *Reginperbt*, qui ad unum omnes ſocii aſſidui fuerunt *Luitpaldi* et aliorum *Adalbaresbuſanorum.*

Iidem omnino [l] teſtes, *Hitto* ſcilicet Diaconus, *Einbart*, *Wicbart*, *Memmo*, *Reginperbt*, *Tiſo*, *Kundacbar*, adfuerunt Ratpurgae largienti res ſuas in Feoht. Eoſdem quoque teſtes habes [m] et praeter hos Iſancrimum et Reginhartum, in conuentione ab Attone Epo. inita cum duobus fratribus *Pattone* et *Tettini* de rebus in Haſalpach et *Sindeoesbuſir* ſitis. Fuit quoque [n] teſtis Hrocolfus: qui ipſe cum largitionem faceret iiſdem teſtibus ipſoque Pettone teſte uſus eſt.

Iſangrimo quoque largienti [o] in Holtzhuſir adfuerat *Sindeo* Erchamperhtus et Ampho. Erchamperhtus is frater fuit Iſangrimi, quod ne ſuſpicari quidem ex ipſa charta liceret, niſi conſtaret, proximos quoſque paciſcentium teſtandi officium praeſtitiſſe.

§. VI.

Haec annotatio nos ducit ad familiam notiorem et monumentum inſigne *Hoſiorum*, quod eo libentius exponam prolixe, quod celebre aliquando erit nomen *Iſancrimi* in hiſtoria noſtrae Gentis.

 Litterae

k) ibid. n. 288.
l) ibid. n. 237.
m) ibid. n. 250.
n) ibid. n. 256.
o) ibid. n. 228.

Litterae ſunt ſub Attone Epiſcopo ſcriptae p) de controverſia quae inter cohaeredes nonnullos vertebatur. Agebatur de Eccleſia S. Martini ſita in loco nuncupato *Awigozesbuſir*, quam Hiltiport et Egilolf in ſuum redigere dominium ſatagebant praecluſis cohaeredibus eorum. Cohaeredes illi fuerunt Ejo presbyter, et *ſuus frater Iſangrim* „ et *ſuus frater Erchamperht*, atque omnes „ Cohaeredes contentionem inter ſe pro ipſa Eccleſia habuerunt, „ et tunc *Congregati fuerunt* Hosı et fecerunt concilium inter illos, „ et non potuerunt ſe pro ipſa eccleſia coadunare vel reconciliari, „ et dicebant Ejoni presbytero Oadalker et Reginhart, vel Nibilu- „ ne, ut iret ad ſuum Epiſcopum et nuntiaret illi. Quo facto „ Epiſcopus miſit eum cum *cohaeredibus ſuis* ad Miſſos Dominicos „ in locum qui dicebatur Lorahha in monte nuncupato Wartperc, „ ubi erant Ann Epiſcopus, Keroldus, Meginfridus, Wolfwolt „ et Rimicoz Iudex. Eos adiit Ejo cum *ſuis cohaeredibus* quorum „ nomina *Iſangrim*, *Erchamperht*, *Cunzo* cum *filiis ſuis*, ſeu alii „ multi, qui in hac contentione pro Ejone ſtabant, tribus die- „ bus actum ea de re coram miſſis, tertio deniqueEgilolf et Hil- „ tiport legitime convicti reddiderunt Eccleſiam Ejoni et cohae- „ redibus, teſtes qui hoc viderunt ii ſunt: Oadalker, Reginhart, „ Nibulune, Hrocolf, Tagaperht, Hramperht, Iſangrim, Per- „ nolf, Aliperht, Reginperht, Helmperht, Ampho. Hoc autem „ actum eſt ad Eniſa in iam dicto loco Roracha; poſtea redierunt „ ad propria et perfecerunt omnia ſicut decretum fuerat. Duas „ partes Eccleſiae reddiderunt Egilolf et Hiltiport, tertiae (quae „ ſua erat) fuerunt Ejonem praeſſe. Teſtes adhibiti *Iſangrim*, „ *Erchanperht*, *Cunzo* cum *filiis ſuis*, *Oadalker* et alii multi.

§. VII.

p) n. 129.

§. VII.

Vix de ulla gente, quae tunc florebat, nec ipsis de Hosis, praeclarius inuenire est testimonium. Vides *Genealogiam*, ut dicebant, adhuc discretam, florentem, sibi consulentem, priuata concilia agentem, de rebus suis publice deliberantem, sed, quod non minus opportunum est, habes exemplum omni exceptione maius, ex quo tuto arguas testes adhibitos eos semper fuisse, qui paciscentium proximi consanguinei et cohaeredes fuerunt. Si enim litigantibus id ex lege licuit, incubuitque, ut testarentur, quia consanguinei essent; quanto magis haec sanguinis praerogatiua obseruanda erat, quoties largitiones faciendae, aut simile quid peragendum veniret, ex quo lites inter consanguineos oriri poterant.

§. VIII.

Hosorum priuilegium videtur fuisse, ut iudices ipsi essent contentionum, quae vertebantur inter conciues eorum aut ipsos inter et praesules Frisingenses. Praeterquam enim quod confici id potest ex litteris superius allatis, probatur id quoque ex Charta eximia, a) quae Isangrimi nomen prae se fert.

„ *Isangrimus* quaesiuit territorium in loco, qui dicebatur *Eginonis Ecclesia*, situm, et quo fruebatur Atto Episcopus. Hic „ vero et *defensores* illius *dimiserunt ipsam contentionem* inter manus „ *Isangrimi et parentum* ipsius, *ut ipsi secundum legem exinde fecissent*, „ et venerunt ad Frigisinga et cum legitimis Sacramentalibus iu„ rauerunt, ut ipsa res magis in haereditatem praedicti *Isangrimi*

 „ stare

a) ibid. n. 156.

„ ſtare debuiſſet quam ad domum S. Mariae et definitum eſt in-
„ ter eos. Tunc quoque ipſe *Iſangrim* tradidit territorium quod
„ cum contentione acquiſitum habuit pro remedio animae ſuae,
„ ſeu parentum ſuorum. Teſtes fuerunt Kaganhart, Selprih,
„ Haholf, Ampho, Nothart, Hericco, actum id eſt anno 8º Im-
„ perii Caroli. (808)

§. IX.

Quod cum ita fuerit, eo minus mirum eſt conſanguineos teſtes fuiſſe, quicquid agerent conſanguinei. At viden, illi teſtes, quos ſecuti, ab Adalhareshuſanis diſcedere viſi ſumus quam egregie ad Adalhareshuſanos nos reducant? ita omnes illi nobiles cohaerebant.

§. X.

Suſpicaris Reginhartum, qui Iſancrimi cohaeres fuit eumdem eſſe a quo natus eſt Hitto Clericus et poſtea Epiſcopus, meritoque ſuſpicaris.

Cum enim Hitto epiſcopus aedificaret Eccleſiam a) in propria haereditate paterna in Haholfeshuſir, et ſoror eius *Codeſdiu* daret partem filii ſui Kernandi qui abſens erat, anno 816. teſtes fuerunt *Deothart Centenarius* (pater Kundherii) *Sindeo* (qui cum Kundherio proximus fuit Chunonis Abuſnenſis) *Kundheri.* Kartheri (filius Kundheri) Reginpald, Heriperht, Ampho, Reginperht. *Iſancrim* (cohaeres Reginharti patris Hittonis) *Kundhart* alius (nempe filius Deotharti ſiue Deottonis) alius Regin-

a) Meichelb. Hiſt. Friſing. Tom. 1. p. 103.

ginperht, Deotrih, Reginhoh . . . Adalperht, Adalune etc. omnes aut Adalhareshusani, aut cum iis testes.

§. XI.

Et si familiam Isancrimi penitius nouisse cupimus scireque quis fuerit alter ex Regimbertis illis quos toties obuios habuimus, id unum notemus oportet, b. Ejonis presbyteri patrem fuisse *Poaponem* „ qui traditionem fecit in loco nuncupato ad *Hollze*, „ Ecclesiae cum domo. Hanc traditionem renouarunt Ejo et frater eius Alphart sub Hittone Episcopo, et *Luitbaldus* Comes; Kernandus, filius Coteshiu et nepos Hittonis, Regimbortus missi fuerunt ad statuendos limites. Testes per aures tracti nuncupantur *Luitbald Comis*, Mezzi Comis, Kaganhart, Engilhart, Sindeo, Kundheri, Alphart, Nothart, Deotrih, Deo Tuto, Liutprand, Deotpald, Rihpald, Pernolf, Hitto, Reginperht, Einhart . . . Arahad, Kartheri. Omnes aut Adalhareshusani aut nobis iam noti ex testimoniis aliis, quae optime cum rationibus nostris congruunt. Iam laudauimus chartam c. de re in Adalhareshusam sita, in qua testes exhibentur, praeter *Hleoperhtum* et Kernandum, illum traditorem hunc traditionis ministrum, Mezzi Comis, Deothart centenarius . . . Immino, *Isancrim*, *Luitpald*, Irminfrid.

§. XII.

Alphartum Ejonis, Isancrimi, et Erchamborhti fratrem nouimus ex traditione d. qua anno 828 contulit praedia in *Hobinreini* et ad *Whise* (hodie Weichs) sita, et cuius testes fuerunt Kundpald, *Deotrih*, *Wicco*, Alfrit, Reginperht, Otperht . . . Adalperht; Arbeo, Altrih . . . Hartnid.

Re-

b) Instr. Frising n. 302.
c) ibid. n. 303.
d) ibid. n. 514.

Regimperhtus et *Otperhtus* qui hic coniunguntur reuera fratres erant. Hic dedit bona sua e. Ecclesiae S. Michaelis in Abunsna, ille Ecclesiae Frisingensi testibus Heriolto et Kundheri. etc.

De *Kundpaldo* scio, eum bona dedisse f. ad Cozhiltahusum, et testes adhibuisse Crimperht, Sindeonem, Einhart, Altuperht, Kernand, Haholf.

De *Regimberhto*, g. uxorem illi fuisse Hrooswind, quae cum vidua esset testibus usa est Engilharto, Adalperhto, Walhone, Pettone, Reginhoh, Ermperhto, Annone, Oadalscalcho, Otperhto, Cundhaito, Tettine, *Reginperhto*, *Isancrimo*, Isminfrido.

§. XIII.

Isancrimus ipse ultimo occurrit testis traditionum in *Hurinzbach* (haud longe Dachauia) quarum prima tempore Hittonis Episcopi *Parentis sui* per manus Pernolfi facta est: altera qua ditauit ecclesiam in Nertinga, manibus Milonis: nam morti tunc proximus erat Isancrimus; cumque obiisset 4. Kal. maii conuenerunt in illo die ad illum *multi nobiles parentes sui*, corpus eius sepelire „ et deportauerunt eum ad Ecclesiam S. Martini in Nertinga, et „ vehit ipse Milo et traditionem perfecit coperantibus *Ellansoind* „ *sorore Isancrimi* et *Leone filio suo* et vestierunt Ecclesiam de ter- „ tia parte haereditatis eius in *Jelitanti*, et accepit *Pernolf* illam „ tradirionem de manibus eorum. Testes fuerunt (haud dubie „ Isancrimi parentes ut et Milo, Pernolfusque) *Reginperht*, *Re-* „ *ginpald*, *Isancrim*, Reginhart, Immino, Irminfrid . . . . *En-* „ *gilbart*.

Post-

e) ibid. n. 202.
f) ibid. n. 572.
g) ibid. n. 574.

Poſtquam Iſancrimum, parentem fuiſſe Hittonis Epiſcopi probauimus, et extrema (v. §. 10.) eius fata aſſecuti ſumus, quae ut puto, contigerunt anno 821. Indictione ſcilicet 14ª. de Patre eius Poapone paucis dicam. Dicam etiam de Milone et Regimberto, nam hi nobiles viri coniunctiſſimi fuerunt.

§. XIV.

Non aberraturum me credo a vero ſi dixero Poaponem eumdem eſſe qui Popo nuncupatus, et [a] primus teſtis fuit cum *Hunune* presbyter morti proximus renouaret donationem Oratorii ab *Adalunco* patre in *Abunſna* aedificati et ab ipſo Eccleſiae Friſingenſi collati anno 760. (Thaſſilonis 12º.)

Paucis poſt annis, anno nempe 765. „*Poapo* [b] *vir nobilis* con-
„ gregauit *multitudinem parentum ſuorum nobilium* virorum, per
„ *quamdam* dubitationem *filiorum ſuorum*, conſiliauit cum illis, ſi-
„ cut ipſi conſilium eorum *Poaponi* per fidem dederunt ut haere-
„ ditatem ſuam domui S. Mariae tradidiſſet. Interea contigit, ut
„ condictum eſt publicum ſynodum ſeu alium placitum ad Frigi-
„ ſingun fieri, et *Ego* Poapo, inquit ipſe, *veniens veniebam cum pa-*
„ *rentibus* et fidelibus meis ad iam dictam domum S. Mariae et
„ nuntiaui conſilium noſtrum haeredi epiſcopo et ipſe hoc gra-
„ tanter accepit. Proinde iterum retractaui ut haereditatem quo-
„ que meam in locis nuncupatis ad Wihſe et ad Holze coram
„ omni clero, *ſeu Parentibus meis confirmantibus*, firmiter et indubi-
„ tanter tradidi . . . ea vero ratione ut quamdiu aduiuimus *ego*
„ ipſe et *filii mei* ipſam cauſam cum integritate habere vel uſurpa-

a) n. 7. b) n. 13.

„ re debeamus, eo modo ut nullus propter quamdam diſcepta-
„ tionem filiorum meorum, ſi contigiſſet, abſtrahere haeredita-
„ tem meam non potuiſſet de domo S. Mariae. (*Teſtes fuerunt*)
„ ... Hunune clericus .. *Selprat Comes*, *Alprat Comes*, *Mezzi Comes*,
„ Waldkeer (ſeu Adalker vel Oadalker) *Hringrim*, Alphart, Egil-
olf, Perhtolf, Chuno (de Abunſna frater ut puto Hununei) An-
gilperht, Pern, Arbeo, Hartrih.

E o haud dubius *Poaponis* filius hic deſideratur ut et Iſangrim: deſideratur quoque *Erchampertus* frater certiſſimus *Eionis*. Vnus Alphartus praeſto eſt.

Illi Hoſi erant, (v. §. 6.) ut iam demonſtrauimus: quod et indicat ſitus bonorum *Poaponis*.

§. XV.

Iidem fere teſtes fuerunt, a. *Selprat* nempe, Chuno, *Popo*; „
„ cum Egino monachus daret propriam haereditatem ipſius et
„ fratris ſui *Reginolfi*, quam ipſis genitor eorum *Reginolfus* in hae-
„ reditatem reliquerat cum eccleſia ibi fundata, quaeque dicta
„ eſt *Eginonis Eccleſia*, hanc, ut (v. §. 8.) iam diximus, vendicauit ſibi *Iſangrimus Poaponis filius*, ex quo facile conficies, haeredem ipſum fuiſſe *Eginonis* et *Reginolti*, quibus *Popo* teſtis adfuerat.

Idem *Popo* vel *Poapo* teſtis fuit b. an. 773. una cum Einhart, Alprat, *Selprat* Comitibus, Cunzo, Perhrolf, Deotpaid, Adalunc, traditionis in Zidalpach (hodie Zeidlbach Aichenſis praefecturae) factae.

Idem

a) 15. b) 31.

Idem quoque anno 774, testis est c. cum *Cunzo*, qui cohaeres filiorum eius fuit, traderet B. (v. §. 6) Martino (in Nertinga, ubi *Isancrimus* sepulturam accepit) praedium situm in loco Phetraha (vel Pferrach Mospurgensis praefecturae.) Testes cum eo fuerunt *Hunune*, *Cundhart*, *Piligrim*.

§. XVI.

Iam monui *Reginbartum*, qui et Comes fuit, et pater Hittonis Episcopi, cohaeredem et consanguineum fuisse *Ejonis*, adeoque et *Alpbrati*, *Erchambertique* et *Isangrimi*, qui fratres Ejonis erant. Scimus itaque, quo pacto Isangrimus parens fuerit Hittonis. Addam quod constat, Cotesdiu, Hittonis sororem, matrem fuisse Kernandi et Heilratae ex patre huc usque ignoto; Kernandum Lares transtulisse in Italiam et patrem fuisse Kernandi qui in patriam rediit, Heiltratam ex coniuge incerto matrem fuisse Berhtae quae nupsit Willihelmo, ex eoque, post longam sterilitatem, filium suscepit cui auunculi sui *Hittonis* nomen imposuit, quique clericus fuit et abbas euasit. Scimus itaque cur et Kernandus et Willihelmus cum Adalhareshusanis testes fuerint, eodem scilicet iure, quo Hitto ipse fuerat antequam Episcopus fieret. Heilratam utcumque ad Adalhareshusanos pertinuisse ex eo quoque certum est, quod haec matrona anno 842 Indict. IIII. dedit ad Altare S. Mariae quicquid habuit *ad Adalhareshuson*, et inter testes primos omnium adhibuit Piligrimum et Reginperhtum. d.

c) 39. d) 619.

§. XVII.

Dixi (v. §. 13.) *Milonem* parentem fuisse *Isangrimi*, quod profecto arguit credita ipsi largitionis cura.

Idem ille est, qui anno 807 [a] dedit bona sua in Heidolsinga sita, (hodie Heidlsing in Crantspergensi vel Mospurgensi praefectura). Filius eius *Deotman* dictus fuit. Fratres quos habuit nouimus ex monumentis Buranis [b] ubi „ *tres Fratres potentes Reginbertus seu Reginaldus*, *Milo et Aribo* districtum monasterii inuasisse dicuntur, et pecunia mulctati, ex sententia Hantonis „ Episcopi Augustani, et Kysalhardi Iudicis, a Carolo M. Imp. „ delegatorum, conuentusque hac de re habitus fuisset *Egolfingae.*

§. XVIII.

Breui obuius nobis erit Hanto Episcopus cum Hantugi aduocato. Exhibent eum monumenta Burana [a] primum testem cum Elilandus abbas praedia a fratrum triade usurpata recuperaret; fideiussor tunc duorum ex usurpatoribus illis fuit *Pabo*. Eruere mihi hinc videor originem *Regimberti*, *Milonis* et *Aribonis*.

§. XIX.

„ [a] Tres fratres fuerunt quorum unus obiit improlis, cu-
„ ius defuncti haereditatem duo germani superstites aequali-
„ ter inter se diuidere debuerunt. Hi dicebantur Scatto et *Poa-*

„ *po*

a) 145.
b) Chron. Bened. Bur. p. 21.

a) l. c. p. 20.
a) Instr. Frising. 117.

„ *po*. Sed antequam diuiſio haec facta eſſet mortuus eſt et *Poa*-
„ *po*, relinquens portionem ſuam filio ſuo *Kejoni*, qui dare voluit
„ S. Tertulino in Schleedorf, at vetuit *Scatto* patruus eius et utram-
„ que portionem reliquit filio ſuo *Reginberto;* hic tutari voluit
„ poſſeſſionem ſuam, ſed iudicio victus reddidit Advocato Ec-
„ cleſiae Lantfrido loca nuncupata Allingas, Kupingas et in Ger-
„ mareskawe.

§. XX.

Papo itaque ſeu Papo fideiuſſor fuit in gratiam Buranorum, *Reginberbtus* vero nepos eius male animatum in Schleehdorfenſes ſe exhibuit; aut multum fallor, aut hic Riginbertus idem eſt, cuius uxor Hroswind vel Hroadwind quae agrum largita eſt a. in Aruzzapah, ubi et Iſancrimus donationem fecit in manus Milonis. Poaponem vero retuliſſe credo nomen *Poaponis I*, qui pater Keionis et Iſangrimi fuit, utpote ipſius ex patre nepos, ſicque ſtatuimus Milonem Iſangrimi patruelem fuiſſe. Addo, quod mihi videtur, Reginbertum hunc eumdem eſſe quem conſtat patrem Piligrimi, Aduocatum Eccleſiae Friſingenſis unumque e teſtibus Adalhareshuſanis fuiſſe; idem nempe qui ſtatim poſt Luitpaldum Comitem nuncupatus *veſtituram quoque vidit cum Erchamperto fratre Iſancrimi, cuius patruelis erat.* Meminimus duos Poapones in eadem charta notari: Primus quidem cohaeres fuit in *Adalhareshuſa*, alter teſtis cum ille largitionem ibi faceret.

„ Idem hic primus teſtis eſt b. cum Pilicrimo Adalhareshuſano,
„ et Reginperhto eius filio, ubi Engilheri dedit praedium in Chear-

 perc.

a) ibid. 61. b) 513.

„ perc. „ Teſtis quoque cum Iſancrimo anno 816. [c] cum Engilhardus Comes et uxor eius Ermanswind agrum darent in Ahaloh. Teſtis denique Largitionis factae a *Sorore* et *nepte Hittonis Epiſcopi.*

Engilhardum Comitem [d] quem modo nominaui arbitror eundem eſſe qui anno 806. dictus eſt propinquus *Hrocbolfi* (v. §. 5.) et cohaeres eius fuit. Hunc iam obuium habuimus; [e] nouimus quoque nonnullos Milonis proximos ex litteris [f] in quibus Pietto dicitur traditionem *poſuiſſe* in *Manus Proximorum Suorum*, quorum nomina *Milo et Friduperht*, qui reuera poſt obitum Piettonis aſſumpto Hunune filio eius traditionem perfecerunt. Teſtibus nobis quam opportunis *Pernolf, Milo*, *Iſangrim, Habolf*, *Nidhart*, *Cundhart;* id contigit an 814.

§. XXI.

Recenſui fere omnes qui Adalhareshuſanae traditionis participes fuerunt, de Arahado qui poſt Heripertum teſtis fuit nihil dixi, at ne hunc quidem inſalutatum relinquam. Scio enim Arahadum [a] ſiue Aarhartum filium fuiſſe Heriperhti, cuius et miſſus fuit cum *Hunkiſo* ad faciendam rei, in Phetarah ſitae, traditionem, teſtimonium praebentibus Haholf, *Pilicrim*, duobus Reginperhtis, Hunkis, Hitto, Petto, Puapo, Deotrih, Anpeo. Situs praedii ſatis ſuperque indicat coniunctum fuiſſe Arahardum cum familia *Poaponis*.

§. XXII.

c) 346.
d) 122.
e) 136.
f) n. 300.
a) n. 579

§. XXII.

Antonio, vel *Antonium* qui secundus testis fuit [a] cum Piligrimus pater Reginberhti partem suam Ecclesiae Adalhareshusanae daret, huc usque neglexi, tametsi eo minus negligendum nobis, quod ipsi traditionem facienti primus testis adfuit *Adalbertus Comes* qui in his Commentariis celebris aliquando erit.


Praedium Antonio Frisingensibus dedit [b] in *Ollinga*, seu *Allinga*; (v. §. 19.) ubi Reginbertus filius *Scattonis* et nepos POAPONIS praedium et ipse habuit; cum vero hoc nomen rarissimum aeque et ab ingenio linguae vernaculae abhorrens sit, recte mihi videor asserere, omnes Antonios quotquot hoc saeculo vixerunt proxime inter se coniunctos fuisse. Huc ergo pertinent quoque tres *Nobiles viri*, fratres aut saltem cohaeredes praedii indiuisi ad Mosaham flumen; *Hugi*, *Hruodperht*, et *Antonio*; [c] vixerunt illi sub Annone Episcopo, adeoque post annum 855. patremque agnoscere potuerunt *Antonium* nostrum, qui vir *praecipuus* fuit anno 827. hic vero filius esse potuit, vel nepos Senioris *Antonii*, cuius fratres *Adalune*, Hiltipald, Kerpalt et Otakir, anno 779. saecularia negotia deseruerunt, bona sua in commune attulerunt, Cellulam condiderunt in vasta solitudine Heremi Schliersee, et receperunt magistrum ab Episcopo Frisingensi. [d] Ille vero *Adalune* idem mihi videtur esse, qui anno 773. testis fuit cum *Cunzone*, *Poapone*, patre Issangrimi, ALPRATOQVE et *Selprato* Comitibus.

§. XXIII.

a) ibid, n. 510.
b) ibid. n. 569.
c) ibid. n. 743.
d) Hist. Frising. T. I. P. I. p. 79.

§. XXIII.

Finem huic inquiſitioni non imponerem, ſi omnia ſcrutari vellem, quae ſententiam meam et illuſtrant et fulciunt. Exploraui fere undique Adalhareshuſanos meos, et quocunque me converti nihil reperi ex quo certior non euaderem, parentelae maximam rationem habitam fuiſſe ſemper in teſtibus adhibendis; *Hoſos* adhuc floruiſſe tempore quo vixit Luitpaldus Comes; hunc vero cum gente illa uniuerſa ſpeciatim vero cum familia *Poaponis*, ita coniunctum fuiſſe, ut conſanguineus filiorum eius non poſſit non reputari. Fuit itaque et conſanguineus Hittonis Epiſcopi,[a] quo profectus ſum, cum hanc in Hoſiorum gentem excurſionem auſpicarer.



CAPVT QVARTVM

SYNOPSIS.

De aetate Luitpaldi Comitis, quem ab A°. 807 - 837. *Comitatui praefuisse asseritur. Filius eius et Successor obiter indicatur* RATOLDVS. *Pater ex coniectura attribuitur* ALPRAT COMES *Poaponis Hosii consanguineus.*

§. I.

Produximus seriem cartarum in quibus memoratur *Luitpaldus Comes* ad A. usque 837. Extant quidem apud Meichelbeckium a. duae adhuc AA. 841 et 844., quae Luitpaldum quendam referunt, a nostro vero aut omnia me fallunt quam maxime diuersum. Meministi lector, Luitpaldos frequenter adesse Hosiis testimonia praebentibus, quin etiam latera stipare *Luitpaldi Comitis.* Eorum uni tribuenda sunt, quaecunque post A°. 837. leges Luitpaldo adscripta: Erat sane tempus quo credebam fuisse *Luitpaldo* nostro, qui A°. 825. subito disparet, non nisi A°. 828. in scenam rediturus, fuisse inquam, illi filium aequiuocum, qui ipse dici potuerit, quem ad A^{m} usque 844. superstitem sistunt monumenta Frisingensia.

a) nn. 613. 631.

Verum enim vero rem omnem curatius penſitanti, in alia longe abire placuit. Sane poſt annum 828. quo ineunte *Luitpaldus Comes* primus teſtis adeſt cum aliis Hoſiis traditioni in *Hegilinbuſen factae*, b. pluries recurrit ipſe ceu pagi eiusdem quem ad A. uſque 825. adminiſtrauerat praefectus. Sic eodem A° 828. iudicio praeeſt in Emhiringa habito, praeeſt iterum iudicio ad Holzmohingas c. et quod notes velim, vice repetita teſtis adeſt traditioni in *Feoht Kyricha* factae. d. Dicendum ergo foret Luitpaldum, quem noſtri filium finxeris, eidem quoque in Comitatu ſuo ſucceſſiſſe; at ſucceſſiſſe Luitpaldo noſtro in Comitatu, filium quidem, ſed nomine dictum *Ratoldum*, quem inde ab A° 831. produnt monumenta friſingenſia, iamiam probaturi ſumus. Euaneſcit itaque, quicquid coniectura haud quidem inficeta de Luitpaldo, Luitpaldi filio, hallucinabamur; Et conſtat Luitpaldum Comitem ad A. uſque 837. rebus humanis interfuiſſe, prouinciam rexiſſe.

Nec turbant circulos noſtros, anni tres queis deſideratur apud Friſingenſes *Luitpaldus Comes*. Quis vetabit abſentem dicere; Sicuti hoc idem circa tempus abſens fuit *Hitto Epiſcopus*, *Aquas palatium* profectus; e. quinimo et Luitpaldus eo verſus iter arripuiſſe videtur, una cum *Rege Ludovico* Germanico Ludouici Pii Imp. filio in *Baioariam* A° 828. *rediturus* f.

§. II.

b) n. 522.
c) n. 500. 584.
d) n. 523.
e) n. 480.
f) n. 522.

§. II.

Superftes fuit itaque ufque ad a. 837. *Luitpaldus Comes* tunc fexagenario paulo maior; utpote qui A° 807. adeptus eft forte Comitatum *tricenario* proximus. In aula Ludouici Regis poft fuum ex Francia reditum frequentius verfanti, collegam ac in Comitatu focium datum effe filium *Ratoldum* Capite feq. demonftrabitur: Sicuti *Droanti* Comiti A° 806. fubrogatus eft filius *Drutmund.* a.

De fucceffore ac filio *Luitpaldi* Comitis fecuris, liceat paucula differere de *Genitore* eiusdem ac fuo in Comitatu praedeceffore. Pandent ad utrumque nobis viam chartae frifingenfes; modo attendamus recte Comites hofios, qui feculo 8° exeunte clari, circa annum 806. haud amplius nominantur.

Droant quidem Comes A° 806. obit, fed fucceffsorem nactus eft filium *Drutmund;* nec Luitpaldus dici poterit Drutmundi frater, cum ex charta A° 806. b. nota nobis fint nomina trium quos Droant Comes habuit filiorum: Drutmund, Chundbald, Chunrad.

Praefto nobis eft quoque *Adalbertus* quidam Comes. Is jam A° Caroli M. 23. teftis fuit loco infigni, quippe ante Kaganhartum Aduocatum; c. ac paulo poft in tabernaculis prope oppidum *Loriacti* (Laureacum) teftimonium praebet poft *miffos* dominicos; Comitemque placiti ac Iudices duo. d. Comes diferte dicitur in Litteris A. 802. quae memorant Conuentum folennem ad *Reganes-*

a) N. 122. et 142. inter fe collat.
b) 142.
c) 102.
d) 103.

nespuruch habitum: Comparet in illis *Adalbertus* poſt Comites alios quinque, ante alios nouem [c]. Anno tandem 806. poſtrema vice heic nobis ſiſtitur *Adalperht* Comes in conuentu ad Otingas celebrato; ac poſt praeſides prouinciae, Dominicos miſſos, et Abbates primus nuncupatur.

Accomodatiſſimus nobis hic foret Adelbertus, quippe quem certo certius ſcimus latifundia egregia apud hoſios poſſediſſe. Sed nec ipſe ad noſtras quadrat rationes, ſiquidem inferius adſtruetur eum ad A^m^ uſque 820. vitam protraxiſſe: adſtruetur quoque eum diſſitam longe a friſingenſi tractu prouinciam gubernaſſe, ita quidem ut frater Luitpaldi dici poſſit, et graues ob rationes dicendus ſit quoque: Pater vero Luitpaldi dici queat nunquam.

§. III.

At probauimus ſupra cum Hoſiorum gentem luſtraremus Luitpaldum Comitem gentilem proximumque Agnatum fuiſſe *Poaponis* Comitis. Probauimus etiam, quantum quidem probari potuit, *Poaponi* neceſſitudine iunctos fuiſſe, *Selprahtum* et *Alprahtum* comites Fratres. His ergo paullum immorabimur.

Alpraht Comes, cum fratre *Selpraht* itidem Comite interſunt A° 765. traditioni a Poapone peractae de qua ſuperius diximus, Ambo leguntur iterum A° 773. Taſſilonis 25° in Litteris friſingae ſcriptis [a]. eodem anno teſtis eſt *Alpraht* ſeu *Adalpreht* donationi praedii ad Wirmam fluuium, in oppido Wirma Friſingenſibus

c) n. 118. a) n. 31.

bus factae b. A° 772. Tassilonis 32° *Selprat* primus nuncupatur testis traditionis in *Arruzzapah* factae, c. ubi Poaponi quoque amplissima praedia fuerunt. Sed ut *Alprabto* maxime inhaereamus, suadet charta d. A. 788. *regnante Domino Magnifico atque glorioso Karolo Rege francorum* atque *Longobardorum seu et Patritio Romanorum* A° 20. in qua *Alprabt Comes* primus per aurem tractus legitur cum Deotlinda quaedam hosia daret praedium in *Nertinga* situm, ubi Isamgrinus Poaponis filius terrarum ditissimus itemque sepultus est. Redit iterum post aliquod temporis interuallum nunquam deinceps rediturus *Alpbrat Comes* A° 802. Karoli, Regni 33. Imperii 2° e. adeoque attingit omnino aeuum Luitpaldi nostri. Hunc ergo *Alprabtum* tantas inter tenebras Patrem ac Praedecessorem eo minus dubito, quod in eum quadrant omnia, quae in hac quidem tractatione momenti alicuius esse possunt argumenta, aetas conspirans, nexus sanguinis cum Poapone, Luitpaldi necessario, Comitatus Frisingensis aut Frisingensi proximus, quem post Alprahtum gessisse videtur Luitpaldus. Addam et nominis rationem, quandoquidem *Alprabti* nomen retulit Luitpaldi frater, *Adelperbtus*.

b. n. 33.
c. n. 61.
d. n. 99.
e. n. 118.

Hinc Stemma:

Tab. I.

† † †

Poapo Comes a. 765. 773. | Alpraht Comes ab Ao. 765 - 802. | Selpraht Comes 765 - 788.

Iſangrim Comes † 821. | Ejo Comes 280. | Alphard Comes. 820. | Luitpaldus Comes 807. 837. | Adalpraht Comes 802 - 820.

Leo Comes.

Herioldus Comes. | Poapo Comes 806 - 836.

CAPVT



CAPVT QVINTVM

SYNOPSIS.

De successione in Comitatus Baioariae. Luitpaldo Comiti tribuitur filius qui et Successor illius fuit Ratoltus, Ratoldi aetas. Testimonia de eo usque ad am. 853.

§. I.

Exemplum modo attulimus Comitatus paterni, superstite adhuc patre ad filium deuoluti. Quod et si non probat Comitatus Baioariae omnes penitus haereditarios fuisse, suadet tamen filios patribus successisse quotiescunque non extitit caussa eaque grauissima eosdem aut excludendi aut aliis postponendi.

Antequam Thassilo Ducatu spoliaretur fuerunt iam in Bajoaria Comites, fuerunt optimates qui sacramentum dixerant Regibus Francorum, quorumque maxime ope gradu motus est Tassilo; siue inuidia ipsi odium peperisset, siue fides illis in Regem quam in Ducem antiquior firmiorque stetisset, siue denique auersati essent Hunnorum Tassilloni foedere iunctorum societatem.

Hoc vero constat omnino ob id ipsum, aeque ac propter belli Hunnici metum nil magis Carolo Regi curae cordique esse debuisse, quam ut optimatum animos sibi deuinciret; prouincias quas iam sortiti fuerant iisdem prorogando nouas committendo. Hinc potentissimus quisque cui integra in Regem permanserat fides, pago quem incolebat praefici assueuit: nec sine iniuria,

ne

ne dicam ſine periculo, filiis ſubduci potuit honor, qui patribus collatus fuerat, ceu premium fidei ac pietatis.

Hos inter optimates, Hoſorum qui poſt Agilolfingos primi erant ratio habenda fuit quam maxime; adeo ut ſiquid proſcripto Thaſſilone apud Baioarios mutatum eſt in gratiam Hoſorum mutari debuerit.

Quantumuis igitur abſum, quin aſſeram, Comitatus Baioariae iam ſeculo nono lege haereditarios fuiſſe: perſuaſum tamen mihi eſt omnino Parentum de Rege bene meritorum Comitatus, Officia, dignitates utplurimum ad filios eorum tranſiuiſſe.

Aſſerti exemplum pariter atque argumentum habemus in Orendile Comite, qui „cum pro redemptione animae ſuae trade„ ret propriam aquiſitionem in Scammaha hac lege dedit, ut ad „ vitam frueretur. Si autem *aliquis de filiis meis dignus fuerit ut* „ *ad miniſterium Comitis peruenerit* hoc volo atque conſtituo ut iam „ dictam rem cum conſillo Epiſcopi in beneficium accipiat„ a.

Sic pactus eſt, ſic ſperauit Orendil Comes cum regnaret adhuc Carolus M. Ao 814. Quanto magis ſpes eadem concipi debuit ſub Ludouico Pio, quem Theganus refert, b. exemplo tunc inaudito *fidelibus ſuis villas regias*, iure haereditario, in *ſempiternam poſſeſſionem* conceſſiſſe. Adde ſis Caeſarem Ludouicum iam ao 821. Baioariis Regem praefeciſſe filium Ludouicum quem Germanicum dixere; cuique gentis ſtudia eo magis capeſſenda fuerunt, quo turbulentiora illi contigerunt tempora, quo maioraque ipſe animo voluebat conſilia aduerſis nunc patre, nunc nouerca, nunc fratribus.

Acce-

a) n. 299.

b) Cap. XIX. p. 74.

Acceſſit his, ni fallor egregie, propenſus Ludovici in Baioarios, maxime vero in Hoſos a teneris inde animus. Scimus enim *Paedagogum* ipſi Baioarium imo et Hoſum fuiſſe, quando quidem extant litterae c. in quibus „ *hos teſtes per aures tracti* „ nuncupantur „ *imprimis* EGILOLFVS PAEDAGOGVS HLVDOVICI IUVENIS; LVITPALD COMES *Walho* etc. Actum eſt anno V. Lud. „ Imperatoris. „

Haud aegre crederem Egilolfum hunc eundem illum eſſe Hoſum, quem cohaeredem vidimus in Awigozerhuſin.

Exemplo Droantis et Drutmundi quod iam allegaui addere libet aliud Wagonis Comitis qui a° 814. teſtis adhibitus eſt, et poſt eum *Werinheri filius eius* d. at vero Wagone Comite viuente adhuc atque anno iam 806. *Werinheri Comes fuit* e. idemque procul dubio qui a vetuſtiſſimo ſcriptore Salisburgenſi F. *Wernharcus* vocatus et inſtitutus eſt *Comes confinii* aduerſus Hunnos, de quo prolixius libro ſeq. dicetur.

§. II.

Praemonitis hiſce euoluamus, lector, traditionem Friſingenſem Anni 837. a. videbis ibi fratres duo Iſanhardum et Ellanhardum retinuiſſe praedium quod auus et pater eorum dederant S. Tertuliano in *Schleehdorff*; „ conuenerunt idcirco multi *nobiles* „ viri in locum qui dicitur *Einhoſa*, *Erchambertus* Epiſcopus, „ LVITPALD COMES, RATOLT COMES, *Engilhart Comes*, Riho Co„ mes, et miſſus dominicus Antemarus „ - His iudicibus damna-

c) Meichelb. n. 372.
d) n. 297.
e) n. 122.
f) Excerpta Auentini ap. Oefele Script. rer. Boicar. Tom. I.
a) 601.

ti fuerunt ad restitutionem fratres „ et *hoc peractum est* in *praesentia* „ *venerabilium virorum Erchamberti Episcopi*, LVITPALDI ET RATOL„ TI COMITVM, et *Ribbonis Comitis* et *Engilbardi Comitis.*

Audax erit qui dixerit fortuito coniunctos fuisse Luitpaldum et Ratoldum Comites, cum seorsim nuncuparentur Rihho et Engelhardus. Industria id factum si mihi concedis, concedas quoque oportet vix aliam rationem rei insolitae subesse potuisse, quam illam, quod Luitpaldo iam grandaeuo, a Rege fuerit concessum, ut Comitatus quem ipse per triginta et quod excurrit annos gesserat in filium Ratoldum transiret. Lucem pondusque ingens coniecturae huic mox afferemus, cum probauerimus Ratoltum Luitpaldo in Comitatu suo utique successisse.

Ante ann. 837. iam vice plus una simul memorantur Luitpaldus atque Ratoltus. Laudauimus supra chartam A. 831 in qua testes recitantur: LVITPALD, RATOLT, *Tiso*, *Reginpald*, aliique ad unum omnes Hosi. Laudanda iam est quoque charta b. traditionis *Hittoni* Episcopo, eodem A° 831. ad *Holzmahingam* factae praesentibus LVITPALD *Comite* . . . . . *Alprat*, RATOLD . . . . . alio *Ratold* . . . alio *Luitpald.* Adde chartam c. anno 824. in qua primi testes nuncupantur Engilhart, *Luitpald*, *Alprat*, *Ratolt.*

Haec, quam postremam protulimus, charta, indicium haud obscurum foret, temporis qua pubertatem egressus iam erat Ratoltus, nisi ex pluribus aliis appareret duos ad minimum eadem aetate vixisse Ratoltos, alterum ab altero vix aut ne vix quidem distinguendos.

Noster

b) n. 584. c) n. 447.

Noſter ſane diuerſus eſt longe ab illo, quem conſtat Senem fuiſſe A. 839. cum largitionem faceret Eccleſiae Friſingenſi, cuiusque tabulas heic transſcribere lubet integras. f.

„ Quidam vir nobilis nomine *Ratolt* cogitare coepit quid ad
„ remedium animae ſuae pertinere potuiſſet. Conſilium ei danti-
„ bus *fidelibus ſuis* miſſum ſuum miſit ad Ven. uirum Erchanper-
„ tum Epiſcopum ut veniret ad ſe ad Tagolfingas (vicum hodie
„ Taglfing dictum in praefectura Schwabenſi) (Epiſcopus) *per*
„ *miſericordiam* ſuam ibidem ad illum venire *non dedignabatur*, ſed
„ veniebat et monita ei *ſalutaria adminiſtrabat* et interrogabat *co-*
„ *ram omnibus vicinis et cognatis ſuis ſi potenter* potuiſſet res ſuas pro
„ remedio animae ſuae alicubi ad domum Dei tradere et *trina in-*
„ *terrogatione* completa nullus ei contradicere voluit, neque po-
„ tuit.

„ Ipſe vero Ratolt viriliter circumcinctus gladio ſuo ſtabat
„ in medio triclinio domus ſuae tradiditque in Capſam S. Ma-
„ riae et in manus Ven. viri Erchanperti Epiſcopi et Aduocati
„ ſui Reginperhti, quicquid ibidem habuit et in alio loco ad Cra-
„ mannesdorff et in tertio loco nominato ad Huphinheim quicquid
„ ibidem habuit praeter unam Colonicam quam *Vaſſalo ſuo* Rih-
„ perto in proprietatem dedit, et ipſam rem quam frater eius Adal-
„ goz ei dimiſit in haereditatem cum omnibus eccleſiaſticis re-
„ bus ad ſe pertinentibus, eo modo *ſi filius eius Chunibob Epiſcopus*
„ ad patriam veniret ut ſuam haberet partem ſibi traditam, ſin
„ aliud cum omni integritate permanſiſſet ad Frigiſingas pro u-
„ rorumque ſalute animarum. „

„ His omnibus firmiter peractis ſtatim de omnibus rebus ſuis
„ per ſuperliminarem domus ſuae veſtiuit Erchanberhtum Epi-

 ſcopum

f) 607.

„ ſcopum et aduocatum ſuum Reginbertum et exiuit ipſe *Ratolt*
„ traditor et intrauit Erchanbertus, Epiſcopus et Aduocatus eius.
„ Sed poſtea reuerſus praeſtabat ei in Beneficium quicquid tra-
„ debat uſufructuarium . . . ad vitam ſuam . . . et ſtatuit ut
„ nullus *cohaeredum* eius ab hodierno die neque ipſe *Ratolt*, ne-
„ que *parentes* eius et *filii* poteſtatem habuiſſent commutandi, ne-
„ que cognati vel poſteri eorum. Iſti ſunt teſtes: Situli, Petto etc.

Credidi fore ut non diſpliceret hoc ſpecimen ſolemnitatum quibus fiebant tunc temporis traditiones.

Conſtat porro *Ratoldum*, de quo in Charta hac ſermo eſt, A. 839. et grandaeuum fuiſſe, cum filius eius epiſcopus iam tunc eſſet, et virum primarium, utpote qui fideles ac vaſſallos habebat; et prolem genitura carentem, Comitem vero non fuiſſe hincque diuerſum omnino a Comite noſtro *Ratolto*. Sed cum ſenex ille Ratoltus Latifundia ſua in medio Hoſorum pago habuerit, facile ad eum referri poteſt quicquid Ratolto ulli, ante annum 831. adſcribitur, quo demum anno Ratoldus noſter rebus gerendis par eſſe debuit, primumque ad patris latus prodire, annos forte natus viginti: vigeſimum ſextum acturus cum comes audire incipit, anno 837.

§. III.

Miror Ratoltum anno 843,[a] cum Adalhart presbyter traditionem faceret in Impach et res *Frigiſingae* ageretur, praelatum fuiſſe *Fritiloni Comiti Palatii*, quum anno 831. *Luitpaldo Comiti* praelatus ſit *Timo Palacii Comes*, in placito itidem Friſingae habito. Ni forte anno 831.[b] res acta eſt in *publica Synodo*, ubi primas utique

a) 622. b) 559.

que tenebat Palacii Comes; extra Synodum vero A. 843. quapropter is primus nuncupari debuit, in cuius Comitatu agebatur.

Sic morem fuiſſe, vel inde liquet quod A. 843. in conuentu Virdunenſi, cum Ludouici Imp. filii bello inteſtino finem imponerent, Baioariique in loco Dungeih nuncupato caſtra metati eſſent, comitiis Baioariorum procerum, de negotio, quod domesticum erat, habitis, adeo praelatus non fuit Ratoltus *Fritiloni Palatino* Comiti, ut hic primus omnium nuncuparetur, poſt eum duo Cundpaldi Comites, quarto demum loco *Ratolt Comes*. c)

Plura ex hac charta in praeſens non eliciam, omittam quoque de induſtria aliam, maioris licet momenti, eodem anno ſcriptam; ea monumenta pertractare feſtinans quae ad ſolum Ratoltum pertinent. Huius generis eſt charta d) quae nobis exhibet *Ratoltum Comitem* primo loco teſtatum, cum Frigiſingae pactum iniretur anno 846. Sed inſtar omnium erunt ſequentia. e)

„ Vir nobilis Vndeo Diaconus cuidam puerulo nomine Re-
„ ginolf, in manus nempe huius et Aduocati eius Piligrimi tradi-
„ derat proprietatem ſuam in loco qui dicitur *Glana* et ad Inzi-
„ muſe. „ (hae res illae erant de quibus agebatur. Situm indicare ſuperfluum foret.)

„Poſtea contigit quod plurimi inſimul conuenerunt viri no-
„ biles ad condictum placitum in loco qui vocatur *Viotkkiribca*,
„ *pro quamplurimis cauſis dirimendis*, Id eſt Erchanbertus Epiſcopus
„ Ven. et *Ratolt Comis* et alii quam plurimi, qui adhuc in ſequen-
„ tibus computandi ſunt.

 „ Et

c) n. 629.
d) 638.
e) 655.

„ Et *quando consederunt in concilio* et conplacitare coeperunt, „ (Vndeo repetiit quod dederat Reginolfo,) aegre redditum est, „ *Piligrimus* dimisit Mundeburdem infantis, fideiussor utriusque „ Kunzo fuit, quo facto Vndeo tradidit res ad Clana et ad Inzyn- „ mose in manus Episcopi et Aduocati eius Piligrimi, ea lege ut „ ipse et Reginolfus haberent Beneficium in Iepinkkiricha et ad „ Inzynmose, et hic tonsuram acciperet. Erchambertus utrique „ in beneficium dedit, et quod tradidit Vndeo et quod pactus „ fuerat ut sibi daretur, *et eodem die* (Vndeo) vestiuit Eparharium „ *Aduocatum Erchanberti Episcopi ad Inzinmose* Ratolfo *Comite prae-* „ *sente*, Managolt, Odolt etc. et isti sunt testes *Ratolt Comes*, „ Cotaperht, Cunzo, Luitperht, Piligrim, Kepolf, anno . . . Isan- „ grim etc. Actum est hoc in *publico Placito* coram *Ratoldo Comite* „ in Viotkkiriha 8°. idus april anno 848. Et isti praesentes fuerunt „ quando Erchambertus et Aduocatus eius Piligrim vestituram „ acceperunt ad Clana: Cotaperht, Amato, Alprihc, Cundpald „ Isangrim . . . hoc fuit factum Idibus Aprilis.

Nihil opportunius reperire poteramus, ut probaremus, *Ratoltum* Comitem illic ministerium suum siue Comitatum habuisse, ubi habuerat Luitpaldus Comes, utpote in cuius ministerio constructa fuerat Viotkkiricha.

Superest in praesentia, ut paucis dicam de charta f. alia iam tunc nobis laudata, cum de Hosis ageremus.

„ Erchanfridus presbyter iam olim sub Attone Episcopo dede- „ rat res suas. Sed postea negauit hanc traditionem a se factam „ fuisse;

f) 661.

„ fuisse; contigit autem ut Erchanbertus Ep. placitum suum con-
„ diceret in Tannara. Vbi *Plurimi de Hosis* vel alii quam plurimi
„ viri nobiles insimul conuenerunt hanc negationis falsitatem dis-
„ rumpere et superare, quod et ita factum est testibus et scriptis.
„ Erchanfridus secessit in locum secretum cum Fridarato et Rih-
„ hone Comitibus aliisque, cum quibus causam suam consiliare
„ voluit. Sed leges vetabant ne euadere posset, rediit itaque in
„ consessum tuncque Piligrimus Aduocatus Episcopi interpellauit
„ eum et Aduocatum eius Waldgarium (siue Oadalkerum) ut
„ restitueret, quod et fecit fideiussoresque obtulit Starcholfum
„ et Erchanfridum„ et isti sunt testes qui audierunt et viderunt quod factum fuit ad Tannaram. Inprimis Fridarat Comes, Rihho Comes, *Ratolt Comes*, Managolt, Cotaperht, *Piligrim* et alii multi, quos fere omnes iam nouimus. Actum A° 849.

Paulo post cum *vestitura fieret ad Helidkeresbuson* primus testis est *Pertolt*.


Cur Ratoltus Comes heic postpositus sit Rihhoni et Fridarato si quaerimus, dicendum fortassis erit, placitum habitum fuisse in Comitatu Fridarati, Rihhonem vero cuius praedium in Schrobenhusa situm nouimus aut viciniae aut aetatis prouectioris gratia Ratolto praeferri debuisse: Ratoldum denique ad placitum illud se contulisse magis ut Episcopi partes, cum reliquis Hosis foueret, quam ut iudicio praeesset.

Addemus his, ne quid omisisse videamur, Ratoltum Comitem primum testem fuisse g) cum in Eparesbah an. 853. fieret commutatio bonorum in Rota et Erlahusun sitorum.

Hic


g) 680.

Hic vero paulisper subsistemus, ut Adelbertum quem Luitpaldi fratrem, Ratoldi patruum diximus ad partes vocemus: ad Ratoldum deinceps tempore opportuno redituri.



LIBER





LIBER SECVNDVS.

De Marchionibus Baioariae orientalis Seculo IX. inprimis de Adelberto I. Adelberto II. ac Aribone.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS.

De Adalberto Comite qui cum Ratoldo Comite coniunctus, eiusque consanguineus fuit, praediorumque in confinio Hosiorum iacentium Dominus.

§. I.

Nisi de Hosis abunde dixissem libro superiore, viderer forte necdum attigisse argumentum quod mihi antiquissimum est et praecipuum. Mihi enim sententia neutiquam haeret, ad Luitpaldum Comitem referri debere origines inclytae Domus, quae mea carissima cura est.

Egregium monumentum de Ratoldo Comite ex industria omisi, ut ab eo exordium facerem dicendi de alio Comite qui cum eo coniunctus fuit.

„ a. Anno 843. Indictione VI. Honorandus Presbyter no-
„ mine *Hrodperbt* (cuius nomen apud Hosos gentilitium fuit) „
„ tradidit Sanctae Mariae quicquid proprietatis habebat in Stein-
„ gauwe ob beneficium ea ratione e contra sibi complacitatum.
„ *Actum ad Frigisingas* 8º Kalendas martias, anno Incarn. Domi-
„ ni 843. isti sunt testes, Einheri. Ioseph etc.

„ Iste census est quem Hruodolf wadiauit annuatim sol-
„ uere ad missam S. Martini denarios duos pro beneficio ad Pa-
„ charon in publico placito coram Erchanberto S. Sedis Episco-
„ po ac coram DVOBVS *Comitibus Ratolto et* ADALBERTO, *aliisque*
„ *Piligrimo*, Kepolfo, Kunzone, Purchardo, Pettone, qui eum-
„ dem censum suscepit, Tozzone, *Reginperbto*. „

Coniuncta his litteris negotia ideo non disiunxi, ut ex loco et tempore quibus alterum actum est, inferri posset quo in loco et quo tempore alterum sit actum. Anno itaque 843. *Ratoldus* et *Adalpertus* Comites simul interfuerunt placito Frisingae habito. Praeses placiti procul dubio fuit Ratoldus, ad cuius Comitatum Frisinga spectabat, Adalbertus vero in alieno placito Iudex et testis sedit et cum *Ratoldo* Comes dictus fuit, aut quia Hruodolfi consanguineus erat, ut et Ratoldus, aut quia communicatum cum Ratoldo magistratum habuit.

Sic consanguineus fuit Ruodolfi, ut et Ratoldus erat: nam ex ommisso utriusque testimonio in primo negotio, manifestum esse videtur, consanguinitatis magis quam Iurisdictionis rationem habitam fuisse: sequitur inde, quod Ratoldus ac Adalbertus consanguinei

a) Meichelbeck. n. 628.

guinei quoque fuerunt; de communicato magiſtratu non aeque aperta res eſt.

Sciunt omnes, quod in magiſtratibus gerendis idem fere mos plerumque ſeruatus, qui in praediis fruendis obtinebat, at vero compertum eſt mihi inter fratres et alios cohaeredes haereditates ſaepe non fuiſſe diuiſas, ſed indiuiſa patrimonia ad filios etiamſi numero plures et ab iis ad patrueles tranſiuiſſe, quin immo hanc indiuiſam Cohaeredum poſſeſſionem ceu probatiſſimam laudat Charta [b] qua conſtat „ Germanos nobiles viros, *communem* „ Haereditatem patris et matris ſuae habuiſſe *non inter ſe diuiſam* „ *ſed communiter ſine diuiſione* uſitauiſſe, *ſicuti amabiles Fratres, dei* „ *Amore, uſitare debuerunt.*

Hunc ſuccedendi modum et in prouinciis nonnunquam obſeruatum fuiſſe concedam lubens.

Ita rem agi vidimus [c] coram *Werinhario* et *Wagone* Comitibus, quos fratres fuiſſe filiosque Wagonis Comitis tantum non ſcimus. Ita quoque coram Ratoldo et Adalberto Comitibus in placito publico, quod Ratoldi tamen erat, agi potuit *Frigiſingae*; verum enim vero ſi dicendum quod res eſt, Hrudolfum teſtes adhibuiſſe Ratoldum ac Adalbertum, non quod in Magiſtratu ſocii, ſed quod conſanguinei ipſius fuerunt veroſimillimum mihi videtur ex quo deprehendi Adelbertum Friſingae Magiſtratum non habuiſſe.

At *Hoſum* fuiſſe et cum Adalhareshuſanis coniunctiſſimum ſi quid unquam contendo.

H 2 Nomen

b) ibid n. 555.

c) 552.

Nomen eius, quod primum eſt apud Hoſos gentilitium plane erat, utpote conſtat ex chartis quam plurimis quas attuli, cum aliud agerem, aliisque quas recenſere longum nimis foret: nonnullas tamen notauiſſe non pigebit.

Anno 828. c. cum *Alphartus Hoſus* daret ad Wihſe teſtes fuerunt . . . *Adalperht*, *Arbeo*.

Anno 814 duo *Adalperhti* teſtes ſunt cum d. Rihpaldus clericus, cuius fratres Ermperht et Peigiri erant, bona traderet ad Crazun interuenientibus Hoſis aliis multis.

Anno 4. Ludowici Imp. *Adalbertus* adeſt e. cum duobus Luitpaldis, traditioni in Phetarach factae.

Anno 5° in publico placito Kyſalhardi ad Adalkereshuſun *Luitpaldus Comes* teſtificauit f. videntibus iſtis. Haholf, Pernolf, *Adalperht &c.*

Teſtibus viris, qui omnes *Hoſi* erant, g. Wittigawo dedit alodem ſuam, quam Hitto Epiſcopus reddidit *Adalperhto* filio eius, anno 7° Hludow. Imp.

Cum euendicaretur praedium in *Chenperc*, Octauus eorum qui ſanxerunt ſecundum Legem *Baiowariorum*, nominatus fuit *Adalperht*. h.

At

c) ibid. 514.
d) 306.
e) 358.
f) 368
g) ibid. 469.
h) 470.

At hic Comes erat haud dubius, siquidem duo post illum Comites leguntur. Sed quisquis tandem fuerit, numerari utique debet inter Hosos qui *Adalberbti* dicti sunt.

Fuit enim Chienpergensis Ecclesia antiquum patrimonium Adalhareshusanae Gentis; nosti Lector, quod Piligrimus noster Adalhareshusanus, Reginperti Pater „ *proprietatem suam paternae* „ *Haereditatis habuerit ad Chienperc vel Kheanperc et ad Reode seu ad* „ *Adalhareshuson* i. ex quo magis magisque liquet, id quod libro superiore iam adstruximus, consanguineos fuisse Piligrimum, *Adalbartum* et *Luitpaldum* Comitem, quibus iam accedit *Adalbertus* quippe qui praesens adest cum beneficium in Chienperc *Adalbarto* confertur, iterumque quando lis de eo ipsi mouetur.

Quidquod testis quoque est *Antonio*, viro inter Adalhareshusanos praecipuo, propriam acquisitionem Frisingensibus tradenti k. iam vero hic ipse nobis est *Adelperhtus*, quem cum Ratoldo coniunctum videmus.

§. II.

Sed frustra moror in probationibus quae supra omnem exceptionem non sunt, cum habeam insignes chartas duas de re ab ipso *Adalperhto* inter Hosios acta. a.

„ Convenit inter Venerabiles viros Erchanbertum Episco-
„ pum et *Adalberhtum Comitem* pro communi utilitate et compen-
„ dio inter se quandam commutationem facere sicut et fecerunt.
„ Dedit itaque Dn. Erch. Ep. cum consensu Canonicorum, si-

 „ ue

i) 627.
k) 569.
a) 679.

„ ue Monachorum *Adalberto Comiti* de parte Frigisinge Ecclesiae „ suae, in loco qui dicitur *Bennivinteschirica* prope fluuium *Meisaba* cum omni integritate etc. ut teneat atque possideat.

„ E contra Dn. Episcopus ab Comite *Adalberto* simili firmitate suscepit in loco qui vocatur *Lantbertesrieod*, quem *Adalbertus* „ a Lantberto precio redemit ad domum S. Mariae totum et integrum quod illic habere videretur . . . . ut teneat atque „ possideat unde et duas chartas pro commutatione pari tenore „ conscriptas inter se fieri iusserunt, ut coram manibus praesentium et futurorum ostendat, ut quicquid alter ab altero suscepit etc. „ actum est 14. Kal Iunii anno incarnationis Domini 853. Ind. XIV. „ anno Hludow. Regis in orientali Francia XVIIII.

Viden Adalbertum Comitem largientem praedium in Lantbertesrieod, quod a Lantberto redemerat? at si redemit, consequens est praedium illud aut ab ipso aut a Maioribus ipsius aliquando possessum, itemque alienatum fuisse. Sed ne nimis urgere videamur sensum vocis *redemit* proprium, subiungimus huic cartae aliam, ex qua disci potest *Adalpebrtum* in eodem loco *Lantpertesried* patrimonium ingens habuisse; addimus cartam sequentem.

„ b. Placuit atque conuenit inter Erchanbertum Episcopum, „ Venerabilem virum Frigisigensis Eccl. nec non et quemdam „ Comitem nomine *Adalperbt* ut aliquas res . . . commutare de- „ berent . . dedit itaque praedictus Erchanbertus . . . Eidem „ *Adalberto Comiti* ad suum proprium ad habendum in villa quae „ dicitur *Vperacha* prope fluuio *Meisaba* in monte qui dicitur ad „ *Pernwines ecclesiam* ipsam Ecclesiam cum domibus etc.

„ Et

b) ibid. 693.

„Et e contra in recompensationem huius rei dedit memoratus „ Adalbertus ex *suo proprio* suprad. Erchanberto in loco qui dici- „ tur ad *Lantperhtesreode in Confinio Hosiorum* curtem cum domo etc. „ unde et duas commutationes pari tenore etc.„ Indictione I. Anno itaque 855. Erchanbertus et Adalbertus Comes pro communi utilitate et compendio res mutarunt in iisdem locis sitas in quibus sitae erant eae quas anno 853. mutauerant. Habuit igitur Adalbertus in Lantberthesried praedium proprium quod non redemerat a Lantberto. Hic vero locus situs fuit in *confinio Hosiorum;* Ista quidem situs indicatio mira videri posset, utpote inusitata et parum circumscripta, nisi Adalbertus in diuersa omnino regione et Comes fuisset et praedia praecipua habuisset.

Interim constat *Adalberto* siue Adalperhto Comiti patrimonium fuisse partim in *Lantberhtesried*, quod auxit redempto praedio a Lantberhto, minuit vero bis in gratiam Episcopi; partim ad *Meisabam* fluuium quod bis auxit, et in *Vperacha*, vico hodieque noto, haud longe Dachawia, quod auxit quoque: Nam utraque commutatio facta est *pro communi utilitate et compendio.*

§. III.

Nemo, opinor, iam negabit *Adalperht* nostrum *Comitem* eundam esse qui anno VIIII. Hludowici [a] Imperatoris Indictione I. anno aerae nostrae 822. vel 823. sedit inter Comites qui Adalhareshusam conuenerunt ad dirimendam litem, cuius autor et reus maxime erat Adalhardus *vir Hosus* et *Adalhareshusanus.* Octauo tunc loco nuncupatus fuit *Adalbertus*, post eum Reginhart et Orendil Comi-

a) ibid. 470.

Comites. At anno eodem 3. nonas aprilis [b] cum Cotafrid et Hatto (Miſſi dominici) placitum haberent, ſolemne in Ergeltinga, ita recenſentur Comites XII. qui aderant ut *Reginbart* ante *Adalperht* locum haberet, *Orendit* vero omnino abeſſet.

Illa ſunt monumenta quae de Adalberto Comite nobis ſubminiſtrant Codices Friſingenſes. Semel teſtis adhibetur ab Antonio Adalhareshuſano. Semel ſedet in placito Friſingenſi cum Ratoldo Comite, bis eodem anno intereſt publico conuentui, bis paciſcitur cum Erchanberto epiſcopo; ut utilitati ſuae conſuleret et praedia auita in *confinio Hoſiorum* ſita in meliorem ordinem redigeret.

Etſi vero coniunctum ipſum viderimus cum Ratoldo; etſi oriundum ex pago Hoſiorum, ubi bona habuit, recte hallucinemur, fruſtra tamen inde conficies comitatum illi ſuum fuiſſe in pago Hoſiorum; quin potius cum monimenta copioſiſſima adſint de locis in hoc pago ſitis, de rebus in eo Adelberti aeuo geſtis, quorum haud ullum Adalbertum praedicat, ex ſilentio quod miramur, argui poteſt, Adalbertum apud Hoſos Comitem non fuiſſe.

Hic igitur ſubſiſtere cogeremur, niſi aliunde ſciremus quis haeres Adalberti fuerit; ſciremus quoque quem ille Comitatum habuerit, ſiue pagum rexerit.

§. IV.

Nec eo rurſus redit quaeſtio, utrum Comitatus tunc temporis haereditarii fuerint, nec ne. Quodſi enim probauerimus haere-
dem

b) ibid. 434.

dem Adalberti, fucceſſorem quoque eius in Comitatu fuiſſe, dubitandum amplius non erit, quin et filius ipſius fuerit: nouo itemque egregio exemplo Comitatus ſi minus iure, ſaltem facto in filium transmiſſi.

Sed cum eo redierim, ut de ſucceſſione in Comitatus dicerem, addam nonnulla, quae mihi exciderunt ubi de hoc argumento diſſerui.

Centenarii magiſtratus erant, ut Comites, quamuis dignitate impares; nemo itaque hoc officium magis haereditarium facile crediderit, quam Comitum miniſterium.

Scimus tamen Centenarium Deothartum, quem ſupra plus vice una nominauimus, a. patris ſucceſſorem fuiſſe.


„ Anno 6° Hludowici Imp^is Ind. XIII. (anno 819. v. 820.)
„ Duo fratres Erchanhart et Cartfrid tradiderunt aruum adiacens
„ monti Frigiſienſium, ipſum vero aruum ab anteceſſoribus eorum
„ traditum iam fuerat temporibus Taſſilonis Ducis. Sed propter
„ negligentiam et ſtultitiam praedictorum fratrum, magis autem
„ propter iracundiam *Engilberti centinarii*, quam ipſe erga hanc
„ ſanctam domum, proh dolor! ſemper habuit, inveſtitura pro-
„ craſtinata fuerat, anno tandem ſupradicto, inſtigante diuina gra-
„ tia, *Deothardus filius Engilberti* emendare ſtuduit quod pater illius
„ in hac re deliquerat, vocauit iamdictos fratres, illosque ammo-
„ nuit ut reſtaurarent iam dictam traditionem Erchanhart, decum-
„ bente fratre, a quo etiam enixe rogatus fuit, ut id viuente ſe
„ faceret, ſolus adiit Epiſcopum, quo annuente dedit praedictum
„ aruum eccleſiae, *cum licentia atque permiſſione* vel etiam ammoni-
„ tione ſui Magiſtri *Deotharti Centinarii*.

a) Meichelbeck 404.

Hic: maxime animaduertendum eſt, Engilbertum regnante Taſſilone Centenarium fuiſſe, autore videlicet dignitatis ipſo Thaſſilone, filiumque eius, cum iam annos ſex regnaſſet Ludowicus Pius eodem officio functum; adeo nihil mutatum eſt in Baioaria a Regibus Francorum, cum ipſam in prouinciam redegiſſent.

Obiter notabo Engilbertum Centinarium eumdem eſſe videri, qui ſub Attone Epiſcopo [b] dicitur *Engilberht vicarius*, quique nonnunquam inter teſtes recenſetur omiſſo plane titulo, [c] ita vero ut videatur fuiſſe ex familia Adalhareshuſana, [d] fratremque Friduperhti presbyteri et Paponis filium, Waltilae patruum ex Papone Tuti vel Tutonis vel Toatonis: in quos viros ſi inquirere vacaret, non pauca mihi ſubminiſtrarentur exempla, quibus magis atque magis conſtaret de noſtra circa ordinem et praerogatiuam teſtandi opinione.

Addo Deothartum, ut plurimum omiſſo Centenarii axiomate nuncupari: adeo vix nulla ratio habenda eſt omiſſorum titulorum. At ne quis credat temere me in ius publicum illius aeui excurſionem feciſſe, cum pronunciarem *Engilbertum vicarium* eumdem eſſe, qui alias *centinarius* dicebatur; addo, Deothartum, qui centinarius erat, teſtem cum *Luitpaldo* Comite notari his verbis: [e] DEOTHART VICARIVS DOMINICVS. Quid quod [f] Engilperhtus *Scultheiſus* quoque vocatur.



CAPVT

b) ibid. 250.
c) 254. 259.
d) 258.
e) 305.
f) 130.





CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS.

Adalbertum Comitem anno 819. *Dominum fuiſſe praedii Seonenſis , quod ſub Carolo M. ad fiſcum regium pertinebat , probatur. Idem Adalbertus Comes paciſcitur cum Arnone Archiepiſcopo Salisburg. de rebus in Haslach. Cur in eam regionem migrauerit Princeps Hoſius? inquiritur, probaturque Adalbertum praefectum fuiſſe limiti orientali Baioariae, et obiiſſe ante annum* 822. *Hinc ſequitur duos Adalbertos diſtinguendos eſſe ; primus qui et Marchio creditur filius Alprati Comitis , frater Luitpaldi Comitis.*

§. I.

Probabo iam *Aribonem* quendam *Comitem* praedia nactum eſſe eadem quae in *confinio Hoſiorum* poſſederat Adalbertus ; probabo etiam eumdem Aribonem in *Trungowe*, poſteros vero eius in *Salzgowe* quoque Comites fuiſſe, illicque dominatos eſſe ubi monaſterium *Seonenſe* eſt fundatum.

Si ex poſterioribus ad anteriora aſcenſus datur, hallucinari ſaltim licet Adalbertum, cuius haereditatem apud Hoſios creuit Aribo, illic quoque Comitis officio functum fuiſſe, ubi certo certius functus eſt Aribo. Hoc ego ipſe, fateor, ne ſuſpicatus ſum quidem olim, primaque mihi ſuſpicio orta eſt, cum forte fortuna relegerem diploma quo Ludouicus Rex monaſterio S.

 Micha-

Michaelis, ad *Maninseo*, contulit locum a. nomine *Aparanisseo*, postulante Landberto Abbate „ S. Emmeramensis *intercedentibus Ernosto et* ADALPERTO. Dedit quoque forestem Ludouicus *Rex*; cuius terminos claudebant alibi Iscula *ubi* in *Trunam* „ cadit, alibi *Wizinpab* ubi *in* Atarseo vadit, alibi denique alius „ *Winzinpab usque* dum ipse in *Trunam decurrit.* „

Agnoui tunc Comitatum ad Trunnam seu pagum Trungowe dictum, nec dubitaui fere quin hic Adalbertus, qui intercessit pro monasterio ad *Mannsee* siue Lunae lacum, idem esset cuius Aribo apud Hosios haeres fuit. Verisimile enim saltem erat, Adalpertum non intercessurum fuisse, vel etiam non audiendum, si actum fuisset de re aliena et ignota. Illa donatio facta est in Rantesdorf, siue Rantshouen, quae villa regia erat in eodem fere tractu, anno Domini 829. Dubitaui tamen; quia nec Adalpertus Comes dicitur in diplomate, nec comitatus eius nuncupatur.

Postquam vero *Adalpertum* nostrum Comitem eo ipse tempore vixisse deprehendo, scrupulus omnis amouetur, assererеque audeo *Adalpertum Hosium* pro monasterio Mannseensi Intercessorem ideo egisse, quia situm illud erat in pago Trungowe, ubi ipse ceu Comes dominabatur.

§. II.

Redii itaque cum noua spe ad Codices meos Frisingenses a. ibique reperi „ hominem qui dicebatur *Vo*, antequam se moue„ ret in hostes, venisse Frisingam, ibique tradidisse S. Mariae „ quan-

a) Anamodi Lib. 1. Trad. S. Emmer. c. 7. Pez. Thesaur. Tom. 1. P. III. col. 205.

a) n. 398.

„ quantumcumque ipse et uxor sua Hiltipirc habuerunt *de illa tra-*
„ *ditione* quam eis *Adalpertus fecit* in loco nominato ad *Sevvon*, ea
„ tamen ratione dedit, ut si in illo *Comitatu* vitam finiret, eodem
„ die praedium ad Domum S. Mariae pertineret, si autem inde
„ veniret, tunc fuisset in sua potestate. „

Quis vero *Adalpertus* ille esse potuit qui praedium militi daret in Seuuon, ita ut proprium esset; nisi is ipse qui limitem tuebatur, qui Dominus erat *Seonensis*, quique agros strenuissimis quibusque largiebatur, ut commilitones quam plurimos praesto haberet.

Ne tamen crederemus *Sewon* illud eumdem esse locum qui hodienum quoque ita nuncupatur, obstarent recentiores; si fides habenda esset asserentibus antiquitus, castrum Burgili dictum fuisse locum in quo postea *Seonense* monasterium exstructum est. Verum enim vero hinc neutiquam sequitur villam *Seon* extitisse nullam, antequam Coenobium *Seonense* excitaretur; quandoquidem imminere potuit villae Seon castrum *Burgili* quod deinceps in monasterium mutatum est.

Constat saltem ex alia charta b) anno 3. Ludowici Imp. Ind. VIII.
„ *Leidratum presbyterum* tradidisse propriam haereditatem suam in
„ loco ad *Seun*, actumque id esse 13 kal. Ianuarias; eodem ve-
„ ro die *Sigifridum* presbyterum de genere Saxonum, sed cui
„ domnus *Imperator, Karolus* beneficium in sua Eleemosyna con-
„ cesserat in *Bajoaria*, in eodem *supradicto* loco ad SEVN, tradidisse
„ praedium proprium quod propria pecunia comparauerat.

I 3 Cer-

b) Ibid. n. 340.

Certum eſt igitur locum Sevn hoc nomine iam tempore Karoli Magni veniſſe, tuncque partem fuiſſe fiſci publici. Quod cum ita ſit aſſerere fere poſſumus, id praedium a fiſco regio lapſu temporis auulſum ceſſiſſe Adalbert Comiti, hunc vero coloniam *Hoſorum*, militumve ex pago, unde ipſe oriundus erat eo deduxiſſe iisdemqne agrosdiſtribuiſſe: quorum ex numero Vo in expeditionem profecturus, religioni domeſticae morem ut gereret, Friſingenſi Eccleſiae obtulit praedium ab Adalberto ſibi conceſſum.

§. III.

Haec omnia omnino ſupra coniecturam eſſe videntur. Deſiderari tamen poſſunt adhuc probationes, quibus conficiam 1º Adalbertum Comitem deguiſſe et praedia habuiſſe in tractu ad *Trunnam*. 2º Eundem aliunde oriundum fuiſſe, ad Trunam vero amandatum ut limitem tueretur.

Spero fore, ut mihi aliquando detur monumentorum Salisburgenſium uberior quam quae praeſto eſt ubique copia: ex iis que eruere argumenta, quibus ſatis fieri queat viris dubitandi auidiſſimis. Si contigerit, quae ſpes mihi nondum excidit, ut impetrem aliquid, antequam hoc opus luci publicae ſubiiciatur in calce huius libri, vel totius quoque operis, exponam religioſe quicquid erit, ſiue ſententiae meae inſeruierit, ſiue contradixerit. In praeſentia utar unius Caniſii induſtria; neſcius an alibi reperiatur quidquam quod huc pertineat.

In notitia, quam Arno Epiſcopus Salisburgis ſolemniter conſcripſit *cum conſenſu et Licentia Domini Caroli piiſſimi Regis eodem an-*

no quo ipse Baioariam regionem ad opus suum recepit, ne verbum quidem est de Adalberto comite, aut de quoquam qui ad *Hosos* pertinere videatur. Soli Comites nuncupantur Grimbertus, Guntharius, Iumino, Duno.

Secus est in *notitiis breuibus donationum quas Christiani homines sedi Salisburgensi dederunt pro animabus suis*, quaeque circa annum 1186. erutae sunt ex chartulario, ut videtur, Salisburgensi. b.

Et ita profecto contingere debuit cum Adalbertus comes nonnisi post initium saeculi noni Coloniam *Hosorum* ultra Oenum deduxerit.

Scriptor ille breuium notitiarum exordium facit a largitionibus quibus Duces Bauariae Agilolfingi ditauerunt Ecclesiam Salisburgensem c. recenset deinde eas quas tempore Pippini et Thassilonis fecit Gundharius Comes in pago *Chiemingen*, idem de quo agitur in notitia Arnonis. Hadeburga uxor Guntharii videtur ex pago Hosiorum aut vicina regione oriunda fuisse, cum haereditatem suam habuerit in *Augustkou* ad *Duringueld*.

Memoratur post Guntharium Grimbertus Comes qui dedit in Papinga.

Referuntur denique ad Arnonis Archiepiscopi tempora, largitiones sequentes d. *Donatio* ALBERTI COMITIS fuit ad *Lutra*, et Do-„ natio *Reumberti* (siue Regimberti) Comitis pro se et fratre suo „ Norperto et complacitatio eius. De Norberto intelligo quae paulopost adducuntur e. „ *Arno Episcopus* concambiauit cum NORBERTO

a) Canis. lect. ant. edit Basn. Tom 1. p. 454.
b) ibid p. 456.
c) Loc. cit. p. 468.
d) p. 471.
e) p. 473.

TO et *Irinbardo* quod habuerunt ad *Holzbuff fupra* Dizzen, et dedit eis aliud ad *Holzbuff.* Ab argumento forte meo difcedere videor cum id annoto, fed aut fallor, aut hi fratres Hofi fuerunt.

Quod reliquum eft de Adalberto ita fcripfit compilator notitiarum: f.

„ *Concambium factum eft cum* ADILBERTO COMITE, *deditque* „ *Idem Comes Arnoni Epifcopo* ad *zilarn*, *quod ad Heribertum virum* „ *nobilem conquifiuit et accepit ab eo*, *ad* HASELACH, Ecclefiam *et man-* „ *fum unum cum aliis rebus* fuis. Qui locus hic *Hafelach* nuncupatur, idem eft opinor, qui in eodem capite dicitur *Raitnhaslach* hodie Abbatia Raitahaslach in fuburbio Burchufano, aut fi mauis, vicus hodieque Haslach dictus exiguo interuallo a Traunftein diffitus.

Nunc igitur certum eft *Adalbertum* Comitem, cum adhuc viueret Arno Archiepifcopus, praedia habuiffe illic ubi Aribo marchio et eius pofteri potentiffimi fuerunt.

At cum notitiam Arnonis perluftrarem animaduerti, Agilolfingos Duces ingentia praedia in hoc tractu habuiffe, in Salzgowe fcilicet Trongowe et Mathagowe. Vnde elicio, data fuiffe fpolia infaeliciffimae gentis pleraque genti faeliciori, quae poft eam prima fuit apud Baioarios.

§. IV.

Poftquam probauero, quod breui continget, Aribonem Haeredem *Adalberti* Adelberto in Trungawienfi Comitatu quoque fucceffiffe: dubitatio obftinata erit eorum qui negent adhuc *Ari-*

bonem

f) p. 474.

bonem Adalberti filium fuiſſe ; proterua audacia eorum qui negabunt, utrumque ex gente Hoſia originem duxiſſe.

Sed conſulendum eſt iis qui mirabuntur, virum Hoſium trans Iſaram et Oenum lares mutaſſe, eoque coloniam deduxiſſe, ubi maiores aut nihil aut anguſtas res habuerant.

Mutationem haud exiguam in eo tractu de quo agitur contigiſſe ex eo iam argui poteſt, quod Carolus Magnus beneficium ad Seun contulerit viro Saxoni, ibidemque poſtea praedium dederit Adalbertus Voni militi, qui in Comitatu eius merebat.

Si vel maxime credas, antiquitus in eodem tractu poſſediſſe nonnulla *Adalbertum*, acceſſiſſe tamen praediis eius praedium ingens, cuius partem conſtituiſſe credo fiſcum Seonenſem, mihi facile concedes.

Migrationis itaque veſtigium deprehendimus primum, nec id leuiusculum, praeſertim ſi meminimus in notitia Arnonis nihil reperiri quod ad Adalbertum aut eius auos pertinere videatur. Cauſam igitur migrationis idoneam ſi detegimus, confecta res eſt.

§. V.

Laudaui iam ſcriptorem vetuſtum cuius lacinias exhibet Oefelius, ab Auentino collectas: is vero, quem Auentinus legerat, ſcriptor, ſua mutuatus eſt ab alio ſcriptore, qui tempore Adalwini Archiepiſcopi vixit, adeoque circa annum 866.

„ Arno, inquit ille, iuſſu Caroli prouinciam Carintanam cano- „ nice inſtituit . . . Creuerunt Sclaui et Bagoarii, Hunnorum res „ attritae ſunt poſtquam Arnoni commiſſa fuit prouincia. Primus „ confinii Comes conſtitutus eſt Goterammus, ſecundus Wern- „ hardus, *Tertius* ALBERTVS, quartus Gotefridus, quintus Ge- „ roldus. Interim dum illi Comites occidentalem procurabant „ plagam, aliqui Duces habitarunt in illis partibus ad Epiſcopium „ Iuuauienſe pertinentibus, qui Comitibus praefatis ſubditi ad „ ſeriutium Imperatoris. etc. „

Nemo forte id leget quin credat, quinque illos Comites alium poſt alium curam ſuſcepiſſe confinii orientalis, Hunnis oppoſiti: *Geroldum* vero eumdem eſſe cum Geroldo Baioariae Praefecto.

Quod ſi ita eſſet, cum ſciamus ex monumento Friſingenſi a. Coroldum, ſiue Keroldum Comitem anno jam 794. rebus in Baioaria praefuiſſe, beneficia ibidem habuiſſe, limitemque orientalem tutatum eſſe, Hermannus vero Contractus nos edoceat anno 799. „ *Geroldum Praefectum Baioariae, Signiferum Caroli, pium et religioſum, contra Hunnos pugnantem occubuiſſe, Augiaeque, quam multis* „ *auxerat donis* et *praediis, ſepultum eſſe* „ cum, inquam, id omne ſciamus, dicendum foret intra quatuor qui 796. Am quo prouincia Ammoni commendata fuit, ſequuti ſunt annos, quatuor Comites limitem rexiſſe orientalem, quod tamen vero vix ſimile eſt, nec facile concedetur ab iis quibus merito perſuaſum haeret, Geroldum et Baioariae et limiti orientali praefectum fuiſſe ſtatim atque Taſſilo exauctoratus eſt. Quodſi autem ut hanc difficultatem eluctemur, dicere velimus, inuerſo ordine recitatos fuiſſe Comites confinii Baioarici,

a) n. 111.

ioarici, non minoribus obſtaculis laborabimus, quae nobis faceſſent monumenta illa, quibus Comites, a ſcriptore Salisburgenſi recitati, ad unum omnes inſcripti deprehenduntur.

§. VI.

Extant apud Friſingenſes litterae b. quas iam laudaui, anno 802. ſcriptae, quibus nuncupantur *Cotebram* Comes, *Adalpebrt* Comes. In aliis c. anni 806. notantur Miſſi Dominici, cum Arnone, Aduluino Epiſcopis et Audulfo, *Werinbarius* et *Cotefretus* Comites, inter teſtes Otolf Comis, *Werinberi* Comis, *Cotefrid* Comis, quem ſequitur, ut alias monui, *Adalperbt* Comis; conuentus habitus eſt apud Otingas.

Apud Anamodum d. reperio vixiſſe anno 822. *Cotafridum* (*Principem virum*) *qui vaſſos habebat.*

Mirum ſane foret forte fortuna contigiſſe, ut quatuor Comites, ab iis quos nuncupauit Salisburgenſis ſcriptor, diuerſi, eodem prorſus tempore quo iſti vixiſſe debent, eadem quae iſti nomina gererent, ſe inuicem ordine eodem exciperent, illicque placito intereſſent, ubi maxime conuentus ſuos habere debuerunt confinii orientalis Comites.

Quae cum ita ſint conſtat mihi, aut erraſſe ſcriptorem Seculi IX. quod tamen minus credo, aut Geroldum illum quem nuncupat diuerſum fuiſſe a Geroldo Baioariae Praefecto. Accipe, Lector, quod res eſt. Anno demum 799. cum occiſus iam eſſet Geroldus, dati ſunt noui cuſtodes limiti orientali. Primus eorum

 ni

b) 118.
c) 122.
d) Lib. I. c. 81. ap. Pezium Anecdot. tom. I.

ni fallor fuit *Goterammus* vel *Cotebram* Comes, cui circa annum 805. suffecti fuerunt *Werinbarius* et *Cotefretus* Comites, additus fuit *Adalbertus* aut statim, aut nonnisi post annum tertium Ludowici Imperatoris.

Ante hunc enim annum nihil reperio, quod indicet Adalbertum confinio orientali praefuisse, praesertim cum Arno Archiepiscopus non obierit ante annum 821. Hoc enim unum de Adalberto huc usque constat, Dominum fuisse eum et Comitem in pagis ad Sallzam, cum Arno adhuc viueret, et praedium in *Sewon* dedisse Voni ante annum 820. quando quidem hoc anno Uo dedit idem praedium Ecclesiae Frisingensi.

At illa omnia confusa manebunt et indigesta quamdiu non demonstrauerimus *Geroldum Comitem* vixisse *trigesimo* ad minimum anno post initium saeculi noni; ad illud vero demonstrandum iam nosmet accingimus.

§. VII.

Annal. Franc. Reuber. ad an. 826 memorant Geroltum Comitem Avarici limitis custodem & Collegam Baldrici Ducis foroiuliensis in tuendis finibus

Aut toto coelo errauit scriptor Salisburgensis, aut de *Geroldo totius Baioariae Praefecto* ne verbum quidem dixit, cum vero ita errasse virum fere coaeuum ne suspicari quidem liceat, asserimus *Geroldum* quem memorauit Comitem eumdem esse qui coaeuus fuit Baturici Episcopi Ratisbonensis.

Qui ~~Hic anno~~ sedem episcopalem adeptus est anno 814. vel 816. adeoque quintodecimo postquam obierat Geroldus Praefectus; at Ellinhardus Diaconus iussu Domini sui Baturici Episcopi

copi ſcripſit litteras [a] de re acta *coram Wichelmo Miſſo Comitis Geroldi; actum fuit* 8º *Idus martii feria tertia in Quadrageſima;* haec nota temporis, quantumuis manca ſit docuit me annum rei actae: nam feria illa tertia, ſine Hebdomadis mentione notata, tertia eſt feria, hebdomadis primae *in quadrageſima*, ſeu prima dies martis in quadrageſima. At vero coniuncta fuit haec feria 3. cum octauo die menſis martii: ſequitur inde, Paſcha tunc incidiſſe in diem nonum aprilis, quod quamdiu vixit Baturicus, non contigit, niſi anno 836.

Hoc igitur anno vixit *Geroldus quidam Comes*, qui *potuit* adeo *quintus praefici confinio orientali*, ut ait Scriptor Salisburgenſis.

Succeſſerat Geroldus ille *Gotafrido* quem ſcimus vixiſſe et Comitatum geſſiſſe iam Aº 806. Ex Anamodo autem ſuſpicari licet, eum, *Gotafridum* puta, limiti Carentano A. 822. demum praefectum fuiſſe. Exciderat nobis fruſtra quaerentibus alia, Anamodi carta [b] ex qua ſequentia notabimus: „Rihpaldus Abbas et amita „ eius Deotlind tradiderant S. Emmeramno res proprietatis ſuae „ ad *Phetarah et lupinpah* et ad Ahu; Petieratque Rihpaldus a nepo„ tibus ſuis Engilmone et Iſandeone, ut factum ratum haberent, „ quod renuerunt reſque datas mortuo Rihpaldo vendicarunt, repe„ tiit vero eas *Baturicus* Eps. *in mallo publico ad Phetarah* coram *Co„ tafrido Comite.* Poſtquam autem obtinuiſſet eas Epiſcopus lege „ cogente, Ingilmo et Iſandeo, veſtitura facta, petierunt ut illae „ ipſis in beneficium darentur: quod et conceſſit Baturicus. „ Actum eſt hoc ad Reganaſpurc Aº 822.

K 3 Paulo

a) Anamod. Lib. I. c. 69. ap. Pez. l. c.

b) Lib. I. Cap. 67.

Paulo aute in alio mallo publico alia restitutio facta est itidem ante *Cotafridum Comitem.*

Constat itaque Gotefridum Comitem vixisse A° 822. At Luitpaldus noster Comes in *Pheteraba iuxta fluuium eiusdem nominis* Comes fuit eodem anno. Non fuit igitur ibi ordinarius iudex *Godefridus*, sed Missi Dominici impleuit munus, quod cum tutela limitis utplurimum fuit coniunctum. Et reuera A° 822. vel 823. *Cotafrid missus* dominicus erat primusque in Baioaria magistratus, quippe qui praelatus fuit [c] *Hattoni* certissimo *Misso* in conuentu numerosissimo in *Ergeltinga.*

§. VIII.

Quod cum ita sit, integra stat huc usque scriptoris Salisburgensis fides. *Geroldus*, qui quintus *confinio* praefuit, vixit adhuc A° 836. quae res acta est coram ipsius *Misso* seu Vicario. *Gotefridus*, quartus confinii Comes, vixit floruitque A° 822. habuitque Vicarium Iobum. *Adelbertus* ergo, quem tertium dixit *confinii comitem*, noster Salisburgensis, ante A^m 822. tutelam limitis gessit omnino et defunctus est. Scimus autem eum ipsum Seonensi praedio gauisum esse ante A^m 819. Sed non nisi hallucinamur, illum eousque vixisse. Si tempus rogas, quo confinio praefectus est *Adelbertus*, constat A° 808. superstitem adhuc fuisse Goderamnum limitis praefectum primum; cum ergo ipsum exceperit Werinharius, Werinharium denique Adelbertus, conficitur inde, vix ante A^m 810. Marchiam orientalem contingere potuisse Adelberto: Werin-

c) Meichelb. n. 424.

Illustris autor plane oblitus est testimonii gravissimum Aßonem, qui in Annal. Francorum ad 826 apud Reuberum p. 75 inquit: Carolus Bertricum palatii Comitem ad Balderichum & Gerholtum Comites & Avarici limitis custodes in Carantanorum provinciam misit. — Affuerunt & in eodem conventu Moguntiaci Baldericus & Gerholdus Comites ac Pannonici limitis praefecti ad an. 828 p. 77 Baldericus etiam Dux Foroiuliensis, cum propter eius ignaviam Bulgari fines Pannoniae superiori impune vastassent, honoribus privatus, & Marca inter quatuor comites [illegible]

Huius Balderici decessor fuit Cadolaus Comes et Marcae Foroiuliensis [illegible] Vide Astro[illegible] ad an: 81[illegible] an. 815 [illegible] correcte fuit 819 eique Baldricus successor, qui fuerat [illegible] contra Danos

Werinharium circa Am 808. fucceffiffe Goderamno qui ipfe occifo A. 799. Geroldo Baioariae praefecto, in limitis cuftodio tunc forte fuffectus eft cum *Audulfus* fuper prouincia Baioriariorum tam potenter et honorabiliter a pio Imperatore Karolo poteftatem acciperet, hanc prouinciam prouidere, regere et gubernare [a].

Haec omnia in tuto collocant fidem Salisburgenfis noftri Canifiani, quam ulterius faluabo cum de Marchia orientali ulterius erit agendum.

Sic conftat Adelbertum Hofium tempore Arnonis Archi Epifcopi circa Am 810. confinii Orientalis Comites renunciatum, fed ante A. 822. rebus humanis ereptum fuiffe.

Recte igitur ftatuimus libro fuperiore, Luitpaldum Comitem ipfi prorfus non fucceffiffe: recte hallucinati fumus eum Luitpaldi fratrem, Alprahti Comitis filium fuiffe: recte afferuimus ipfi Comitatum in *Trungau*, quem pofteris reliquit.

At vero pro certo habendum eft, *Comitem Adalbertum* qui cum *Cotramo Comite* iam A° 802. memoratur, ac A° 822. fucceflorem iam habuit in Comitatu Orientali, eundem nequaquam effe, quem vidimus A° 853. mutationem facientem cum Erchamberto Epifcopo. Hunc vero eundem effe potuiffe qui A. 822. et 823. placito Adalhareshufano interfuit ordine octauus, decimus vero placito ad Ergeltingam.

Iam vero probandum nobis quam maxime incumbit, Aribonem Comitem, haeredem fuiffe Adalberti A. 822. defuncti, ipfi-


a) Meichelb. n. 373.

ipſique in Comitatu Trungauienſi, intermiſſo tamen annorum plurium ſpatio, ſucceſſiſſe.

Laudabis interea Lector Stemma, quod in calce Capitis IV. Libri I. ita ſtruximus:

Alpraht Comes 765-802.

Adelpreht, ſeu Adelbertus Comes 802-820.	Luitpald Comes 807-837.



CAPVT

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS.

Adalberti II. Comitis aetas, Comitatus et praedia. Aribo Comes quoad aetatem eius filius esse potuit. Praedia utriusque, eadem omnino fuerunt: Comitatus quoque idem. Ex eo quod Aribo haeres fuit et successor Adalberti II. arguitur eiusdem filius fuisse. Hosorum Principum genealogia.

§. I.

Duos fuisse Adalberhtos Comites probare superfluum est, cum vero absimile sit, eumdem qui magistratum maiorem gessit anno 802. gessisse alium adhuc anno 855. Quin et ostendimus ex scriptore Salisburgensi anno iam 822. Adelberti marchionis vices suppleuisse Gotefridum, obiit itaque vel occubuit circa annum 821. *Adalbertus I. confinii orientalis, Trongouiae, Salzgowiae Comes, Seonensis et Haslacensis Dominus.*

Anno vero 822. iam comes legitur in iisdem locis, praeterquam in confinio, Adalbertus qui patris nomen, ut solemne tunc erat, gessit et Adalhareshusano conuentui interfuit eodem anno. Idem est ille quo intercedente Ludowicus Rex anno 829. largitionem fecit monasterio *Manseensi*: unde liquet, eum in hoc tractu Comitem fuisse ut fuerat pater Adelbertus I. Testimonia de hoc Adalberto recensuimus omnia quotquot supersunt; nisi quis ad eum referre

velit ea quae reperiuntur in vita Aldrici [a] Episcopi Cenomanensis, *qui ex matre partim Bauarus erat, partim Alamanus*, scilicet Iudicio Aquisgrani lato anno 838. interfuisse, testemque adhibitum esse *Adalbertum Comitem.* De nostro haec eo libentius acciperem, quod alios Comites Baioarios complures cum eo legere mihi videor, *Radulfum* nempe, quem puto Ratoldum itidem nostrum, Herbertum, siue Heriperhtum, Audulfum, filium Audulfi Bauariae Rectoris, qui patre defuncto cum Keyla matre lares fixerat in Baioaria, *Troandum* vel *Droant*, Rumaldum vel Rumolt, ex monumentis Boicis nobis notos.

Adeptus Comitatum anno 821. Adalbertus, anno 855. vigere adhuc potuit, et supra sexagenarium non esse. Coniunctus fuit cum Ratoldo in placito Frisingensi anno 843. quia, ut dicebamus, consanguineus eius fuit. Addimus nunc originem ipsum duxisse ab auo, qui Comitatum Frisingensen administrauerat, si recte hallucinamur a Liutpoldo quoque auus agnoscebatur. Addimus iterum primatem apud Hosios fuisse, ut ex eius praediis in *confinio Hosiorum* sitis arguimus.

Hallucinamur denique Ratoldum et Adalbertum patrueles fuisse.

Nihil de Adalberto Comite subministrant nobis Frisingenses, post annum 855. plura forte suppeditabunt Salisburgenses, si tandem aliquando contigerit minus tenaces aut opum suarum negligentes esse. At mirum nemini videbitur, ieiuna et pauca esse apud Frisingenses monumenta virorum, qui res suas praecipuas, suam sedem, Comitatum suum ad Saltzam et ad Trunnam fluuios habuerunt.

§. II.

a) Recueil des Hist. D. M. Boucquet. Tom. VI. p. 299.

§. II.

Fruamur interim eo quod nobis ſubminiſtrant Friſingenſes.

Praeerat iam Eccleſiae Friſingenſi Arnoldus, qui hanc prouinciam ſuſcepit anno 875. reliquit vero cum vita anno 883: viginti et quod excurit anni effluxerant ex quo Adalbertus Comes praedia dederat receperatque in confinio Hoſiorum et in locis *Lantperbtesried*, *Vperacba* et *Berniuuenteskiricba* vel Eccleſia, nam ita vertebantur nomina.

Tunc demum facta eſt [a] *commutatio inter Arnoldum Epiſcopum et quemdam Comitem nomine Aripo.*

„ *Dedit* itaque praedictus Ven. Epiſcopus eidem *praetitulato* „ Comiti ex parte Eccleſiae ſuae in *proprietatem* habendum in lo- „ co qui dicitur *Lantpertescella* curtem cum domo aliisque aedi- „ ficiis. De arabili terra Hobas 10. 3. de ſylua Iugera 101. de „ pratis carradas 36. et e contra *in* recompenſatione illius rei de- „ dit praeſcriptus *laudabilis* Comes vener. Epiſcopo ex parte „ proprietatis ſuae ad Eccleſiam retinendum loco Mosaha nomi- „ nato curtem etc. in alio namque *loco* qui vocatur *Purinloh* idem „ Comes dedit *de ſylua* etc. ac locum opportunum Molinam *fa-* „ *ciendum.* In tertio nempe loco qui dicitur *Pritilinpah* dedit cur- „ tiferum unum etc.

Si vel maxime, ex ſolis locis, de quibus actum eſt in tribus mutationum litteris, quas exhibuimus, eliciendum foret Aribonem haeredem fuiſſe Adalberti noſtri, ita ſane ſita ſunt illa loca, ut vix dubitari poſſet de hac quam probare contendimus uc ceſſione, praeſertim quando probauerimus Aribonem illic quoque

 Co-

a) Meichelbeck n. 863.

Comitem fuiſſe, ubi fuerat Adalbertus. At enim vero una inſtar omnium eſſe poteſt villa illa, quae *Lantpertesried* vel *Lantpertescella* verſo nomine dicitur;

Adalbertus Comes ſemel auxerat illic praedium ſuum empto agro a Lantberto, bis minuerat, dato agro illo integro Friſingenſi Epiſcopo, et alio agro, quem non redemerat ſed auitum habebat, poſtea *addito*. Aliam rationem iniuit Aribo. Dedit praedia illic fere ſita ubi Adalbertus res ſuas auxerat, auxit vero praedium quod auitum propriumque habebat in Lantpertesried, ſiue Lantpertescella. Si ageretur de homine priuato, veriſimile utique foret eum, qui haberet titulo quocumque praedium in certo loco filium eſſe alterius viri, qui ante 20. annos in eodem loco eodemque titulo praedium habuiſſet.

At ubi de Comitibus agitur, qui ampla praedia poſſederunt vix dubitare fas eſt.

Omnis autem dubitatio obſtinatior erit quam ut nos moretur, poſtquam probauerimus Aribonem ad Trunnam Comitatum eundem rexiſſe quem rexerat Adalbertus II. et. I.

Obiter notabo *Berniuinteschiricam* ſeu rectius *Pernuuines Ecclefiam* reuera fuiſſe Eccleſiam Perneuine, qui *presbyter* et *vir bonus* vixit anno 819. etc. Eccleſiam ſuam habuit quam dedit S. Mariae Friſingenſi [a]. „ *tradidit necnon* iure perpetuo . . . quantumcumque haereditatis ſeu adquiſitionis in pago *Vparucha* in loco „ nuncupato Perc habere viſus fuerat. „. Hinc pars praediorum de quibus actum eſt inter Adalbertum et Erchanbertum, ad Eccleſiam Friſingenſem deuenerat. Addo alicuius momenti id quoque eſſe, quod in eodem loco Moſeha ubi Aribo praedium ha-

a) Meichelbeck. n. 390.

habuit, Antonius vel Antonio ille Adalhareshusanus testis, cui largitionem facienti primus affuit testis *Adalperht Comes*, b. praedium quoque possedit. Etsi igitur consanguinitas Antonii et Adalperhti vel minime agnoscatur, fatendum tamen erit Antonium vicinum fuisse et Adalperhto Comiti et Ariboni Comiti, in *confinio Hosiorum*. At vero cum Antonium et Adalberhtum cohaeredes pronunciare liceat omnino, multo magis asserere ex hoc ipso fas est, Aribonem haeredem fuisse praediorum quae *in confinio Hosorum ante eum* possederat Adalbertus.

§. III.

De Aribonis Comitatu ita constat, ut eum nouerim diu antequam suspicarer eodem gauisum fuisse Adalbertum, noui vero ex *Excerptis diplomaticis* quae exstant apud Oefelium a.

Primum est Diploma Carlomanni Regis anno 876. datum ... quo pagus *Trungowe*, in *quo locus Walabauelt* nuncupatus, dicitur situs in *Comitatu Arbonis Comitis.*

Alterum est diploma Arnulphi Regis an. 888. quo largitur tres Hobas iuxta riuum *Sca Aba*, in COMITATV ARBONIS, quas *Sclaui prius tenuerant*. Riuus quoque *Chremisa* fluebat in pago TRONGVE in COMITATV ARBONIS, *ibi et Newnhofen erat*, *ibidem et Rorbach* anno 892. ut ex iisdem monumentis discimus.

Anno quoque 889. villa Oberndorff dicitur sita in COMITATV ARBONIS.

Chremisa fluuius idem est qui Monasterio celeberrimo nomen dedit, et ad quem situm hodieque est oppidum *Neihofen*.

b) ibid. n. 743.

a) Scriptor. Rerum. Boicar. Tom. 1.

§. IV.

Videbitur forte Comitatus Aribonis, qualem eum descripsimus ex monumentis Passauiensibus, longe remotus ab eo quem adscripsimus *Adalberto* Comiti, ubi nunc est oppidum Traunstein. Videbimur verbis abusi fuisse, cum utramque Trunnam, nam duo sunt fluuii eiusdem nominis, nullo fere discrimine haberemus.

Non negabo, distinguendum forte esse Comitatum *Aribonis* quem adeptus est cum fieret Marchio orientalis, ab eo, quem a Patre acceperat; distinctio tamen ea tanto magis ardua est, quantum nescimus, quo anno Aribo Marchiam aut primum adeptus sit aut omnino amiserit, aut integram recuparauerit; ut taceamus ignorare nos qui pagi ad illam marchiam pertinuerint. Sed si vel maxime omne sciremus, si constaret etiam Chremisam in marchia utique fluxisse; scimus sane haud minus Adalbertum, Aribonis auum, qui marchio et ipse fuit, praedium Seonense et alia bona circa Traunstein et ad Trunnam Bauaricam possedisse.

Vt vero nodum omnem praecidamus, Trunna illa, de qua in diplomate Abbati Monseensi a. 829. *Adalberti* precibus concesso sermo fit, eadem est porsus quam Austriacam Trunnam dicere possumus. Liquet inde tractum, quem irrigat, illa sub tutela fuisse *Adalberti* II. Comitis, qui pater *Aribonis.*

Id autem omnem dubitationem tollere debet, quod mox probaturi sumus, posteros haeredesque Aribonis haud dubios Comitatum suum habuisse in *Salzgowe*, et *Dominos Seonenses* fuisse.

Nihil itaque vetat, quo minus dicamus ab Altera Trunna ad Alteram, a Seonensi oppido ad Chremisanense monasterium, a Traunstein denique ad Newnhofen usque patuisse hunc Comita-

ta-

tatum „ *poſtquam attritae res Hunnorum ſunt et creuerunt eorum rui-* „ *nis Baioarii.* „ Ingens ſane tractus, ſed cuius Amplitudinem nemo inuiderit, qui tractum terrarum quantumuis anguſtiorem at tutiorem nactus fuiſſet.

Certum itaque eſt, *Aribonis Comitatum* eundem plane fuiſſe quem *Adalbertus I. Comes et Marchio* adminiſtrauerat; certum eſt *Adalbertum II.* ad Trunnam utramque circa *Traunſtein*, et ubi Burchuſa condita eſt, late dominatum eſſe, ac praedia in *confinio Hoſiorum* et in *Lantpertesried* poſſediſſe; quae eadem praedia in *confinio Hoſiorum* et *in Lantbertesried* ſita nactus poſt eum eſt Aribo, Adelberti I. in Comitatu ſucceſſor.

Conſtat aliunde, magiſtratus prouinciarum quos geſſerant patres filiis datos fuiſſe, cum praeſto eſſent qui digni hoc munere videbantur praedia vero omnino haereditaria fuiſſe.

Quis ergo ceruice tam dura erit, quin credat ADALBERTVM I. COMITEM ET MARCHIONEM PATREM FVISSE *Adalberti II. Comitis*, *hunc patrem* ARIBONIS COMITIS ET MARCHIONIS?

At vidimus Adalbertum II. ita coniungi cum Ratoldo Comite Friſingenſi, ut Ratoldus ipſe coniunctus eſt cum patre Luitpaldo Comite. Scimus praetera Adalbertum ſecundum et Aribonem illic omnino praedia habuiſſe ubi habuerunt Adalhareshuſani proceres. Scimus denique Adalberti et Alprahti nomina apud *Hoſos* gentilitia fuiſſe Alprahtum vero quem Adalberti I. fratrem diximus Friſingae olim Comitem et Poaponis, qui Hoſus utique fuit, *parentem* ſi non fratrem extitiſſe. Quid ergo cum omnia belle quidem in hoc ſyſtemate cohaereant inuicemque muniantur obſtat, quin recte aut paulo minus quam recte, digeramus tabulam genealogicam, quae ſequitur.

Tab.

Tab. 3.

† † †

Poapo Comes A. 765. 773.			Alpraht Comes A. 765. - 802.	Solpraht Comes 765. 788.
Iſangrim Comes † 821.	Alphard Comes 810.	Ejo Comes.	Adelbertus I. f. Alpraht, Trungouiae Comes 802. Marchio circa 810. † ante 822.	Luitpaldus I. Comes A. 807 - 837.
Leo Comes 827.	Poapo Comes. 806. 836.	Herioldus.	Adelbertus II. Comes in Trungau, 822 — 855.	Ratoldus Comes 837 - 874. v. tab. 4.
			Aribo Comes in Trungau et Marchio Orientalis.	

CAPVT



CAPVT QVARTVM

SYNOPSIS.

De Marchionibus Orientalis Baioariae, quotquot fuerunt ab anno 799. *usque ad annum* 859. *nempe Cotherammo, Werinhario, Adalberto, Gotefrido, Geroldo, Ratpotone. De diuisa Carinthia inter tres Comites Helmwinum, Albgarium et Pabonem. De Pruwina vel Bribino Duce et filio eius Chezilone qui arcem Mosburg in Carintbia condiderunt. Probatur aut paulo minus alterius filiam, sororem alterius fuisse Luitswindam Arnolphi Imperatoris matrem.*

§. I.

Celebris adeo fuit et erit in his Commentariis Marchia orientalis Baioariae, ut rem alienam a nobis agi nemo queri iure possit, si de ea dixerimus omne quod in promptu est.

Id vero operis eo libentius aggredimur quod propositum est nobis, antiquitates Baioariae quam maxime poterimus illustrare et fata illius familiae in quam inquirimus, quam late patent, prosequi. Historiam tamen non scribimus, scribendae subsidia quaerimus duntaxat, abstinebimus itaque a fusioribus narrationibus, et Historici scriptores nobis nonnisi instar diplomatum et chartarum erunt.

§. II.

Desinit tandem suspecta mihi esse fides scriptoris Salisburgensis, a quo discere malo quod nesciebam quam inscitiae arguere uirum qui fere coaeuus fuit.

Seriem Marchionum auspicatus ille non est a Geroldo illo totius Baioariae Praefecto, qui occubuit anno 799. exordium fecit a *Cotheramo* Comite confinii quem scimus vixisse anno 802. cum vero Marchio orientalis fuerit, hicque ex professo agamus de marchia orientali, operae praetium fore duximus si in eum accuratius inquiramus.

Vbi bona sua auita habuerit, siue beneficia, sciremus fere si constaret de loco *Weride* dicto, quisnam fuerit et ubi situs, hanc enim de Cothrammo Comite chartam habemus: a.

„ Ego in Dei nomine Otker presbyter notitiam facio de cau-
„ sis meis quomodo et qualiter fecimus de nostris propriis causis,
„ et in tempore Thassiloni tradidi omnia quicquid habui ad *We-*
„ *ride* ad Ecclesiam S. Mariae (Frisingensis) et postea mihi rapuit
„ COTHRAMMVS COMIS ipsam causam cum fortia contra lege;
„ veni ego in praesentia Domni Regis Karoli et nuntiauiei, et ille
„ donauit mihi missos suos in sua Eleemosyna Attonem Episcopum
„ (Frisingensem) et Hwasmotum Diaconum, et in ipso tempore
„ fuerunt Missi Domini Regis in Baioaria Wolfolt et Rimigerus.
„ Illi conquisierunt ipsam causam ad *Cotabrammo* et ipse inuitus red-
„ didit mihi omnia causa mea de verbo Domni Regis; hoc fuit
„ factum in loco qui dicitur Ardeoingas, quod multi sciunt et
„ fuit

a) Meichelbeck n. 181.

„ fuit factum in praesentia Woluolti et Rimigeri, et alii multi prae-
„ sentes, Engilhart Comis, Iob Comis, Ellanperht iudex etc. 3.
„ Kal. Octobris etc. „

Ex eo quod Karolus non nisi Rex tunc fuerit, Otker vero res suas tempore Thassilonis tradiderat, sequitur, ante annum 800. vel hoc anno contigisse id quod in charta recitatur. De situ *Weridae* recte hallucinatus est Meichelbeckius, eumdem locum *Wert* hodiedum dici et situm esse in territorio Erdingensi, quod indicat ipse locus in quo de Cothrammi inuasione lis dirempta fuit. Ardeoinga enim haud dubie est Arding vel Erding.

At vero vir potens vi utitur illic ubi potens est, illic praedium alienum inuadit ubi suum augere cupit, recte itaque statuemus Cotahrammum Comitem in tractu Erdingensi praedium suum habuisse.

De Cotrammo ad maiorem dignitatem euecto nihil habemus praeter chartam qua traditio Emmeramensis dicitur facta [b] coram *Aodulfo Comite et Cotarammo Comite*, id vero eo magis nos iuuat quod praedia quae tunc data fuerunt, pertinebant usque ad loca quae Auarorum erant, adeoque in confinio ipso iacebant cuius Comes fuit *Cotarammus*.

§. III.

Nisi tamen litteras *de Cotaramno* recens laudatas, A° Karoli Aug. VIII. datas, quoad temporis notam castigare velimus, sequitur inde Werinharium siue Werinhardum ut eum nuncupat scrip-

b) Cod. Trad. S. Emm. c. 8. col. 86.
ap. Pez. Anecd. tom. 1. parte 3.

tor Salisburgenſis, limiti non praefuiſſe ante annum 808. utpote quo vixit adhuc Cotarammus. De Werinhario, et eius patre Wagone fratreque Oagone iam diximus, ſtatuimus quoque ſucceſſorem ei datum eſſe Adalbertum, quod eo magis verum eſt, quo narratio ſcriptoris Salisburgenſis accurratius congruit cum reliquis huius ſaeculi monumentis.

§. IV.

Neminem offendet huiusce antiquitatis gnarum quod nec Cotherammus, nec Werinharius, nec Adalbertus marchiones dicti ſint. Comites erant et dicebantur, a confinio non cognominabantur ut plerique huius ſaeculi confiniorum ſeu limitum cuſtodes, nihil itaque ex hoc titulo argui poteſt, nec ideo impugnandus ſcriptor venerandae antiquitatis. Fiduciam mihi circa haec omnia egregie auget, omneque quod reliquum eſſe poterat dubium tollit diploma Ludouici Pii Imperatoris Anno 823. Eccleſiae Paſſauienſi datum, ut confirmaret largitiones eidem Eccleſiae factas [c] quas poſtquam expoſuit; Pius Caeſar ſubiicit; „Genitor meus Carolus „ obiit *Marchiones Prouinciae* de Epiſcopatu ſibique ſubdere conati „ ſunt; cum autem Reinharius Epiſcopus factus eſſet deuitans „ diſcordiam et litem, GOTFRIDVM MARCHIONEM et iudices illius „ prouinciae in noſtram praeſentiam fecit venire etc. „

Fuerunt itaque ante annum 823. plures Marchiones: fuit hoc anno Marchio *Gotfridus;* at quartum confinii orientalis Comitem Adelberti qui A. 822. diſparet ſucceſſorem diſerte *Gotfridum* nuncupat ſcriptor Saliſburgenſis. Quintus denique fuit Geroldus, quem probauimus vixiſſe anno 836.

§. V.

c) ap. Oefele tom. I.

§. V.

Nomina Ducum qui Sclauis praefuerunt dum illi comites essent confinii, recenset idem scriptor *Priwizlauga*, *Cermicas*, *Toymor* vel Dimar et *Etgar*. *Post istos Duces*, inquit iterum, *Bagoarii coeperunt praedictam terram dato Regum habere in Comitatus, Helmwinus Albgarius et Pabo.*

Hi marchiones non fuerunt sed inter se partiti sunt, ex dono Regum, patrimonium, quod sub Marchionibus tenuerant Duces Carinthiae, siue sclauicae Gentis.

Albgarii nomen non torquebo ut Adalbertum exinde faciam, nam Albgarius Alpker est, quod nomen in nostris monumentis saepiuscule occurit.

Longe tamen notior Helmwini appellatio ex Helmwino, Helmoino, vel Helmowino Comite qui anno 794. dedit [a] „Ecclesiae Frisingensi ad Swalafeldum, vel in Swalfeldensi pago, praedium satis amplum quod sibi veridicatum, at lege amissum, a Carolo Rege impetrauerat. Huic collimitabat beneficium *Keroldi* Praefecti, cuius Missus vestiuit Episcopum Attonem. Helmwinus Romam iter carpebat, quo tempore hanc traditionem confirmauit cum Heldamaro filio.„

Helmwini vel Helmuni, ut alibi nuncupatur, uxor fuit Cundpirc, cui in dotem dedit [b] curtem in loco *Filusa*, et quicquid ibidem habuit. Ipsa vero Kundpirc eamdem curtem dedit Hadumaro filio suo in propriam haereditatem. Hadumarus cum aegrotaret dedit Ecclesiae Frisingensi vivente adhuc patre Helmwino, hic superstes filio donationem confirmauit.

 Aut

a) Meichelbeck n. 111. b) ibid. 206.

Aut multum fallor aut Helmuuini filia fuit Mezkunda, cui Atto Episcopus dedit [c.] in Beneficium Ecclesiam in Filusa cum rebus ad eam pertinentibus *pro benemeritis iamdictae Mezcundae erga Domum S. Mariae frequenter actis dum in curte Dominicale Pedissequa Filiae Regalis fuit.* Mezcund, et Aduocatus eius (coniuxque) Erchambertus reddiderunt beneficium „ Hittoni, qui idem con„ tulit Frumolto clerico, at hic fraterque eius Cozolt concerta„ tionem habuerunt cum Hittone eo quod diceret, hanc ecclesi„ am ex parte in haereditate sua constructam esse, et ex parte in „ potestate sua esse debere, et reuera *Antecessores eorum pro remedio „ animarum suarum iam olim tradiderant* praedium, Frumoltque et „ Cozolt *baeredes* erant illorum qui hanc Ecclesiam construxe„ rant et tradiderant.

Fratrem alium praeter Cozoltum habuit Frumoltus clericus, cuius autem nomen ignoramus. At Erchanperhtum patrem eorum eo magis credo eumdem esse qui Eionis et Isangrimi frater erat, adeoque filius Poaponis nostri; quod cum lis componeretur „ Frumoltum inter et Hittonem anno Hludowici Imp. [ris.] III. „ testes fuerunt *Isangrim*, Walho, Adalker, Sindeo, Pernolf, Ara„ had; omnes denique quos scimus Hosos et ex illa tribu ori„ undos fuisse.

Haud aegre crederem Helmwino Comiti nepotes haeredesque masculos non fuisse ex filia Hadumaro solamque, Mezkundam praedia Hadùmari obtinuisse. At noui Cundalbertum filium Helmonis qui vixit anno 822. et loco insigni post Iobum nempe Vicarium et Vassum Cotafridi testis fuit rei actae [d.] in placito ad quod

c) ibid. 339.

d) Anam. Lib. 1. c. 81. ap. Pez. Anecd. tom 1.

quod Baturicus Episcopus vocauerat omnes parentes, viri qui eam rem habebat, et inter quos fuerunt Mezzi nepos Vualtoni Comitis *Erchamperht* et *Isangrim*. Habemus praeterea donationem ab ipso Helmwino factam S. Emmeramo e. anno 32. Regnante Augusto Karolo, eius testis quartus dicitur *Kundalperht filius meus*. Quod si ita est, hic omnino potuit pater esse Helmwini nostri.

De Pabone nihil habeo in praesens quod dicam, nisi nomen eius Hosiam originem redolere.

Notabo praeterea, fieri profecto potuisse, ut, cum diuideretur ditio ducum, pars haud exigua contingeret Adalberto, quem omisit scriptor Salisburgensis, quia iam in hoc tractu Comes erat.

§. VI.

Geroldo Marchioni successit Ratboldus, Ratpodus vel Ratpoto. Quem aliunde quoque nouimus, tanta fides habenda est scriptori Salisburgensi.

Hunc nobis exhibet Anamodus f. in litteris quibus *Wilhelmus* Comes dedit praedia in „ vicis Sconheringa, Cheminatum et Purcheim. Quae loca inter Vilisam et Rotam fluuios sita fuisse autumo. Nisi ea ad Cremisam Trunnamque quaerere malis, extant enim in utroque tractu *Schonhering* et Kemnata, in hoc etiam Purcheim.

Traditionis testes exstiterunt *Ratpot Comes*, Kundpald, Cunipreht, Orendit Comites, actum fuit Reganesburg anno 833. cum adhuc viueret Geroldus Comes.

e) Codex Trad. C. 2. ibid. f) Lib. 1. c. 72. Pez. loc. cit.

Quatuor

Quatuor post annos ipse *Ratpodus Comes*, cum illi haeredes nondum nati essent, dedit S. Emmerammo [a]. „ quicquid proprie„ tatis haberet ad Tullinam (in orientali Baioaria) actum idest „ Reganesburc anno 837. in praesentia Regis Ludowici. Testes „ fuerunt Ernost Comis, (idem profecto qui anno 829. cum „ Adalberto intercessit pro abbate Monseensi) Werinheri, Ti„ mo, Ermfrid, Ratperht, Vto, Vuaning, Vuillihelm, Rihhe„ ri, Vuolfdrigit, Poso, Eginolf, Perchttolt, Rihho Comites. „ aliique quorum ultimi sunt *Papo* et *Altker*, iidem ut puto „ qui paulo post Comites euaserunt.

Cum hac charta coniungendum est diploma [b]. quo Ludowicus Rex *cuidam ex Primatibus* „ suis *nomine* RADPOTTO *medie„ tatem unius fisci qui vocatur Tullina, sitam in regione Pannonia in pro„ prium contulisse profitetur ea ratione si fidem suam erga Regem ser„ uasset.*

„ Sed quia ipse a nobis totis viribus se alienauit et fidem „ atque iusiurandum omni infidelitate fraudauit, placuit serenita„ ti nostrae eamdem medietatem memorati fisci ad nostram domi„ nationem recipere.

Illam tamen iterum contulit monachis S. Emmeramensibus Kal maii anno 27. Regni Ludowici Serenissimi Regis in orientali Francia Regnantis Indict. 7ª haec nota temporis aut mendosa est aut indicat annum 859. ita ut numerentur anni Ludowici Germanici ab anno 833. quod omnino credo.

Constat enim ex diplomate quod exhibet scriptor Salisburgensis, *Ratpotonem* floruisse adhuc anno 848. Indict XI. Die quarto

a) ibid. c. 73

b) Codex Ratisb. ap. Pez. l. c. col. 23. et 24.

to Octobris: prima ergo Indictio quae ſeptima fuerit poſt exauctorationem Ratpotonis, cadit in annum 859.

§. VII.

Nihil contigit ſub Ratpotone hiſtoria dignius quam fuga et alia fata *Priwinae* Moraui Principis, qui a Moymaro pulſus, a *Ratpotone* ſuſceptus, et Ludowico Regi praeſentatus, manſit aliquam diu cum marchione noſtro; ſed orta diſcordia iterum fugit in Bulgariam, unde rediit ad Ratimarum ducem, huic vero, cum iuſſu Ludowici Regis Ratbodus bellum intuliſſet, Priuwina cum ſuis et filio ſuo Chozil Sauuam fluuium traiecit, et opera Comitis Salachonis cum Marchione reconciliatus eſt.

Priwinae Ludowicus conceſſit aliquam partem Pannoniae circa Salam, ubi nouus illeDux, nam hoc titulo decoratus fuit, condidit arcem et aedem, quae dedicata fuit Anno 850. 8º Kal. Februarii; anno vero 848. Ludowicus conceſſerat Priwinae in proprietatem, quod antea in Beneficium habuerat, teſtibus *Ratpotone*, *Werenbero*, *Pabone*, *Geroldo*.

Priwina hic ille prorſus eſt Bribinus Dux, qui largitionen fecit Altahenſi monaſterio rerum in oriente ultra Salam fluuium ſitarum [d] hanc largitionem Ludowicus ratam habuit anno 28. regni ſui in Francia orientali Indictione 8ª ſiue anno 860.

d) Hund. metrop. ſalisb. T. II. p. 11.

A proposito meo abberrarem si Bribini vel Pruwinae ditiones ex eius largitionibus scrutarer. Hoc vero prudens notabo, arcem quam condidit, auxit vero filius eius Chozil vel Chezil, ante annum 866. vocatam fuisse *Mosapurch*, ut diserte testatur scriptor Salisburgensis.

De Chesile plura sunt testimonia haud ambigua, quamuis varie scriptum nomen sit.

Vnus Anamodus diplomata duo nobis subministrat de hoc Principe Sclauorum. Alterius rubrica est *Traditio Chocilonis Comitis*; Sequuntur haec „ Ego CHOZIL humillimus Comes de haereditate mea tradidi ad S. Emmeram. In proprietatem ad Stromogin „ quantum Gundpoldus habuit in proprietatem et in beneficium „ in villa nuncupante *Reginwartesdorff* et in *Rosdorff*, cum terra, „ aratura, uineis etc. . . . hi sunt testes *Ratpot Comes*, Gundram „ Comes, Gundpold Comes.

Haec largitio a Chozilone facta fuisse videtur ante patris mortem, mirari tamen succurrit, quo pacto haereditatem suam nuncupauerit id quod *habuerat Gundpoldus in proprietatem et in beneficium*, praesertim si is Gundpoldus idem est qui testis fuit.

At memini duos Cundpaldos Comites interfuisse A. 843. conuentui Virdunensi inter Baioarios Primates; e. scio praeterea anno 866. Gundpoldum quemdam de satellitibus Karlmanni contra dominum suum rebellasse et dimicare voluisse, sed amisso ex-

e) Lib. 1. c. 50. ap. Pez. loc cit. f) Annal. fuld. ad h. An.

exercitu vix viuum euasisse. Huius Guntpoldi Beneficium et proprietatem, ne dubita, nactus est Chozilo, adeoque etiam post patris mortem Comitis titulo contentus fuit nonnunquam, quod huc usque vix credebam.

At si id verum est, aut vixit comitatuque gauisus est *Ratpoto* postquam infidelis fuerat Ludouico Regi, aut successorem filiumque eiusdem nominis habuit. Postremae opinioni ut accedam, mouet me diploma Ludouici, de praedio Tullinensi modo laudatum quo rex cauit, ut tamdiu medietatem praenominati Fisci RABOTONEM INFERTOREM suum (ita enim lego) habere liceret quousque Rex in alterum locum ex aliis rebus illum adiuuare posset. Hunc Rabotonem quamuis 20. annos duntaxat aut non multo plus natum, ministerialem Regis opinor fuisse, habuisseque beneficiario iure id quod pater S. Emmerammo dederat; ideoque a Rege sancitum fuisse, ut id retineret, donec aliud beneficium impetrauerit. Ad Chozilonem redeo.

„ *Quidam Comes de Sclauis*, inquit compilator chartularii Fri-
„ singensis, f. *nomine Chezul*, *omnem rem quam habuit prope Pilozs-*
„ *we in villa quae dicitur Wampaldi*, *cum territoriis* . . . *S. Mariae*
„ *firmiter tradidit. Hoc factum est anno Inc. D.* 861. *Ind.* 8. *in*
„ *loco Regali* publico Ratispona in 12. Kal. aprilis. Interfuit igitur
„ Chezul Comes conuentui quem Hludouicus Rex habuit in Re-
„ ganesburg g. 3a septimana post Pascha, et in quo „ *Ernestum summatem inter omnes optimates suos* (*et socerum Karlmanni*) *publicis priuauit honoribus.* Suspicor largitionibus captasse Chezulem grati-

f) Meichelb. n. 710. g) Annal. Fuld. ad. h. an.

am Praesulum, ut periculo quod Ernusto eiusque amicis et Karlmanni fautoribus imminebat se subduceret.

At eo magis credo, nullo discrimine Chezulem comitem ducemque nuncupatum fuisse, quo opinor solemne magis fuisse ut Comes diceretur. Vnicum tantum quod Anamodus, h. subministrat, extat diploma in quo *Chezil Dux* dicitur „ cum Diaconus „ Cundbato traderet S. Emm°. proprietatem suam in Quartinaha „ iuxta Bilisaseo *Domino* suo Arnolfo filio Regali permittente, a „ quo eam in possessionem acceperat, traderet inquam, pro *Do-* „ *mino* suo Arnolfo et pro se cum pertinentiis *omnibus* ad fluuium „ Salam et ad Velih sitis, *reciperet* vero ab Aduocato S. Emmi. „ quod CHEZIL DVX *iam* quondam pro remedio animae suae S. „ Emmer°. condonauerat iuxta amnem qui dicitur Raba. „

Miror Arnolfum, cum nonnisi puer regalis esset, dedisse praedia in tractu ad Salam sita, quae ditio fuerat Pruwinae et filii eius Chozilonis; miror Kundbatoni, cuius Dominus erat Arnolfus, data esse praedia ad Rabam, ubi ditio quoque fuerat Chozilonis, at mirandi finem faciam postquam ita omnia inter Arnolfum et Chezilonem cohaerere animaduertero, ut alterum alterius haeredem pronunciare non dubitem.

Arx illa quam condidit Pruwina, quam possedit Chozilo dicta fuit *Mosapurch*. At Ludowicus Iunior Bauaria potitus post mortem fratris Carolomanni, concessit Arnolfo *Corantanum* (siue Carinthiam) „*quod ei pater iam pridem concesserat, in quo situm erat ca-* „ *strum munitissimum quod* MOSBVRGK NVNCVPABATVR, *eo quod palude* im-

h) Lib. 1. c. 23. ap Pez.

„ *impenetrabili locus vallatus, difficillimum adeuntibus praeberet accef-*
„ *fum* i.

Arnolfum vero Carlomannus fufceperat ex *quadam nobili foemina*, ut ait Regino, Litowinda vel Liutwirida, dicta eaque Carinthiaca. Haec vero plane non dubito, quin foror fuerit Chozilonis, cuius haereditatem, praedia, vaffallos, arcem adeptus ideo eft Arnolphus, ideo Carinthiae praefectus a Patre, ideo quoque a Ludouico patruo in Carinthiae Praefectura fiue ducatu confirmatus.

Videant vero alii an de eodem hoc Caftro Mosburg intelligendae fint litterae k. quibus pro „ Carlomanni cari patris animae remedio, ad fedem Frifingenfem quoddam monafterium „ *Mofaburch* nuncupatum, poft obitum dilectae matris fuae Luitswindae, proprietario iure conceffit Arnulfus. „

Illa de matre Arnolfi differere operae pretium duxi, tum quia nihil quod ad hunc Regem pertineat, alienum eft a propofito noftro, tum quia pollicitus olim fui, in hoc argumentum nonnulla a me allatum iri. Ne dicam quod ex hac excurfione in res Carinthiacas, nonnihil lucis Affulgeat vel Affulgere quaeat rebus Boicis et Marchiae orientali.

Succurrit nunc, quod mihi fere exciderat, et fuit tamen illud olim in caufa, cur hanc fententiam de matre Arnolfi libentiffime amplecterer.

Induftria non vulgaris fuit, anonymi Salisburgenfis, qui circa annum 866. vixit, in defcribendis origine fatisque *Pruwinae* et Chozilonis. Qua vero de caufa putas huic argumento infudaffe adeo


N 3 Scrip-

i) Regino ad. an. 880.


k) Meich. Hift. Fris. T. I. P. I. p. 145.

Scriptorem rerum ſacrarum? ego quidem credo omnino, id eum feciſſe, quod ſoror Chezilonis amica eſſet Carlomanni, mater Arnolfi *pueri Regalis*, cui iam tunc altiora fata portendebantur a Boioariis.

Pruwina ex domo regia Morauorum oriundus fuiſſe videtur; quod in cauſa eſſe potuit, cur Arnolphus filio notho, Zuentibaldi nomen dederit, et Zuentibaltus, Morauorum Dux, infantem e Sacro fonte leuauerit. Ad marchiones orientales nunc tandem redeo.



CAPVT



CAPUT QUINTUM

SYNOPSIS.

Alii Marchiones Baioariae orientalis, inter quos ex coniectura recensentur Werinharius II. Willihelmus I. De connubio eius et Affinitate cum Chesilone comite. Certius est connubium, certior dignitas Willihelmi II. qui cum Engilscalcho fratre Marchio Orientalis fuit usque ad annum fere 880. *utriusque filii quibus negata est patrum dignitas recensentur.*

§. I.

Seriem Marchionum orientalium usque ad Ratpotonem deduximus, qui anno 859. vel circiter exauctoratus est. Animaduertere potuerunt lectores medietatem fisci Tullinensis ei in proprietatem datam fuisse, cum Marchiam adipisceretur, haud secus ac vidimus Seonense praedium similem ob rationem concessum Adalberto Comiti.

Successorem Ratpotonis si quaerimus, duo nobis indigitabunt Annales Fuldenses, a. *Willihelmum* scilicet et *Engilschalcum* fratres: „quibus a *Rege* Hludowico Seniore concessus est terminus „ *Regni Baiowariorum contra Morauos.*„ Nescimus annum, legitima tamen coniectura est, eos Ratpotoni subrogatos fuisse circa annum 859. quod affirmarem plane, nisi suspicarer Werinharium *Comitem* quem Annalista Fuldensis unum ex primoribus Francorum vocat in

a) ad an. 884.

in Baioaria orientali eadem circa tempora prouinciam suam habuisse, anno enim 865. apud „Hludowicum Regem accusatus est quasi „ Rastizen Morauorum Ducem suis hortationibus aduersus eum „ incitasset, ideoque publicis priuatus est honoribus „ at verisimile omnino est, eum qui hortationibus suis Rastizen ad arma excitare potuit, et vicinum ipsi et notum ac in bellum prorumpenti, praesto esse debuisse, quod utrumque indicat custodem termini contra Morauos.

Quod si recte se habet Werinharius hic idem erit qui *Werinherus* dicitur a Scriptore Salisburgensi, et praesens fuit an. 848. cum Ludowicus Germ. daret Priwinae in proprietatem quicquid beneficiario iure tenuerat.

Idem quoque fuit Werinharius Comes, qui ab an. 855 - 875. cum Annone Episcopo Frisingensi b. duas commutationes celebrauit, primam recepto praedio in Huntilinpah, dato in Wenniginpah, alteram accepto c. agro ad Strogun, dato in eodem campo.

Suspicor praeterea patrem ipsius fuisse Werinharium Marchionem, auum patruumque Oagones, seu Wagones Comites, ita quidem ut ratio habita fuerit vetustae possessionis, cum Werinhario II. reddita est prouincia quam gesserat pater.

Werinharium II. a patre Ludouico Germ. depositum, Ludowicus Iunior anno 866. suis adhibuit consiliis, cum a patre defectionem moliretur.

Nec

b) Meichelb. n. 788. c) ibid. 796.

Nec unquam illi restituta est Marchia orientalis, utpote quae parebat Carlmanno, qui Werinhario aliisque orientalis Baioariae praefectis, iam anno 861. infestus fuerat, et viros qui sui erant, ipsis subrogauerat.

Proscripto Werinhario Marchia commissa tandem est Willihelmo et Engilscalcho cuidam, in quos nunc inquirendum erit.

§. II.

Notissimus est ex Anomodo a. ut et Codice Ratisbonensi b. *Willibelmus* quidam Comes, cuius uxor Engilrada fuit quique anno 834. adhuc improlis erat.

„Anno 833. dedit *Willibelmus* Comes S. Emm° quicquid pro-„ prietatis habebat in vicis *Schonberinga*, *Cheminatum*, et *Purcheim*, „ ea ratione ut traditio constaret si haeredem non haberet, et ta-„ men coniux ipsius easdem res in ditione sua teneret quamdiu „ lectum suum conseruaret, si vero humano more contingeret, ut „ lectum suum non custodiret mox traditio ad locum suum reuer-„ teretur. Si autem haeredem superstitem habeat, ut ipse pote-„ statiue haereditatem suam possideat absque ullius contradictio-„ ne.„ Hac litteras iam laudaui cum de *Ratpotone*, qui primus testis fuit, scriberem. Aliae litterae in quibus exprimitur nomen Engilradae scriptae fuerunt anno 834. „dedit *Willib.lmus* comes „ praedium suum in Bersnicha, iisdem fere legibus, hac tamen „ addita, ut ipse ad vitam possideret in Beneficium quicquid Batu-„ ricus Episcopus habebat ad Eskitunam et Vuesin.„ Hic locus

a) Anam. Lib. I. c. 71. b) c. 72.

idem eſt in quo Chezilo Comes haereditatem et proprietatem habuit, nec ea ſola fuit inter hos Comites praediorum Communio.

Idem Willihelmus Comes cuius uxor Engilrada tradidit S. Emmeramo bb. „omnem proprietatem ſuam quam habebat *infra* „ *duo flumina*, *inter Aguſtam et Nardinam* (hodie Auſt et Naam flu- „ uioli qui a ſiniſtra ripa Danubium influunt infra Anaſi confluen- „ tem) *a locis videlicet ubi ipſa in Danubium fluunt uſque ad loca ubi* „ *de venis in amnes deriuantur*, *et ita uſque in Nortwald*, *in hanc par-* „ *tem Syluae ſine termini concluſione; dedit quoque res quas uxori ſuae* „ *Engilradae ad dies vitae conceſſerat*, *inſuper et quicquid ad Rosdorf* „ *habere videbatur*, *omnia et ex omnibus rebus ex illa parte Danubii*, „ *quicquid ſibi pertinebat*. „ Huius Traditionis inſtrumentum deſideratur. Sed habemus diploma, quo confirmata fuit a Ludouico, petente id Erchanfrido Epiſcopo, an. 20. Regni Ludowici Regis in orientali Francia Indictione I. ſiue ann. 853. quo, ut videtur, ſine haeredibus obierat Willehelmus comes, alioquin Erchanfridus non petiiſſet ut Eccleſiae ſuae confirmaretur id quod *tradiderat*.

His exploratis non dubito fere, quin pars praediorum quae poſſederat Willihelmus deuoluta ſit ad Choſilonem qui in Rosdorf quoque haereditatem ſuam dedit, ſiue filiam Willihelmi duxerit, ſiue a rege vacantia praedia acceperit, quod tamen minus credo.

Illa ſunt quae de Willihelmo quem primum vocabo ommittere nolui, cum propter nominis rationem, tum quia cum Cheſilone comite vel duce coniunctum eum fuiſſe ſuſpicor; ne dicam et ip- ſum

bb) Codex Diplom. Ratisb. col. 20. et 21. ap. Pez.

ſum Marchionibus orientalibus ſiue defenſoribus termini contra Morauos, quodammodo accenſeri debere, quod quidem ſatis ſuperque indicare videtur ſitus praediorum Morauis ad ſiniſtram Danubii ripam quam maxime vicina, ſi quod hallucinari licet de Patre Willihelmi huius, dicam ex monumentis Salisburgenſibus, a. Eginolſum fuiſſe, eumdem qui bona tradiderat in Lambach; quumque traditionem a *Wilhelmo filio Eginolfi conquiſiuit* Arno Epiſcopus (ante annum 821.)

§. III.

Credidi aliquando coniungi poſſe Willihelmum I. Comitem cum Heilrata Hittonis Epiſcopi ex ſorore Cotesdiu nepte, ſuſpicatuſque ſum Engilratam et Heilratam unam eamdemque matronam fuiſſe.

Vtraque ſane ſobole, maſcula ſaltem, caruit tempuſque congruit omnino; cum certo ſciamus Heilratam an. 816. iam adultam a; anno vero 845. et viduam et matrem Perhtae aliarumque filiarum, filii vero nullius fuiſſe: adeo ut Kernandum nepotem ex fratre Kernando filium adoptauerit, teſte charta b. „qua dedit bona ſua ad *Clanam* fluuium ſita, uſu ſeruato ſibi et Kariſſimo filio „ ſuo quem ſibi in filium adoptauit fratris ſui nomine vocatum „ Kernand. Actum id eſt anno 834. 12. Kal. aprilis „ quo tempore aut vixit adhuc aut recens obierat Willihelmus Comes. Accedit coniecturae quod Heilrata nupſerat utique viro qui praedia habebat

a) ap. Canis. p. 472. 473.
b) Hiſt. Friſing. T. I. P. I. p. 103.
b) ibid. 576.

bebet in orientali Bauaria. „*Heilrat* enim [c]. *Illustris foemina dedit* „ Ecclesiae Salisburgensi *totum quod ei in dotem peruenit ad Grunnin-* „ *pach.*

Heilrat Hittoni Auunculo, Cotesdiu matri, aliisque cognatis superstes, auia vero plurium nepotum ex filiabus, vixit adhuc anno 845. [d]. *quo tonsuram accepit nepos eius quem auunculi sui amore accensa Hittonis Episcopi* vocauerat Hittonem.

Hitto ille iunior filius Perhtae fuit, et *Willihelmi II.* quem Hosium fuisse vel inde patet, *quod praedium ad Rotam* amnem habuit A° 858. Ecclesiae Frisingensi concessum [e]. frequentior de eo mentio facta est in nostro de Hosis commentario.

§. IV.

At vero hic ipse Willihelmus II. quem primi consanguineum et in praediis successorem, et generum tantum non dixero: una cum fratre *Engilschalco* termino Regni Baiuwariorum orientali praefectus est: quem vix adepti „*multa pro patria* tuenda confligendo sudasse feruntur, tandem vero diem ultimum *in eadem volun-* „ *tate finiuere permanentes.* *At bonor* illorum *filiis redditus* non „ fuit [a].

Incertum est quo anno par nobile fratrum aut obierit, aut occubuerit. De Engilschalco silent monumenta quae huc usque euolui:

c) Canis. ubi f. 471.
d) Meichelb. n. 791.
e) ibid. 726.
a) Annal Fuldens 884.

euolui: nisi lateat in charta Engilperti Comitis, cui testis interest *Engilscalch*. b.

c. „*Zuentebaldus* Morauorum Dux multa mala passus fuerat ab „ *antecessoribus puerorum* qui *Willihelmum et Engilscalchum* patres ag- „ noscebant, dum ad Morauos terminum Baioariorum protende- „ runt.„ Ergo ante Willihelmum et Engilscalcum, alii quoque maiores praefatorum puerorum terminum orientalem tutati sunt.

Engilschalcus trium filiorum pater fuit, quorum si recte seriem exhibet Annalista fuldensis d. primus fuit *Papo*, nomine apud Hosos gentilitio appellatus. Alter *Werinharius* qui *captus* est a Zwentibaldo *de septentrionali parte Istris fluminis*, ubi Wilhelmo I. praedia maxima fuisse modo vidimus. Tertius *Engilscalcus* dictus est, et alibi a nobi in partes vocabitur.

Willehelmo fuerunt filii itidem *tres*: *Megingor*, *Willehelmus* et quem superius nominauimus *Hitto* clericus. Vix non dubito eum Manseensem Abbatem euasisse; eundemque fortassis esse qui S. Emmeramno tradidit praedium sibi proprium in Sulzbah e. etc.

Propinquus puerorum et rebellionis particeps fuit *Vezzillo* Comes, quod nomen a Werinhario diminutum est; ex eadem familia fuere *Berhtoldus* Comes, et frater eius.

Berhtoldum seu Perehttoldum Comitem Werinheri siue Werinharium Comitem et Willihelmum aeque Comitem reperimus

O 3 nomen

b) Anamod. II. 9.
c) Annal. Fuldens. l. c.
d) l. c. et 893.
e) Anamod II. 7.

nomen dediſſe cum aliis teſtibus Ratpodoni Marchioni, cum largitionem faceret anno 837. ideoque proximus ſum credenti, omnes illos Baioariae orientalis proceres unam gentem fuiſſe; nec proteruiae nimiae damnari debuiſſe filios Willihelmi et Engilscalchi, cum quererentur redditum ſibi non eſſe honorem patrum ſuorum. Querela ſaltem haud praepoſtera viſa fuit eorum propinquis, hincque bellum ferale exortum.

Huc usque Hiſtoria Marchiae orientalis deducenda erat, ut perueniremus ad Aribonem Marchionem.



CAPVT

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS.

Marchia orientalis datur Ariboni Comiti, filio Adalberti II. Ex Monumento Salisburgensi eruitur Aribonem haeredem latine dictum esse et sub hoc nomine diserte praedicari filium Adalberti. Ex historia belli quod exarsit inter Aribonem et filios Willihelmi Engilscalchique et eorum Propinquos astruitur, anno 880. *a Ludowico Iuniore concessam fuisse Marchiam Ariboni, qui anno iam* 876. *comes erat in Trungowe ex quorum uno probatur praedia in Holzhusen et in Adalhareshusen habuisse, adeoque et Hosum et Adalhareshusanum fuisse.*

§. I.

Cum Willihelmi et Engilscalchi Marchionum honor, illorum filiis redditus non esset, *Arbo in Comitatum, domno Rege concedente, successit.* a) Rex ille qui Ariboni Comitatum confinii Baioarici concessit, Carlomannus fuit, aut Ludouicus Iunior illius frater, magis tamen placet Ludowicus, nam post mortem eius expulsus fuit Aribo, sed a Carolo Crasso statim restitutus.

Cur Ariboni adeo fauerit Ludowicus Iunior aliquando forte hallucinando assequemur. Nunc id unum notamus, Aribonem ab hoc magistratu alienum omnino non fuisse, tum quia Comitatum confinio vicinum regebat, tum quia Auus eius confinii ipsius Comes siue Marchio fuerat ante Gotefridum.

Proba-

a) Annal. Fuld 884.

Probauimus ſcilicet Adalbertum I. et Marchiones orientales et Comites in Trungowe vel Saltzgowe et Seonenſem Dominum fuiſſe. Oſtendimus in Trongowe quoque Comitem eſſe debuiſſe Adalbertum II. cum Interceſſorem ſe geſſit pro Abbate Manſeenſi anno 829. Demonſtrauimus denique, Aribonem in Trungowe Comitem fuiſſe, ut fuerant ambo Adalberti, in confinio vero Hoſiorum iisdem praediis potitum, quibus gauiſus fuerat Adalbertus II. ex quo confecimus, Aribonem Adalberti II. filium fuiſſe.

Non credebamus exſtare monumentum in quo Aribo diceretur filius Adalberti, et quod ob oculos erat ne videbamus quidem, immo refugiebamus, ne lectoribus noſtris ſcrupulum moveremus.

Protulimus ex monumentis Salisburgenſibus quicquid ad Adalbertum Comitem pertinere tunc videbatur, omiſimus ex induſtria, nam barbarum et inauditum filii nomen nos terrebat, omiſimus, inquam, ea quae ſequuntur. a.

Adalbertus dedit (Eccleſiae Salisburgenſi) *ibi* (in Timutingen) *manſum unum* et paulo ante: ALBERTVS et FILIVS eius HERDE *tradiderunt quod habuerunt proprietatis eorum in loco qui dicitur Rorach.* (ad Anaſum, puto ſitum.)

En nomen quod me exterruit cum nec hoc nec aliud ſimile uſquam reperiſſem, et mihi repugnare videretur Ingenio linguae Bauaricae, ne dicam Teutonicae.

At ſi mens non laeua fuiſſet, ſtatim deprehendiſſem, corruptum eſſe nomen HERDE, et HAEREDE vel HAERES omnino legi debere; Latine redditam vocem *Erb*, *Aribo.* Nouimus ſane et bis cente-

a) Canis. Baſnagii p. 473. c. 19.

centenis adstrui posset argumentis, nomen *Aribonis* idem prorsus esse, ac *Erbe*, latina terminatione donatum. Sic inter alia quae praesto sunt exempla, *Aribo* vel *Erbo* Frisingensis Episcopus se ipsum frequenter nuncupauit *Haeredem*, et ab aliis hoc nomine vocatus est. Iam vero *Compilator* iste *Canisianus notitiarum breuium*, qui meras diplomatum rubricas congessit, cum forte legisset, Adalbertum, vel Albertum, donationem fecisse cum *filio Haerede*, facili negocio fieri potuit, ut Herede illud vel Herde nomen viri fuisse crediderit, et nomen *Haeredis* in ablatiuo causa exhibuerit, in recto seu nominatiuo utique exhibendum. Ne dicamus Codicem ipsum compilatoris Msc. aut corruptum fuisse, aut a Canisio male lectum. Fuit itaque filius Alberti *Haeres* dictus; vel ut omnia restituamus, Adelbertii filius *Aribo* fuit, quod alioquin constabat ex iure haereditatis et subrogationis more. Is vero Adalbertus idem est quem secundum diximus.

§. II.

Arboni datum fuisse Comitatum Willihelmi et Engilscalchi, *praedictorum virorum pueruli* „ *illorumque* propinqui in contrarium
„ accipientes et vertentes dixerunt alterutrum fieri, aut Arbonem
„ Comitem si non recederet de Comitatu parentum suorum, aut
„ se ipsos ante faciem gladii morituros [a].

„ Hoc experimento Arbo concussus amicitiam iniit cum Zuen-
„ tibaldo Duce Morauorum gentis, firmatoque inter illos foede-
„ re, filium suum obsidem fieri non tardauit.

a) Annal. Fuld. ad. an. 884.

„Nec minus ipsi praedicti pueri consulunt quosdam primo-
„ res Baiowaricae Gentis, collatisque propinquis ac undique co-
„ piis, fortior manus in id tempus illis adstabilitur. Comitem a
„ Rege constitutum inhonorifice expellebant, comitatumque illius
„ in usum usurpauerunt.

„ Hoc ergo factum est post obitum Hludowici Regis nato-
„ rumque eius Carlmanni et Hludowici, quorum successor frater
„ illorum minimus in Regno fuit.

„ Qui mox, prout antea tenuit, Arboni praedictum Comi-
„ tatum reddidit, sed tamen ex hac re contexta detrimentum Pan-
„ noniae (emersit) quia nempe contempto regis mandato, Ari-
„ bo denuo vexatus et expulsus est.)

„ Igitur eodem anno quo illi pueri praedictum Arbonem a
„ Rege commendatorum exortem fieri honorum impetrauerunt,
„ Zuentibaldus Dux Marauorum memor Amicitiae ac iuramenti,
„ quae cum Aribone iniit pepigitque, ad hoc vendicare profi-
„ ciscitur perfecitque. (Werinharius Engilscalchi filius captus,
„ Wezzillo, Comes eius propinquus membris mulctatus, multi
„ mutilati misere fuerunt a Morauis.)

„ Exercitus scilicet iussu Ducis igne deuastat omnia, insuper
„ ultra Danubium missis speculatoribus, ubicumque proprietas et
„ substantia praedictorum fuit puerorum, igni tradita sine mora
„ est. Hoc scandalum ante factum pueruis spatio unius anni
„ sentitur.

„Hinc

„ Hinc equidem non confidentibus a Rege pueris aliquid „ boni, propter delictum quod in Arbone commisere, recesse- „ runt, statueruntque fieri homines Arnolfi Carlemanni Regis „ filii, qui tunc Pannoniam tenuit.

(Id expostulat ab Arnolfo Zuentibaldus. Arnolfus ut vir cordatus respondet. Dux Morauorum cum exercitu ingenti in Pannoniam intrat, et per annum integrum omnia ferro ignique vastat.)

„ Caeterum vero instante anno (884) quo ista computamus „ iterum Dux (Pannoniam inuadit et atrociter depopulatur per „ 12. dies et) prout voluit, prospere reuersus est. Postea quo- „ que missa quadam exercitus sui parte supra Danubium. Quod „ audientes filii Willihelmi et Engilscalchi qui maiores natu „ erant, Megingor et Papo, quibusdam Pannoniorum secum as- „ sumptis, contra illos incaute venerunt (victique sunt.)

„ Fugae praesidium quaerentes Megingor et Papo in flumine „ qui dicitur Hrapa vitam finiuere. Frater vero Berhtoldi Comi- „ tis, cum aliis quam plurimis a Sclauanicis tentus est. „ Ita per annum tertium, et dimidio instante, Pannonia de Hraba flumine ad orientem tota deleta est; id scribebat anno 884. Annalista Fuldensis, vel statim post hunc annum, ex quo sequitur anno 881. coepisse ferale illud bellum, aut etiam anno 884. cum Carolus Imperator in Orientem se contulerit belloque finem imposuerit, Zuentibaldo in fidem recepto.

Anno igitur 880. vel circiter Aribo Marchia donatus est a Ludowico iuniore; at sub Carlomanno Comes in Trungowe iam fuerat,

rat, cum anno 876. diu ante quam marchio euaderet, locus WALAHAVELD fuerit situs in pago Trungowe et in comitatu Aribonis.

Recte itaque statues, Comitatum in Trungowe apud Aribonem paternum fuisse : secus Comitatum terminalem quem anno demum 880. adeptus est, cum filium jam haberet, quem Duci Morauorum obsidem dedit.

§. III.

Iam vero si relegimus chartam, quam laudauimus, de commutatione ab Aribone cum Arnoldo Episcopo facta, deprehendemus scriptam fuisse, cum Marchio iam esset, [a] ideoque *Laudabilis Comitis* encomium Ariboni datum, rarissima enim erant huiusmodi elogia, et sine causa titulo Comitis non addebantur.

Parcior fuit in laudando Aribone, chartularii Frisingensis compilator, cum aliam commutationis chartam exscriberet mutilaretque, nisi tamen ad alium Aribonem referenda est, tempus enim anceps, quando quidem hoc duntaxat scimus, scriptam fuisse sub Waldone qui ab anno 885. usque ad annum 906. praefuit Ecclesiae Frisingensi, vix tamen credo, hoc ipso tempore fuisse alium Aribonem qui faciendae commutationi par foret. Rubrica est: *Commutatio inter Waldonem Episcopum et quendam nobilem virum nomine Aripo.*

Non suspicaris huc usque, istum *quendam nobilem virum nomine Aripo* Comitem fuisse. Audi tamen et parsimoniam scriptoris mirare :

„In

a) Meichelb. n. 868. b) ibid. n. 925.

„ In Dei nomine. Placuit atque conuenit etc. dedit namque
„ que praedictus Ven. Episcopus *Eidem Comiti*, ex parte Eccle-
„ siae suae in proprietatem habendum in loco qui dicitur ad
„ Holzhuson curtem cum Domo etc. Et e contra in reconpen-
„ sationem harum rerum dedit *praetitulatus Comes* Ven. Episcopo ad
„ suam retinere ecclesiam partem proprietatis suae in tribus vi-
„ delicet locis ad Pleeningon, et ad Piuwingon, curtifera duo
„ ad *Adalbaresbuson*, unamque curtem cum domo etc.


Nisi credere vis hunc Ariponem Comitem alium fuisse, a Comite confinii, et ex alia familia ortum, quod aegre astrues, colliges mecum ex charta illa.

1º Ariponem Adalberti II. filium praedia iam habuisse in Holzhuson, quibus augendis intentus fuit, adeoque cohaeredem fuisse Isangrimi illius, Hosa de gente procreati, et cuius, quod notes velim, nomen retulit filius Aribonis natu maximus, qui et ipse Marchio fuit.

2º Eumdem Aribonem cohaeredem fuisse in *Adalbaresbusa* ubi *proprietatem* suam habuit, quemadmodum diserte ferunt litterae, adeoque ex eadem familia ortum esse, ex qua *Luitpaldus* Comes et alii duo *Luitpaldi* processere. Memineris praeterea Adalbertum II. et Ratoldum Comites arctissime coniunctos simul praefuisse placito Frisingensi, ubi ille hospes erat: disces vero adhuc *Luitpaldum* II. Comitem ac Marchionem, fratrem fuisse Aribonis, filiumque *Adalberti* II. a Ratoldo vero Luitpaldi I. filio versa nominum vice descendisse Poapones ac *Adalbertos*: Tunc sane, in fallor egregie,


gie, vel ex ſola hac nominum communione mecum aſſeres, conſanguineos fuiſſe Ratoldum, et Adelbertum II. forte patrueles: at *Hoſos* profecto, ſiue ab illis qui in *Hoſiorum confinio* potentiſſimi erant oriundos.

Faue nunc Lector aſſertae opinioni quam temerariam fortaſſis credidiſti, et mecum libenter crede genti Agilolfingicae, oppreſſae quidem ſed non extinctae, ſubſtitutam fuiſſe eam, quae inter primas poſt Agilolfingicam gentes, primo loco nuncupabatur.



LIBER





LIBER TERTIVS.

De Ratoldo Duce et Comite Luitbaldi I. Comitis filio: In posteros ipsius excursio. Popponis Thuringiae Ducis pater et Babebergensis Familiae Sator perhibetur.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS.

Indicia haud ambigua apud Hosios reperiuntur amplioris dignitatis quam adeptus est Ratoltus Comes Hosius, et ipsius ministerii in comitatum proprium mutati. Probatur anno 871. *creditam ipsi fuisse Marchiam contra Bohemos in Nortgouia, anno vero* 873. *additum esse Ducatum Sorabici limitis, qui aeque pars Baioariae septentrionalis fuit.*

§. I.

Nisi crederem, Historiam gentium et prouinciarum ab ea diuelli non debere, quae circa Principes versatur, et illam maxime illustrari, cum declarantur affinitas, cognatio et consanguinitas, quibus coniuncti fuerunt inter se quarumque ergo prouincias for-

ſortiti ſunt Proceres potentiſſimi quique et celeberrimi, plura de Ratoldo eiusque poſteris forte non dicerem, quamuis hoc argumentum, ni fallor, arctiſſime coniunctum ſit cum gloria gentis in quam inquiro.

At poſtquam decreui, nihil intentatum relinquere, quod ad eam Gentem aut pertineat, aut pertinere ſaltem videatur, temporis ratio poſtulat, ut ad Ratoltum redeam, quem dixi Friſingenſem Comitem et patruelen fuiſſe Adalberti II. cum ipſo in placito Friſingenſi coniuncti.

Ratolfus aeque et Ratolt Comis dicebatur in litteris anno 848. ſcriptis. a. eius monumenta perduximus usque ad annum 853. b. quo primi teſtes fuerunt *Ratolt Comes*, Piligrim, Starcholf, Purchart, cum Eralo nobilis daret in Erlahuſun, reciperet in loco *Rota* dicto (et ad Glanum ſito.) actum eſt in Eparesbach 16. Kal. decembris anno Incar. 853. Ind. 14. Anno Hluduwici Regis in orientali Francia XVIIII.

Anno incerto, ſed qui poſterior non fuit 855º *Ratoltus* Comes id egit quod decebat virum Hoſum et conſanguineum Adalhareshuſanorum. Piligrimus ille, qui primus dederat ſuam partem Eccleſiae Adalhareshuſanae, adhuc in viuis erat, quamuis filius eius Reginbertus iam obiiſſet, ut coniicio ex inſtrumento traditionis c. quam fecit pro remedio animae ſuae et filii ſui Reginberti, et de qua iam egi. Vxor eius *Alta* inuenis tunc fuiſſe videtur, et improlis, cum Piligrimus haerede tunc caruerit, et praedii donati in Adalhareshuſon, vel Beneficii, aut alius rei a ſe traditae uſum ea lege Altae aſſeruerit, ut ipſo defuncto illa ſe velaret, et ma-

a) Meichelb. n. 655.
b) ibid. n. 680.
c) ibid. 627.

maritalem thorum conferuaret. Has leges dicebat Piligrimus uxori fuae Altae, et haeredes fperabat tantum anno 843. Primi teftes erant Kepolf, Wicpald, Luitpald, Willihelm, alius Willihelm.

Poftea vero „ nobilis quidam Piligrim (haud dubie morti „ proximus) pro remedio animae fuae tradidit res quas acquifiuerat ad Slipfes (hodie Slips) cum omnibus in ipfo loco „ Slipfes ad fe pertinentibus; hoc totum et integrum in manus „ *Ratoldi* Comitis et Kepolfi Comitis dabat ipfam traditionem peragere in altare S. Mariae ad Frifingas, ea ratione ut coniux eius „ *Alta* ipfam traditionem haberet ufque ad finem vitae fuae, fi „ nubere noluiffet. „

„ Ipfe vero *Ratolt Comes* et Kepolf cum funere corporis fui „ venerunt ad Frifingas, fupradictis verbis ipfam traditionem „ perfecerunt. „

Exhibuit itaque Ratoltus Comes Piligrimo Adalhareshufano officium proximi confanguinei cum Kepolfo, quem ex altero inftrumento iam fufpicabamur confanguineum fuiffe Piligrimi. Non alias deprehendi Kepolfum Comitis elogio infignitum, fed ex hoc inftrumento utique conftat ipfum eo infigniri debuiffe.

Aliud exemplum omiffi tituli exhibet Charta [e] anno 857. fcripta, et cuius teftes fuerunt *Alprat* Comes, *Willihelm* Comes, *Kepolf*.

Notare nunc fufficiat de *Kepolfo*, nomen quod geffit familiare fuiffe genti cuius fator extitit *Ifangrimus*, fat celebris ille *Hofus*

d) n. 698. e) 724.

quem apud Nertingam ſepultum eſſe ſupra monuimus: relicto filio qui *Iſangrimus nobilis vir* vocatur in litteris Annonis Epiſcopi poſt annum 855. exaratis. f.

Huic vero Iſangrimo Hoſo haeredes iure meritoque tribuimus duo nobiles fratres *Iſangrim* et *Kepolf* appellatos g. qui a. 925. vixerunt; ſi quis tamen Kepolſum Comitem dequo ſupra diximus Ratoldi Comitis aut fratrem aut patruelem nuncupare voluerit, non vetabo, at eo magis conſtabit Ratoldum Adalhareshuſanum fuiſſe, aeque ac fuit Aribo Comes.

§. II.

Sub Annone Epiſcopo qui Regimen auſpicatus eſt anno 855. rariſſima eſt mentio Ratoldi Comitis, ſed quod huc uſque non contigit nec ipſi, nec alii, quem ſciam, bis de *Comitatu* ipſius mentio occurrit.

Primum quidem cum narratur a. Annonem Epiſcopum dediſſe Heimberhto praedium *in loco qui dicitur Kem* in COMITATV RATOLTI COMITIS, ab eo vero recepiſſe praedium *in villa quae dicitur Mobinga.* Quamvis igitur neſciam, ubi locus iſte *Kem* ſitus fuerit, hallucinor tamen haud procul diſſitum fuiſſe a tractu in quo Mochinga hodienum exſtat. Idque confirmare mihi videtur quicquid ſcripſi de locis in quibus Comites fuerunt et *Luitpaldus* et *Ratoltus.*

Iterum et modo ſingulari porſus nuncupatur *Comitatus* Ratoldi in litteris b. quas hic integras cum rubrica exſcribere operae pretium eſt:

Com-

f) 73.
g) n. 1013.

a) ibid. 782.
b) ibid. 800.

Commutatio inter Annonem Episcopum et HRVODOLDVM COMITEM.

Dedit praedictus Ven. Anno Episcopus ex ratione praefatae Ecclesiae eidem VENERABILI COMITI ad SVVM COMITATVM HABENDVM IN LOCO qui DICITVR *Purgipab Ecclesiam cum domo &c. et e contra in recompensatione harum rerum dedit praefatus* NOBILIS COMES *praetitulato episcopo in loco qui dicitur Sucinpab curtem cum domo &c.*

§. III.

Omnia fere verba quibus constant hae litterae, digna sunt quae expendantur.

Et 1°. quidem constat, locum *Purgipab* in ipso *Pago Hosiorum* situm fuisse; in loco vero Sucinpah ubi *Hruodoldus* praedia habuit, alios quoque Hosios alia praedia possedisse.

His addo 2°. loca in quibus praedia commutata sita erant vicina esse debuisse Comitatui *Hruodoldi*, quem a Comitatu *Ratoldi* diuersum vix quisquam eo minus reputabit quod situs utrique idem, fines iidem, prorsus fuerunt. 3°. Istius vero Comitatus formula tunc temporis omnino fuit mutata, ita quidem ut qui merus olim magistratus erat iam vera Ratoldi proprietas euaserit; alioquin Ratoltus vel Hruodoldus non *dedisset res suas* ut *praedium* adderet *Comitatui suo*.

4°. Ex hoc ipso coniicere licet mutata Comitatus formula, formulam quoque successionis mutatam et Comitatum Ratoldo et

posteris ipsius ita assertum fuisse, ut Ratoltus illum ditare et potuerit et voluerit.

5º Iure igitur animaduerto, mutatam tunc fuisse ipsius quoque Ratolti conditionem, caruerat huc usque omni elogio, ut caeteri Comites carebant; Iam vero audit et *Venerabilis* et *Nobilis comes* in tabulis peractae cum Annone Episcopo commutationis. Ambo hi tituli vix semel atque iterum occurrunt; primus vero a *Marchionibus* praesertim affectatus deinceps fuit, ipsisque quoddammodo proprius et peculiaris.

Huc accedit, quod Ratoltus sub regimine Annonis rarissimus apud Frisingenses, et ita rarus, ut eum mortuum crederes nisi verbum fieret de eius Comitatu.

Accedit quoque quod mutatio quae contigit in eius ministerio, indicium sit haud ambiguum fauoris Regii, et fere certum auocati ad alia et grauiora negotia Comitis.

Quae cum ita sint, quaerendum nobis incumbit, quo et ad quem magistratum maiorem euocatus fuerit Ratoltus vel Hruodoldus Comes.

§. IV.

Id vero operae pretium est praefari, Ludouicum Germanicum in Germania tunc regnasse, eum nempe qui a viro Bauaro et Hosio educatus, et Baioariae regnum primo sortitus, ita fidam sibi hanc

hanc gentem expertus eſt, ut et contra Patrem minus pie arma ſumere, totam Germaniam ſibi vendicaturus, et cum fratribus bellum gerere impune potuerit.

Adde quod diu et fere perenniter in Baioaria deguit, et non dubitabis, quin Baioarios homines ſummopere dilexerit, iiſque, quam omnibus aliis et ſe et res ſuas Regnique tutelam credere maluerit. Quodſi tamen minus perſuaſum tibi ſit Baioarios ab hoc rege frequentius euectos fuiſſe ad honores regni, et munia ampliora obtinuiſſe quam caeteros Germanos, hoc ſaltem concedes, neglectos ab eo non fuiſſe nec cum Baioaria aduerſum hostes tutanda eſſet, exteris id muneris, id curarum, commiſſum.

Nunc benigne Lector euolue mecum Annales Francorum Fuldenſes, quorum fidei detrahere qui vellet, omnis Hiſtoriae fidem funditus euerteret. Ibi leges ſub anno 871. qui annus nobis accommodatiſſimus eſt, ea quae hic ſubiicio.

„ (Hludowicus Rex) menſe Octobri cum ſuis colloquium „ habuit in Francfurt. Inde in Baioariam profectus contra Behe- „ mos irruptionem in Regnum ſuum molientes tutores partium „ ſuarum miſit Arnum videlicet Epiſcopum et *Ruodoldum Comi-* „ *tem*, alioſque cum eis. „

Nihil diſertius, nihil quod magis et rei et tempori congruat deſiderare poſſumus.

Ludowicus Francofurto in Baioariam venit, ut Bohemis regnum ſuum inuadere molientibus obicem poneret.

Mittit igitur contra barbarum hoſtem copias Baioaricas, Ducem Baioarium exercitui praeficit, collegam addit Arnum Epiſcopum Wurtzburgenſem, qui et ipſe Baioaricis Epiſcopis praeerat. Quicquid enim terrarum Franconiam nunc dicimus, quicquid Danubio et Sylua hercynia ſeu Thringia claudebatur, Nordgouiae nomine tunc veniebat, Baioariisque iam inde a ſeculo 8º ineunte accenſebatur, quo ipſi Thuringis ac Slauis prouinciam hanc eripuerunt.

§. V.

Ne vero putes temerarie nos aſſerere Ruodoldum Sorabici limitis Ducem et ipſum Comitem Baioarium fuiſſe; argumentis quae modo haud ſiue pondere congeſſimus, palmarium aliud addemus, probando *Ruodoldum* eodem anno 871. Ratisbonae deguiſſe, idque egiſſe quod agentem Baioarium eſſe oportebat. Probabo ſane ex inſtrumento quod mihi ſubminiſtrat Anamodus. a.

„ Commutatio, inquit, conuenit inter Ambrichonem Re-
„ ginenſis Eccleſiae venerabilem Epiſcopum et quemdam nobi-
„ lem presbyterum Alawihum Cancellarium Rodoldi Comitis
„ Venerandi. Tradidit praefatus Presbyter pariter cum ſuo Ad-
„ uocato talem proprietatem ut habuit ad Ottarpah, et ad Hacin-
„ hofa, e contra vero tradidit Immo (Aduocatus) una cum Epi-
„ ſcopo talem proprietatem ut Popo quondam contradidit in loco
„ nuncupante Holzhuſa (in pago *Hoſiorum*) . . . Veſtitores ve-
„ ro *Ratoldus*, et Berchtricus et Immo fuerunt . . . Actum eſt
„ au-

a) Lib. 1. n. 10. ap. Pez. An. Tom 1.

„ autem in ciuitate Regina, anno Dominicae incarnationis 871.
„ Indict. IV.

Viden hic *Cancellarium* RODOLDI COMITIS VENERANDI a. 871 Reginae versantem? viden Cancellarium ipsum gente Boaiarium fuisse?

Adde his litteras alias [b]. quibus sancita fuit commutatio inter Ambrichonem Episcopum, et Adalbertum quemdam virum nobilem. Tradidit Adalbertus in Reitinpoh et *facta est haec* commutatio anno Domini 866. Ind. XIII. in loco nuncupato Pereharteshusa in praesentia iam dicti Episcopi et RODOLTI COMITIS.

Habes iterum RODOLTVM Comitem haud dubie Baioarium, eumdemque qui *Venerandus Comes* dictus fuit anno 871. ut dicebatur Ernestus

Ille dux vel marchio, [c]. qui olim primus inter summates Regni fuerat.

§. VI.

Quod si quis obiiciat nil omnino dignitatis ex eo accessisse *Ruodoldo* quod mandata ipsi fuit expeditio contra Behemos, paucos post menses pacata prouincia ad pristinum statum redituro. Tunc vero obtrudam illi titulorum praerogatiuam qua gauisus est *Ruodoldus*, indicio manifesto aut non relapsum fuisse eum in pristinum

b) ibid. n. 15. c) ibid. n. 24.

num ſtatum, aut ſi relapſus tunc fuit, breui poſt diuturniorem dignitatem nactum eſſe.

Multae prorſus dignitates vacabant in finibus qui contra Bohemos tutandi erant, ut docent Annales Bertiniani, quos ſi commendarem, rem actam agerem. Eorum ſcriptor ita ſub anno 871.

„ Hludowicus ad Reginisburg perrexit quia maximum dam„ num a nepote Reſticii, qui Principatum Winidorum poſt eum „ ſusceperat, habuit in tantum ut Markianos cum plurima turba „ ſuorum perdiderit, et terram quam in praeteritis annis obti„ nuerat pernicioſe amiſerit. „

Winidi hi Behemi erant, terra amiſſa ad occidentem Boiohemii iacebat, huius confinii Comites, Markiani, ſiue Marchiones occiſi fuerant, quid igitur veroſimilius, quam Ruodaldo, qui cladem reparare iuſſus eſt creditam ſimul fuiſſe vacantem Markiam? nec ſane Ludowicum poenituit crediciſſe, proſpere enim pugnatum fuit a Ratoldo, et praeda reportata.

Perge iam doceri Ludouicum regem rem reſtitutam retuliſſe Ratoldo, virumque potentem ac ſtrenuum haud fruſtra de Rege et patria bene meruiſſe.

Anno qui expeditionem proſperam *Ruodoldi* ſecutus eſt, clades ingens fuit Saxonum et „ Thuringorum, qui contra Sclauos Ma„ rahenſes menſe maio miſſi fuerant. Quoniam enim Regem ſe„ cum non habebant, et inter ſe concordes eſſe nolebant, idcirco

„ eo hostibus terga verterunt et pluribus suorum amissis turpiter „ redierunt. Ita ut quidam Comites in illa expeditione fugientes „ a mulierculis illius regionis verberati et de equis in terram fu- „ stibus deiecti referantur fuisse. Ita omnino Annales Fuldenses „ ad annum 872.

Hoc ipso anno Arnus Episcopus et Sigehardus Abbas Fuldensis (ex nupera societate adde *Ruodoldum*, quem praetermisit quoque scriptor cum diceret de prospero exitu expeditionis ad quam, ipso docente, missus fuerat Ruodoldus) illi inquam, suppetias tulerunt Carlomanno, cum Zuentibaldo bellum gerenti, et strenue pugnauerunt.

Anno proxime secuto 873. cum recens adhuc esset Thuringorum Saxonumque indecora clades, recens quoque gloria *Ruodoldi*, *Traculphus*, siue *Thaculfus* comes et dux Sorabici limitis mense Augusto defunctus est, ut ferunt Annales Fuldenses.

Huius herois nomen Baioaricum fuit scriptumque est *Traculphus*, *Strachölfus* et *Starckcolfus* nullo discrimine, nominis eiusdem quod gentilitium fuit antiquissimis Boiarici Palatii Comitibus; nominisque, inquam, eiusdem virum reperimus iam cum Ratoldo testantem. Sorabicus limes, siue Marchia Sorabis obiecta illum tractum amplectebatur, quem Sala fluuius perennis Nortgowiae siue Baioariae Septentrionalis limes praeterfluebat.

Nondum elapsus erat annus a morte Strenuissimi Ducis Traculfi cum Sorabi et Siusli anno 874. defecerunt: ignari datum fuisse Thraculfo successorem qui limiti tutando impar non esset, „*at eo-*

„ *rum audaciam Luitbertus Archiepiscopus et Ratolfus Thaculfi Succes-*
„ *sor ultra Salam fluuium* mense ianuario profecti praedis et incen-
„ diis, sine bello, compresserunt, et eos sub pristinum seruitium
„ redegerunt. „

Iam tenebat tutabaturque uti supra monuimus Marchiam contra Bohemos Ruodoldus, siue Ratolfus Boioarius. Marchiae Boemicae contermina erat Marchia Sorabica cissalana; prorogatum ergo fuit Ratolfo Imperium, et utraque Marchia uni Duci commissa.

Ratolfus itaque Comes et *Dux* Sorabici limitis statim post mortem Traculfi creatus est.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM

SYNOPSIS.

Ratoldus Comes Palatinus fuit ab anno fere 853. ideoque post hunc annum infrequens apud Frisingenses. De Nummo cui inscriptus Hratboldus Dux, inscripta Regina ciuitas, quique optime congruit Ratoldo nostro. Successores Ratoldi Ducis fuerunt Poppo et Heinricus, ambo Duces vel Marchiones; filios eius fuisse fere certum est. Excutitur opinio Eckhardi de origine Popponis ducis repetenda a Comite Fuldensis tractus Poppone dicto, probaturque Poaponem Adalbareshusanum eumdem esse cum illo Poppone. Recensentur Primates Hosii qui in Baioaria iidem et in tractu Fuldensi ab anno fere 800. usque ad annum 801. floruerunt iisdem temporibus et ordine eodem. Ambigitur, quinam ex Ratoldo, aut ex eius consanguineis Pabone et Alprato Comitibus sine prole obierint. Statuitur tandem horum haeredem Ratoldum, et huiusque haeredes et filios Popponem et Heinricum fuisse.

§. I.

Dixi equidem, cur post annum 871. rarus esse debuerit apud Frisingenses Hruodoldus Venerabilis et Nobilis Comes, sed nondum constat, cur statim post annum 853. rarescere debuerit.

Animaduerti tamen iam post annum iam 853. Ratoldum non ita ut antea assidue in pago Hosiorum versatum esse, quamuis illic comitatum suum retinuerit; Probaui etiam quantum probari po-

ceſt, obtinuiſſe illum a Rege, ut comitatus in proprietatem conuerteretur; hoc beneuolentiae regiae inſigne ſpecimen edi debuit in Hruodoldum vel Ratoltum cum ad maiora munia auocaretur. Immutatum itaque miniſterium eſt in Comitatum proprium eo tempore, quo apud Friſingenſes infrequens eſſe coepit; at ſcimus cur abſens fuerit. Nimirum hoc anno vel paulo poſt adeptus eſt Comitiuam palatii, quam anno 857. Annaliſta Fuldenſi teſte procul dubio geſſit; cum enim rebellaſſent Bohemi, Otgarius Epiſcopus et HRVODOLTVS COMES PALATII et Hernuſtus filius Hernuſti Ducis cum Hominibus ſuis in Bohemannos miſſi fuerunt.

Ex his autem denuo iterum iterumque apparet, quo iure *Radoldus Comes venerandus*, uti dicitur in monumento a me iam indigitato a), *Cancellarium* habuerit. Habuit ſane *Alawihum nobilem* presbyterum.

Hac vero praerogatiua Rodoldus iam anno 871. gauiſus fuit, iam tunc *comes venerandus* audiuit, Ducatu ſorabici limitis nonniſi poſt aliquot annos augendus, ſed notes velim commutationem inter Ambrichonem Epiſcopum et Alawihum *Ratoldi* Cancellarium peractam eſſe in *Ciuitate Regina.*

§. II.

Hic non poſſum quin aliquid dicam de Numiſmate cuius effigies nuper ad Academiam Boicam transmiſſa eſt, poſtquam ſuperiorem de Ratoldo Commentarium iam praelegiſſem. In huius parte antica conſpicitur crux, bullato circulo circumſcripta, legiturque inſcrip-

a) Anamod. Trad. Emmer. lib. I. n. 16. ap. Pez.

inſcriptio *Hrabtoldus Dux*, in poſtica vero effigiem aut templi aut palatii in medio numismate deprehendes, litteraſque aliquot quas non capio, in exteriore circulo autem *Regina Ciuitas*.

Qui nummum vere eximium nobiſcum communicabat D. Andreas Wurfel, totus in eo erat, ut adſtrueret *Rabtoldum* hunc eundem eſſe qui filius ex pelice Arnulphi Regis fuit. Sed deſunt huic opinioni fulcimenta duo, quibus deſtituta, labi omnino videtur; nuſquam inueni Ratoldum, Arnulfi filium, Ducis encomio ornatum, nuſpiam occurrit monumentum quo aſtrui queat, eum Ratisbonae aut ſaltem in vicinia aliquid ditionis habuiſſe. Dux ſane apud Boioarios non fuit; nam eo quo eſſe potuiſſet tempore, Ducatum Boioariae tenuit Arnulfus.

Quis vero neſcit, inſigne apud Ratisbonenſes extitiſſe Palatium, cui maxime praefuit Palatinus Comes, et in quo plerumque verſari debuit, ſub Hludowico Rege, qui in hac ciuitate utplurimum degere amabat; at Comitis Palatini poteſtas ibi praecipue ſemet exſerebat ubi Rex aderat, et ita quidem ut alii magiſtratus ipſo praeſente penitus ceſſarent. Ex inde quoque factum fuiſſe videtur, ut Ratisbona, tunc *Regina* ciuitas ſaepius quam poſtea diceretur, [a] atque Ambricho, Epiſcopus *Reginenſis audiret*, quod deinceps contigit nunquam. Nempe Regia urbs tunc fuit, et dicta eſt Radaſpona.

Habes itaque in litteris illis de Alawihi Cancellarii pacto cum Ambrichone quicquid fere [b] poſtulat numismatis egregii autoritas; exhibent illae Rododdum vel Ratoldum Comitem venerandum, Ambrichonem Reginenſem Epiſcopum, ciuitatem Reginam. Vnicum

 quod

a) Anamod. Lib. I. c. 27.

b) Idem Lib. I. c. 15.

quod deerat ducis titulum puta suppleuimus ex historia illius aeui cum doceremus anno 873. Ratoldum Ducem Sorabici limitis euasisse.

Quae cum ita sint, numismatis istius autoritatem quae summa est opinioni meae accedere credo, et iure mihi credere videor, sicque conficere autumo Ratoldum, postquam etiam dux Sorabici limitis factus fuit, in Regina ciuitate, ita principem locum obtinuisse, ut nummus ibi cusus nomen eius praeferret.

Addi potest Ratoldum, seu Rodoltum Comitem, ita cum Ambrichone Epo. Ratisbonensi coniunctum fuisse, ut commutationi cum eo faciendae animum applicaret; dedit itaque Episcopus Comiti agrum non modicum in Umpalasdorf, et e contra dedit *Rodoltus Comes* Epo. agros in Stupinga et in Perihhinwane sitos; id actum est anno 874. a. 8o. Kal iunii, cum iam praeesset Ratoldus marchiae Sorabicae. Non diu superstes fuit Ratoldus Comes et reuera grandaeuus erat, ut qui iam anno 837. Comitatum gessisset.

§. III.

Si vera diximus de Ratoldo Duce totam fere Nortgouiam tenuit qua hostibus obiecta et exposita erat. Vtramque enim Marchiam administrauit, illam puta cuius Markiani a Bohemis anno 871. occisi fuerunt, quamque Boemannis vicinissimam tenuerat olim et iam ante annum 849. Hernustus Dux a. alteram vero cui Thaculfus itidem ante annum 849. praefectus fuerat, et cuius ratione dictus est Dux Sorabici limitis.

Quis

a) Annal. Fuld. ad h. an.

Quis vero Ratoldo ſucceſſerit ſi quaerimus, reperiemus duos fratres ipſum excepiſſe, Popponem ſcilicet et Heinricum; Illum iam anno 880 *ſorabici Limitis Ducem*; hunc *Marchenſem Francorum* et Ducem, cuiusque filii duo *Adalbertus* et *Heinricus* Marchiones pariter fuerunt.

Id autem ſi recte perpendimus; ſi meminerimus inſuper, bellum atrox ea circiter tempora in Pannonia exarſiſſe popterea quod duorum fratrum Marchionum filiis, pueris adhuc, parentum honor datus non eſſet, aſſeremus confidenter, *Popponem* et *Heinricum* Marchiones fratres, ſatos fuiſſe patre, qui poſſederat quicquid inter ſe ſortiti ſunt; utramque ſcilicet contra Behemos et contra Sorabos Marchiam; fere non dubito quin Heinricus ille qui anno 866. Princeps militae apud Ludouicum Iuniorem fuit, atque ad Raſticen miſſus ut foedus cum eo contra Ludowicum ſeniorem pangeret b. non dubito inquam, quin Heinricus ille idem fuerit, qui poſtea Marchio Baioariorum ſeptentrionalium euaſit. Id enim ſinit Ratoldi Ducis prouecta aetas, id ſuadet ſeries rerum, quae hoc aeuo geſtae ſunt. Quod ſi ita eſt, ſcimus cur Ludowicus Iunior Baioariae Regnum adeptus, adeo benignum ſe exhibuerit Ariboni Comiti, utpote filio Adalberti II. quem patruelem diximus Ratoldi Ducis.

Benigniſſimus idem mihi videtur fuiſſe in Popponem qui, patri una cum fratre ſurrogatus cum contentus eſſe debuiſſet ducatu Sorabici limitis, ducatum quoque Thuringiae, Sorabico limiti conterminum, adeptus eſt; incertum quo tempore, ſed eodem ni fallor quo Ludowicus Iunior totam fere Germaniam obtinuit. Id tamen ita penitus contigiſſe haud affirmabo, ſiquidem Heinricus

b) Annal. Fuld. ad. h. an.

cus Marchio et Dux, maxima autoritate polluisse videtur apud Carolum Crassum: a quo rerum in universa Germania potito Poppo Thuringiae ducatu ornari, Heinrici vero prouincia sic augeri potuit, ut duplex ei Marchia, quam utramque iam ante eum simul tenuerat Ratoldus, denuo uni crederetur, ad filios eius Adalbertum et Heinricum, qui ambo Marchiones fuerunt, partibus aequis deferenda, postquam ipse circa Parisios occubuit.

§. IV.

Popponem Baioarium fuisse nomen ipsum indicare videtur, quod tamen iisdem fere mutationibus ac Ratoldi nomen obnoxium, varie distortum reperimus. Idem enim qui Poppo dicebatur scribebaturque, nunc Pabo, nunc Papo, nonnunquam Bobo, dicitur scribiturque. Causa fuit quod genuina et mere Boica vox fuit Poapo vel Puapo, ut ex antiquis monumentis eruere in promptu foret, qui igitur dialecto Boica Poapo nuncupabatur aeque Papo vel Popo dici potuit.

At certo scimus, hoc nomen imprimis Boicum fuisse; cum viri nobiles fere innumeri in nostris monumentis illud gerant, in aliis rarius legendum.

Poppo Ducatum Sorabici limitis iam tenebat anno 880 [a]. quo Sclauos qui circa Salam grassabantur profligauit.

Eodem anno exercitui in Hugonem Tyranum misso praefuit *Heinricus* dux Francorum, Neustriae Dux, Marchio Francorum, et ingentem famam, multis praeclaris facinoribus editis, magnamque autoritatem potentiamque sibi conciliauit.

At

a) Annal. Fuld. ad. h. an.

At hunc Heinricum fratrem Popponis fuisse diserte nos docent Annales Fuldenses ad annum 883. occubuit vero si Reginonem audias anno 887. b. cum Parisiis a Nortmannis obsessis suppetias ferret, et apud Suessiones in Medardi templo sepultus est.

Annales vero Fuldenses eum anno 886. occubuisse docent et mihi persuadent.

Interim Poppo acrius ab Esgnone Comite quam a regni hostibus impetitus, non semel male pugnauerat; Ducatum tamen Thuringiae, adhucdum anno 888. obtinebat. Tunc enim, si annales Fuldenses sequimur, anno vero 889. si Reginoni credimus Electus est Sunzo vel Sunderoldus Arpus Moguntinus *Poppone Thuringorum Duce* et Arnolfo Rege annuente.

Eodem anno Arnulfus Rex nonnihil largitus est Ecclesiae Fuldensi per quorumdam procerum suorum admonitionem, videlicet *Pobbonis* et Deotpoldi, quem Pobbonem recte Popponem esse hallucinatur Eckhardus c. eodem quoque anno sed paulo ante, agrum dederat Arnolfus cuidam e suis in pagis *Folcfeld* et *Issigewe* in *Comitatibus filiorum Heinrici et Eginonis.* d. ex quo discimus Eginonem illum, Popponis interneciuum hostem, mortuum tunc temporis fuisse, ut et Heinricum. Hic vero filius superstites tres reliquit. Sed Poppo infenso licet hoste liberatus diu faelix non fuit. Ita enim Regino ad annum 892.

„ Per idem tempus Arn Wurtzburgis Ep. 9 hortatu et sua-
„ sione *Popponis* Thuringorum Ducis, ad pugnam contra Sclauos

b) Regino ad h. an.
c) V. Eckhart Hist. Franc. Or. T. II. p. 709.
d) ibid. p. 708.

„ profectus in eadem pugna occiditur . . . . . *Poppo* Dux Thu-
„ ringorum dignitatibus exspoliatur ; Ducatus quem tenuerat
„ Cunrado commendatur, quem pauco tempore tenuit et sua
„ sponte eum reddidit. Deinde Burchardo Comiti committitur
„ qui eum hactenus strenue gubernat. „

Breuius Annalista Fuldensis, ad eumdem annum „ Poppo
„ dux Thuringorum honoribus priuatus est. „

§. V.

Illa quamuis trita iam et notissima ommittere religioni habui; at nunc id mihi a Lectore dari postulo, ut tempus rerum gestarum maxime teneat.

Hallucinatus est Eckhard, vir doctissimus, Popponem filium fuisse Popponis alius qui anno 825. Comes legitur in pago Grapfeld haud longe a Fuldensi coenobio. Verum enim vero nihil profecto afferre potuit Eckhardus ut id probaret, quod afferre nequeam ego ad astruendam meam sententiam.

Affirmanti Popponem filium fuisse Popponis Grapfeldensis Comitis obiicio id nusquam reperiri; probanti ex eo quod pagus Grapfeld deinceps situs dicatur in comitatu *Adalberti* Babenbergensis qui nepos fuit *Popponis* nostri ex fratre Heinrico sicque et ipse a Poppone Grapfeldensi originem traxisse, regeram non magis constare argumentum de prorogata Popponi vel Heinrico comitiua fatris Popponis sumtum, quam constat illud quod de Ratoldi Ducatu filio Popponi concesso protulimus.

Quod

Quodsi urgeat Eckhardus Presbyterum quendam qui agrum in pago *Grapfeld* habuit Bobbonem dominum salutauisse mani festo indicio Poponem Thuringiae Ducem, nam is *Bobbo* heic vocatur, eundem Comitatum quem Popo I. a. 825. tenuit administrauisse, tunc sane cum Comites indigenas in Pago Grapfeld agnoscam nullos, in parentes Poponis illius inquiram diligentius, ipsumque omine fausto genti nostrae vendicabo.

Deserta fuit tota Buchonia et adiacens regio quamdiu confectum non fuit Saxonicum bellum. Carolus vero Magnus eiusque successores praedia in hac plaga dederunt abunde cunctis qui ea colere voluerunt, ex eoque factum est, ut ibi praedia omnia *capturae* dicerentur, quod alibi non reperies.

Quid ergo obstat quin dicamus, nobilem quemdam Boium, Poapo vel Poppo dictum, in pagum Grapfeld Boioariae conterminum colonos deduxisse ibidemque comitatum adeptum esse?

Quantumuis autem libenter agnoscam Popponem utrumque eodem sanguine cretum fuisse, enixe tamen rogo, ne alter alteri filius statim tribuatur.

Habes Poaponem quendam inter Dynastas meos Baioarios; post annum 842. ante annum vero 852. nempe dum Erchanfridus Ecclesiae Ratisbonensi [a] praeesset. Princeps interfuit *Babo Comes* donationi in gratiam huius Ecclae factae, qua Dauid quidam res dedit ad Perge et ad Egiuila sitas. Testes cum eo fuerunt et posteum primi *Meginhart* et *Ratolt*. Ratoldus quidem hic is est qui post Babonem illum Ratisbonae principem locum obtinuit, Reginhart vero aut post Ratoldum Comes Palatinus fuit, aut saltem

 ille

a) Anamod. ub. S. col. 211.

ille Vassus Dominicus est qui cum Luitpaldo II. Comite non semel testimonium praestitit, ut passim in instrumentis Frisingensibus videre est.

Poapo hic ipse aut pater eius coaeuus fuit et consanguineus Luitpaldi I. Comitis. Hoc me docet charta insignis [a] ex qua Adalhareshusanos cohaeredes erui: hoc instrumentum cum expenderem omisi de industria ea omnia quae in eo dicuntur de Poapone, postquam narratum fuit de aliis traditionibus in Adalhareshusa factis, et iam per vestituram aut semel factam aut etiam renouatam absolutis. Additur: „*Postmodum hoc* AVDIENTES NO„BILES viri qui in ipsa Ecclesia cohaeredes erant, quorum no„mina *Poapo* et Heriolt, et ad Frigisingas venerunt, et firmiter „tradiderunt in Altarem S. Mariae quicquid in ipsius Ecclesiae „rebus ad se legibus pertinere videretur, quae dicitur ad Adal„hareshuson ut ab hodierno die firmiter tenetur ad Domum S. „Mariae pro remedium animarum eorum Parentum seu pro „*filios* eorum. Hoc factum est supradicto anno (827) ipsa „Indictione in 8. idus Nouembris. Isti testes Piligrim, *Regin*„*perht*, Petto, *Wichelm*, Adalune . . *Folius* Poapo. Prima largitio facta fuerat a Piligrimo 14. Kal. Augusti. Ind. 5ª secunda a sorore Piligrimi 3. Kal. Octobris Indict. 6ª tertia ab Hartnido 3. nonas Octobris, quarta a *Luitpaldo* I. eodem die. Vestitura peracta fuerat 2. nonas Octobris. At mense demum Nouembri adsunt *Poapo* et *Horioltus* postquam AVDIERVNT largitiones a cohaeredibus suis factas fuisse; causa morae et absentiae in aperto erit, si dicamus Poaponem hunc Adalhareshusanum eumdem esse qui in tractu Fuldensi Comes fuit.

§. VI.

a) Meichelb. n. 510.

§. VI.

Monſtrum videbitur forte haec audacia, qua fere aſſero nobilem Baioarium eumdem eſſe qui trans Moenum et haud longe a Rheno et Dynaſta et Comes fuit. Sed quem fugit, in his antiquitatibus verſatum, eumdem ſaepe optimatem praedia, beneficia, pagos in pluribus prouinciis aut Regnis ſimul poſſediſſe.

Quis neſcit Reges Francos, cum nuper ſubactae gentis primates ſibi deuincire vellent, ſolitos fuiſſe praedia Rheno vicina aut etiam in Gallia iis donare, illicque eos, ſi ſolum verterent, etiam comitiua ornare.

Liquet ferme patrueles aut e patruelibus ortos, omnes fuiſſe illos Boios nobiles qui ſuam quiſque portionem Eccleſiae in Adalershuſir ab auis ſuis acceperant. Patres virorum neſcimus: ſed hariolari licet eos ante finem ſaeculi octaui et multo ante vixiſſe. Obtinuit ergo Pater Poaponis et Heriolti praedium in Grapfeldenſi prouincia, quo fere tempore exauctoratus fuit Taſſilo, quin imo auum ipſum obtinuiſſe fere crederem.

Haud longe abfui a conferendis traditionibus noſtris cum iis quibus ditata fuit Abbatia Fuldenſis, nec ſpes deerat probandi integras fere teſtium cateruas poſt initium ſaeculi noni easdem fuiſſe in Bauaria quae circa hanc abbatiam, ſed ſatis me facturum credidi, ſi oſtenderem, optimates noſtros utrobique comparere eodem fere temporis articulo.

Atque ut initium faciam a Poapone qui anno 827. dedit portionem ſuam in Adalareshuſir, comparet ille apud Fuldenſes [a] primum, ut mihi videtur, anno 806. et Buobo vel Babo dicitur, ſocium habet Orendil, cuius nomen Boicum eſt.

Comparet denuo diciturque Buobo an. 811. [b] Babo vero an. 814. [c] iterumque anno 816. rurſus Buobo an. 818. anno ſequenti occurrit mihi [d] quoque Erboni vel Erbo teſtis: at eodem anno, quo tandem *Poppo* Comes teſtem agit, [e] mutato ſeu potius ſtabilito nomine cum dignitate, quia nempe uſus, vulgari locorum ſermoni magis congruens, ex maiori nominis celebritate conualuit, et in litteras tranſiit; variatum tamen eodem hoc anno cum *Popo* Comes ſcriptus fuit. [f]

Ad primam ſcribendi rationem reditum anno 821. [g] et Poppo Comes dictus fuit, ita et anno 823. [h] ſed ne credas Poaponem ſolum ex Bauaria in Buchoniam commigraſſe, quaerasue a me ubi fuerit Herioltus ille frater Poaponis, quo tempore patrueles eius dabant certatim ſuamquiſque partem Eccleſiae in Hoſiorum tractu ſitae; ſiſto tibi Herioltum teſtem hoc ipſo an. 823. [i] iterum an. 824. [k] rurſusque et tertio eodem anno [l] cum Frieſo vir alias Bauarus traditionem faceret.

Obiter

a) Schann. Tradit. Fuld. n. 200. et 201.
b) n. 222. 223.
c) 266. 286.
d) 305.
e) n. 312.
f) 313.
g) 318.
h) 336.
i) n. 351.
k) 356. 357.
l) 375.

Obiter notabo, Comitem *Habbonem* cum Adalprahto, cuius frater videtur fuiſſe, Fuldam hoc ipſo anno veniſſe m. ibi quoque fuit Herioltus an. 825. n.

Anno ſequenti Poppo Comes, o. qui traditionem ipſe fecit, eodem anno ibidemque Herioltus bis teſtatus eſt p. Anno vero 827. quo uterque in Bauariam ſe contulit neuter apud Fuldenſes comparet.

At anno 830. Ratoltum teſtem apud eos primum offendo, q. anno vero 837. r. et nobilem virum ſeu comitem, nam primus teſtis eſt poſt Iſanhartum traditorem, Comitem inquam, aut primatem virum, qui Luitbaldus dicitur; eodem anno comparet Albrat ſ. cum uxore ſua Werinhilta.

Anno ſequente (838.) t. iterum praeſto eſt *Luitbaltus* ipſe donator praedii in Salagewa ſiti, ita tamen ut et Luitbaldus dicatur.

Interim fugit nos Herioltus nunquam rediturus. Thacolfus u. vero qui et Starcolfus antea dictus fuerat, vir nomine ſaltem Bauarus, principem locum occupare videtur, quod ideo hic dico, ut neglexiſſe omnino non videar Thaculfum illum vel Traculfum qui Dux Sorabici limitis ante Ratoldum fuit, et cuius nomen geſſit Epiſcopus quoque Friſingenſis.

At

m) 374.
n) 381.
o) 386.
p) 387. et 388.
q) 402.
r) 414.
ſ) 415.
t) 430.
u) 427.

At eodem anno 838. quo Luitbaldus largitionem fecit Coenobio Fuldensi, adfuit quoque die 15º maii primusque testis fuit et *Ratolfus* Comes cum Hrabano filio suo. Luitbaldus Fuldam inviserat 5. calend. februarii.

Dicerem et Popponem cum Heriolto euanuisse, nisi lite orta Neomagi x. coram Ludouico Imperatore anno hoc 838. inter Hrabanum abbatem fuldensem et Gozbertum quemdam, iudex fuisset *Popo* Comes cum Adalberto Comite et aliis multis proceribus. Actum id fuit mense Iunio 18º calendas Iulii.

Non is ego sum tamen qui asserere velim, hunc Popponem Comitem eumdem esse, de quo huc usque verba fecimus, magis inclinor ut credam filium eius fuisse; ut ut id sit iterum anno 839. y. comparet Poppo Comes in diplomate Ludewici Imperatoris qui dat Abbatiae Fuldensi partem beneficii eius in Buchonia Sylua, autorque est, ut Abbas Comiti tradat praedia quaedam Monasterii. Non omittam Ratoltum bis testem fuisse anno 841. z. eumdemque esse, ut mihi videtur, qui et antea Ratolfus comes dictus fuit, et postea Hruodolt nuncupatur, anno nempe 850. a. quo restituit Abbati fuldensi comprehensionem Syluae quam iniuste comprehenderat.

Paulo post vero adest *Altbraht* cum matre sua *Waltdruda*, b) quem non imprudens hic nomino, videtur enim mihi filius fuisse Popponis Comitis et frater alterius Popponis, qui Buobo dicebatur.

x) 434.
y) 444.
z) 450. et 451.
a) 473.
b) 483.

batur an̄is 865. c. et 867. d. nec unquam uti quidem apparet Comitatum gessit in regione Fuldensi.

Non opus est credo, ut moneam lectores ratione aetatis omnino congruere Herioltum, Poaponem, Luitpaldum et Ratolfum, Boios principes, cum Heriolto Babone, Buobone vel Poppone, Luitbaldo et Ratolfo, quos apud Fuldenses repperimus.

Hrabanus Ratolfi Comitis filius me angeret, nisi Gramanus in Bauaria dici potuisset, et hoc nomen in gratiam Hrabani Abbatis Fuldensis infanti datum, certum fere indicium esset, monasticae vitae deuotum fuisse.

§. VII.

Superest ut dicam de *Buobone* II. et Altbrahto, quos credo fratres fuisse filiosque Popponis I. Comitis.

Scimus post annum 842. ut iam monui, fuisse in Bauaria Comitem Babonem, qui in Regina ciuitate testis fuit cum Ratoldo; hic idem est qui Papo Comes nuncupatur a. in actis iudicii quod tulit, et cuius testis fuit cum sederet in conuentu habito apud Nistharteskhirichen, de lite inter Epm̄ Frisingensem et quemdam virum nobilem. Actum id est anno 845.

Iterum testis fuit cum Ratoldo, sed Poabo nuncupatus b. anno 846. tertio anno 848. c. at Puopo dictus.

Anno vero 850. Pupo dictus fuit d. et *Alprahto* Comiti testanti et ipse testis adfuit. Opportune quidem hic nobis semet offert *Alprabtus*.

c) 498.
d) 502.
a) Meichelb. n. 636.
b) ibid. n. 640.
c) n. 651.
d) n. 670.

Iam in charta an. 827. ex qua consanguinitatem Poaponis et Luitpaldi Comitum erui, testis cum Luitpaldo Comite fuit (Nobilis vir) *Alprat*, vix diuersus ab Adalprahto, qui anno 825. Fuldae ita comparebat, ut videretur frater fuisse Hahhonis Comitis.

Alterius *Adalprahti*, quem apud Fuldenses reperio quemque suspicor fratrem fuisse Buobonis II. Babonis aut Paponis Comitis Bauarici, illustriora adhuc sunt vestigia in Bauaria.

Laudaui iam litteras quibus Alawihus, Rodoldi venerandi Comitis Cancellarius, sanciuit commutationem cum Ambrichone Epo Reginensi, anno 871. illic primus testis fuit *Albrat* Comes. Res acta est tamen in ciuitate Regina. Octo vero annis ante Papo vel Babo noster, hac ipsa in ciuitate secundus testis fuerat [e] mutationis anno 863. factae, eo usque ergo vixit Papo. Successor ex omni parte videtur fuisse Alpratus Comes; praeterquam quod enim easdem vices in Regina ciuitate suppleuit, eius in Bauaria ditionem indigitabimus, si dixerimus eum *primitus* testem fuisse [f] commutationis factae post annum 860. et cuius vi Epus Frisingensis dedit res ad Tagoluingam sitas.

Idem hic Alprat Comes interfuit placito [g] publico in Feringa post annum 869. habito, et post Meginhardum Comitem, eumdem, ut puto, de quo iam supra, primus testis seu iudex fuit.

Sed quantum mihi constare videtur consanguineum Ratoldi fuisse Alprahtum Comitem, tantum abest, ut eius filius fuerit.

Vtrumque manifestum est ex charta anni 871. primus enim testis fuit Alprahtus, et adeo iudicis seu arbitri munus obiuit cum

e) Anamod. ub. S. col. 205. c. 6.

f) Meichelb. n. 670.

g) 729.

cum ageretur de mutatione, in qua *Rodoldus* seu Ratoldus venerandus Comes vestituram fecit, ut tunc dicebant; quod filium venerandi Comitis non decuisset, consanguineum et Babonis successorem optime decebat.

Hallucinor, ut vides, Paponum et Alpratorum familiam, cuius originem bene quis repetierit ab Alprato Comite Frisingensi, patre vero Adalberti I. et Luitpaldi Comitum, nonnihil aut Ratisbonae, aut circa hanc urbem, autoritatis habuisse.

Medius inter Fuldensem et Frisingensem tractum quodammodo est Popo ille, qui Ecclesiae Ratisbonensi dederat idem praedium in Holzhusa, quod Ambrico dedit Alawiho Cancellario, in Holzhusa, inquam, ubi *Isangrimus* filius vetustissimi illius Poaponis, cuius Alprat Comes consanguineus fuit, traditionem et ipse fecerat.

Vt vero nihil desit hallucinationi nostrae notabo, in tractu Fuldensi fuisse pagum Husitin qui ab Husis vel Hosis nostris nomen traxisse mihi omnino videtur; eo vero audaciae siue dementiae veni, ut fere credam, Alpratum Comitem Frisingensem eiusque filium Adalperhtum a me reperiri apud Fuldenses [h] ubi anno 9. Imperii Caroli Magni, regni eius 40. 16. Kal. Iunias *Odilprabt* sana mente, sanoque consilio donat res suas in pago Wormacinse primusque testis est donationis a se factae, sequuntur signa *Adalpercti, filii eius Erchamberti, Altbercti, Adilbertic Reginbercti.* Quatuor Adalbertos hic habes, sed quorum nomina varie scribebantur, ut alii ab aliis distinguerentur. Cateruam testium habes in alia carta, qui nominetenus saltem Hosi sunt, sed quorum nomina ita mutantur, ut Adalbertus in Alpratum mutabatur [i].

h) Trad. Fuld n. [illegible]

i) ibid. n. 213.

Illi fuerunt Ratperahtus (vel Ratperchtus aut Rotbertus, Sindperahtus (vel Sindperhtus.)

Reginperahtus (vel Regimbertus.)

Dauid, Heriratus, Haholfus (Hosia nomina omnia.)

§. VIII.

Ex iis quae huc usque dixi prolixius et operosius quam libuisset, ex iis quoque, quae deinceps dicturus sum, eo recidit quaestio, utrum nempe Poppo dux filius fuerit Albrati vel Babonis; qui fratres fuerunt, an vero Ratoldi, utrumuis autem salutauerit patrem; eadem omnino origo fuit, eosdemque maiores agnouit, a quibus oriundi erant Aribo et Luitpaldus Marchiones.

Accedit quod, quemcumque eorum patrem illi dederis, inde elucescet, cur tam vastas et tam longe semotas possessiones habuerint filii Popponis ducis, eiusque ex fratre Henrico duce nepotes.

Perplexum igitur ambiguumque iudicium est, sed quod ferre tamen non pigebit, si mecum consideraueris, 1º Babonem Baioarium nobis Secundum viuere non debuisse post annum 863. cum nusquam deinceps compareat ita, ut Comitem deceret; proinde illum eumdem non esse cum Poppone Duce.

2º Buobonem Fuldensem, quem eumdem esse cum Babone Baioario aetas suadet, obscurum nimis apud Fuldenses locum tueri, et minus congruum viro aetatis prouectioris, moxque in Ducem euehendo, aut filium Ducem salutaturo.

3º Ea-

3º Eadem repugnare Albrahto vel Adalprahto, viro tantum non obſcuro ac ignoto, qualem Popponis et Heinrici Ducum genitorem gentisue in Fuldenſi regione, Nordgouia et Bauaria praepotentis ſatorem fuiſſe, vix pronunciaueris.

4º At vero omnia rite explicari, ſi dixerimus, Pabonem II. et Albrahtum praedia quidem in Fuldenſi tractu retinuiſſe, comitatum vero in Bauaria adeptos fuiſſe, Poponis I. Comitatum aut in aliam domum tranſiiſſe, aut Ratoldo datum eſſe, qui praedia in Salegewe iam habebat, utrumque vero improlem obiiſſe, ita ut et praedia ad Ratoldum Ducem eiuſque filios deuenirent, ad nepotes quoque aliquando tranſitura.

5º Denique quicquid argutiatus fueris de Popponibus Fuldenſibus, concedas oportet, neutrius patrem eas prouincias rexiſſe, quas ſortiti ſunt Poppo et Heinricus; mirum ergo omnino foret, ſi Ratoldi haereditas opima integra contigiſſet duobus fratribus, qui nec eius filii, nec etiam Baioarii fuiſſent. Quod ſi nihilominus dixeris, notam inures et Baioariis, inter quos nemo tanti habitus fuerit, ut Baioariae limes ei crederetur, et Ratoldo ipſi, qui improlis non obiit, ut fere probabimus.

At licet omnia huc uſque ita congruant, ut vix dubitari queat, primates Fuldenſis regionis, quos recenſuimus, eosdem fuiſſe quos in Baioaria quoque reperimus, reſtat adhuc ut probemus, filios nepoteſque illius Principis viri, qui pater fuit Heinrici et Popponis Ducum, praedia ditioneſque habuiſſe, ubicumque habere ea debuerunt haeredes Ratoldi noſtri et Popponis Comitis.

Tab. 4a

† † †

Alpraht Comes. a. 765-802. | Selpraht Comes 765-788. | Poapo Comes à 765-773. Tab. 3a.

- Alpraht Comes. a. 765-802.
  - p. tab. 3.
- Selpraht Comes 765-788.
  - Iſangrim Comes † Ao. 821.
    - Leo Comes 82.
  - Eio Comes.
  - Alphart Comes circa 810.
    - Popo Comes in Grapfeld 806. 827. 838.
      - Popo Comes 839-863.
      - Alpraht Comes 869-871.
    - Herioldus Comes 823.
- Poapo Comes à 765-773. Tab. 3a.

CAPVT





CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS.

Quo magis constat Popponem et Heinricum filios fuisse Ratoldi, inquiritur in praedia quae possederunt utriusque posteri, probaturque filios Heinrici tres diuites agrorum fuisse in Baioaria et circa Ratisbonam, ex filiis vero Popponis, Adalbrabto et Bobbone, unum Adalbrabtum bona et comitatum habuisse in tractu Fuldensi.

§. I.

Poppo ille Dux et successor Hrodoaldi, vel Ratoldi Ducis, fratrem habuit Heinricum Comitem, ut iam probaui. Hunc quidem inter Comites Grapfeldenses non reperio, quod Eckhardianae sententiae aduersatur. Si enim Poppo Dux filius fuit Popponis Comitis, vix fieri potuit, ut Heinricus Popponis ducis frater apud Fuldenses ne quidem conspiceretur. At illic occurrit mihi, *ubi Ratoltum Comitem venerandum* reperi, et eo tempore quo occurrere debuit. Transegit enim cum Ambrichone Episcopo Ratisbonensi, qui ab anno 862. usque ad annum 886. Praesul fuit.

Ambricho, Venerabilis Episcopus, ita litterae ferunt a. quas ob oculos habes „*atque Heinricus Comes ob commoditatem, quorumlibet mancipiorum* commutationem fecerunt„ at qui commutant seruos glebae addictos, ut tunc erant, hi procul dubio confines agros possident.

Adest

a) Anamod. ub S. col. 235.

Adeſt igitur *Heinricus* frater Popponis Ducis illic, unde profe-ctum fuiſſe Ratoldum oſtendimus.

Heinrici filii fuerunt celeberrimus ille *Adalbertus* Babebergenſis Comes, *Heinricus* Comes, et *Adalbardus* Comes. Haec omnia notiora ſunt certioraque, quam ut probatione ulla indigeant.

Non ambigua ſunt veſtigia Adalhardi et Heinrici in pagis Grapfeld et Salegewe, ubi et *Poppo* Comes et *Ratolfus* comes praedia habuerunt.

Diploma habemus [b] Ludouici Regis qui 880. conceſſit praedium Abbatiae Fuldenſi in pago nuncupato *Muſelahgewi* in comitatu *Adalhardi*, villam ſcilicet Berge, niſi pagus fuit ad Moſellam ita dictus; legendum credo Salegewi. Sed ne quis mihi negotium faceſſat, addo alterum diploma [c] an. 884. ſcriptum, quo Carolus Imperator largitus eſt coenobio praedicto 8. manſos ad Rosbach in Wetereiba in Comitatu Adalhardi.

Tribus annis poſt, anno ſcilicet 887. commutatio facta [d] eſt cuius vi matrona quaedam recepit ab Abbate praedium ſitum in *Pago Grapfeld* in comitatu *Heinrici*; teſtes fuerunt *Boppo* Comes, *Adelbraht*, Arnolt et alii.

De Adalberto ne ſis ſollicitus, cum a fratribus omnia occupata videas.

Paulo poſt ſequitur charta, [e] in qua agitur de locis in *pago Graphelde* in Nordheimero marcu in Comitatu *Adalberti*. Teſtes alio pertinent.

His

b) Schannat n. 520.
c) n. 522.
d) n. 524.
e) n. 526.

His gestis discedit *Heinricus* Comes nunquam reuersurus, non ita Adalhardus [e] cuius concambium cum Abbate factum confirmauit Ludowicus anno 905. Hunc virum Rex honorifice compellat his verbis „ *Nobilissimus Comes Adalhardus noster fidelis ac familiaris;* praedia quae recepit Adalhardus sita erant in pago Sallagewe.

Redit et Adalbertus *Comes Strenuissimus* [f] tempore quod minime suspiceris, anno nempe 907. siue anno 7º Regni Ludouici Iunioris, *et cum scientia et licentia gloriosi Regis recipit* ab Abbate *quod hic in Sotcheim habuit*, *dat vero idem comes* ADALBERCTVS, quicquid in potestate Regis habuit *in termino Miliziacensi;* factae sunt hae traditiones *in villa Adalberti Comitis* Ruotwindeshusen.

§. II.

Longius procedere vetant nos fata *Adalberti:* sicuti et fata Heinrici fratris de Heinrico ulteriora dicere vetuerunt. Docet enim nos magna lux huius saeculi, Regino, anno iam 897. inter Rudolphum Epm Wirtzeburgensem et filios *Heinrici* Ducis *Adalhardum* et *Heinricum* „ magnam *discordiarum litem* et *implacabilem* odio-
„ rum controuersiam ortam fuisse, anno vero 902. Adalbertum
„ cum fratribus Adalhardo et Heinrico collecta valida manu ad-
„ uersus Eberhardum et Gebelhardum et Rudolphum fratres ex
„ castro quod Babenbergk dicebatur prosilientem ad pugnam pro-
„ cessisse, in hoc certamine *Heinricum* interfectum fuisse et cap-
„ tum *Adalhardum*, qui postmodum iussu Gebehardi decolla-
„ tus est. „

e) Schan. n. 545. f) n. 548.

Quod addit Regino de Adalhardo vix credent ii qui chartas a me allatas et legerint et perpenderint, nisi Regino quod diu postea accidit, hic per prolepsin anticipauerit.

Nunc iuuat in Baioariam et Nortgouiam siue Baioariae partem ad septemtriones vergentem, reditum facere.

§. III.

Quae fuerint ditiones *Heinrici* Ducis eiusque posterorum in Francia orientali seu potius Nortgouia, melius explanabit doctissimus vir de Pfeffel, qui Marchionum Nordgouiensium historiam illustrandam suscepit.

Hanc iuxta Bohemiae limitem et usque Ratisbonam, et ad Danubium late patuisse, trans Moenum etiam, et ubi fuit vetus marchia Sorabica multa fuisse quae ad illustrissimam gentem pertinerent, constabit, ita ut quicquid Ruodoldo seu Rataldo Venerabili comiti et duci Sorabici limitis tribuimus, ad posteros Popponis et Heinrici integrum transierit, nisi quis dubitare velit de praediis et Comitatu in pago Hosiorum sitis.

Laudaui iam supra diploma [a] Arnulfi ex quo discimus pagos Folefeld et Iffigewe, quorum primus circa Bambergam erat, fuisse in Comitatibus filiorum Heinrici, an. 889.

Si errauimus cum ad Heinricum retulimus commutationem factam cum Ambrichone, nihil habemus quod de *Heinrico* Adalberti et Adalhardi fratre in hoc Boioariae tractu dicendum foret.

§. IV.

Plura mihi videor dicere posse de Adalberto et Adelhardo. Scilicet aut omnia me fallunt aut *Adalbertus* Comes nuncupatus fuit in

a) V. Eckhart. Diplom. Wirceburg. n. 17.

in diplomate Ludouici Infantis a. ut cuius interuentu motus Rex indulsit nonnulla Eccl.ae Frisingensi. Quod si satis est ut eum ad Frisingensem tractum reuocemus, dicam eum forte diuersum non esse a nobili viro Adalperhto, qui post annum 883. commutationem egit b. cum episcopo Frisingensi dato praedio ad Hrotam sito, ante annum vero 906. egit Aduocatum Epi. Frisingensis. c.

Eodem et forte potiore etiam iure reuoco Adelhardum Comitem in Bauariam, fretus diplomate d. quo Arnulphus Rex ob preces Comitis *Adelbarti* hobam dat Engelfrit homini illius in comitatu Chuomberti, in pago *Thunagowe*, in villa Wolffnersdorf.

Vix credam Adalhardum, nisi in Bauaria praedia et ditiones habuisset, petiturum fuisse a rege, ut hobam unam daret homini suo, non ideo tamen credo Adalhardum in Bauaria Comitem fuisse, satis est quod ditiones illic et praedia habuit.

De Adalberti posteris postea scribam; redeo ad Popponem Ducem ipsius Patruum.

§. V.

De filiis Popponis non ita constat ut de prole Heinrici fratris eius, optime tamen, ut multa, Eckhardus huc refert chartam illam Fuldensem a. ex qua didicimus pagum Grapfeldensem in Comitatu Adalberti partim fuisse; docet haec charta, Martinum Presbyterum cum consensu Domini sui *Bopponis*, mutatione facta, dedisse Abbatiae Fuldensi quicquid habuit in pago Graphelde; post clericos primi testes sunt *Bobbo Comes*, *Adalprabt*, *Bobbo filii eius*. Annus incertus est, non anterior tamen an. 887. nec posterior 889.

U 2 Non-

a) Meichelb. Hist. Frising. p. 152.
b) ibid. n. 900.
c) n. 961.
d) Oefel. T. I. Script. rer. Boiic. inter excerpt. Passav.
a) Schannat. Trad. Fuld. n. 526.

Nonnihil ſimile deprehendes in alia charta b. quam etiam ſupra laudaui de Comitatu Henrici, et quae anno 887. ſcripta fuit, *huius rei teſtes ſunt*, verba ſunt ex charta excerpta, *Boppo comes, Adelbraht*, Arnolt et alii.

Ex ordine teſtandi conſtare videtur, *Adelbrahtum* hunc filium eſſe Bopponis; coniicere vero quis poſſit, Arnoltum ſiue Arnolphum, qui obſcurus homo non fuit, tertium Bopponis filium exſtitiſſe.

Adelbrahti ſeu Adilbrahtes Comitatum reperio in pago Grapfeld anno 889. niſi quis Adalbertum Heinrici filium eo loco intelligere malit, qui reuera Comitatum in iſto pago habuit, idque inde veroſimilius euadit quod Annus 889. rerum adhuc potiebatur *Boppo* Adelbrahti pater.

Religioni tamen mihi eſt, confundere nomina duo quae diſerte diſtinguuntur, eoque magis diſtinguenda fuerunt, quod viri Principes utroque inſigniti tunc extiterunt. Comitatum Grapfeld indigitat charta Fuldenſis. c.

In diplomate illo ann. 905. d. quo *Adalbardus* comes honorifice compellatus fuit a Ludowico Rege, teſtis fuit et non inter poſtremos comites *Adalbraht Comes*.

Ambiguum denique amplius non erit huius Comitis nomen, poſtquam legeris quod circa annum 914. adeoque 6º poſt necem Adalberti Comitis anno, proprietatem quandam in *pago Tullifeld* ſitam pertinuiſſe ad Comitatum *Adalbraht* e. in Weſthemeno Marcu.

CAPVT

b) n. 524.
c) ibid. n. 528.
d) n. 535.
e) n. 554.



CAPVT QVARTVM

SYNOPSIS.

De posteritate Ratoldi Ducis rursus agitur, probaturque omnia congruere ut dicamus, Bobbonem illum Popponis Ducis filium, qui apud Fuldenses non comparet, eumdem esse qui Comes Ratisbonae et in Nortgouia Donegouiaque fuit ab anno 895. *Probatur Comitatum eius in Nortgouia, quem gesserunt deinceps omnes Praefecti Ratisbonenses, eumdem omnino fuisse quem Rodoltus I. et Hrabtoldus Dux gesserat anno* 866. *Fit transitus ad Ratoldum regalem ministrum qui probatur filius fuisse Ratoldi Ducis, qui adeo improlis non obiit. Ratoldi Ministri Regalis filius fuit Ratoldus Aduocatus Frisingensis et Comes in Sundergawe. Verisimile fit immo fere certum Ratoldi ministri Regalis filiam fuisse Ellinrathbam, Arnolfi Imperatoris concubinam et matrem Ratoldi nothi, qui puerulus erat quando pater obiit.*

§. I.

Vsque ad annum ad quem peruenimus 914. immo nec ad annum usque 922. nullum Bobbonem seu Popponem apud Fuldenses deprehendimus, ita quidem ut facile coniiciam, *Adalbrabti* fratrem aliorsum secessisse, ut aliam haereditatis paternae partem colligeret.

Haec coniectura eo validior est quod Bobbo ille qui anno demum 922. emergit, [a] sero admodum, si filius fuit Bopponis Du-

 cis

a) Schannat. T. F. n. 562.

cis, habuerit comitatum suum in pago Grapfeld, ubi ante eum habuit et Adalbrahtus; ita sane ut rem exacte perpendenti dubium esse nequeat, quin Bobbo ille filius fuerit Adalbrahti ipsius, nepos vero superioris Bopponis, quem iam prosequimur.

Dixi iam cui contigerit praecipuus honor Bopponis Ducis, siue Marchionis, ut eum rectius compellat Arnolfus Rex in diplomate, b. *per interuentum* eius concesso an 891. Data fuit Marchia Cunrado, Principi illius familiae quae cum natis Heinrici feralia odia exercuit, inde prima forte mali labes, hinc retro efferri coepit fortuna potentissimae gentis.

Relictus Popponi Comitatus Grapfeld; transiuit enim ad filium eius Adalbrahtum, ut ex monumentis Fuldensibus collegi.

Siquid igitur circa Reginam ciuitatem habuit Poppo Dux, (nam quicquid ibi habuit *Ratoldus* Popponis et Heinrici pater, ad hos et filios eorum aequa lance transferri potuit immo debuit. Siquid, inquam, in Bauaria et ad Danubium habuit Poppo, id habere debuernnt Adalbrahtes et Bobo filii eius.

Praedia vero illa vel ditiones Popponis Ducis Ratisbonensibus vicinae aut in *Donegowia* aut in *Nortgouia* sitae fuerunt; ut iam indicauit Commutatio seruorum ab *Heinrico* Comite Popponis fratre facta, nam hi duo maiores pagi ita Ratisbonam ambiebant, ut extra eos nihil vicinum huic ciuitati esse posset.

At in Codice diplomatico Ratisbonensi c. reperio Diploma Arnolfi Regis, cuius vi confirmat mutationem praedii quod situm erat

b) Eckhard. Hist. Franc. Orient. tom. II. dipl. n. 22.

c) ap Pez anecd. tom. I. col. 34.

erat *in* TVNAGOWE *in comitatu* PAPONIS *in loco qui dicebatur Puopinga.* Id contigit anno 895. atque adeo tertio poſt anno quam exauctoratus fuiſſet pater ipſius Poppo Dux Thuringorum.

Idem Papo, mutato tantiſper nomine, nam Popo nuncupatur, honoris cauſa nominatur in diplomate d. Ludowici Regis anno primo poſt nongenteſimum conſcripto, cum Rex eſſet in urbe *Reganeſpurc.* Ex eo diſcimus Ludowicum tunc munificum ſe praebuiſſe cuidam Emmeramenſi Coenobitae, *per interuentum*, inquit, *fidelium Comitum noſtrorum* PABONIS videlicet et ISANGRIMI.

Occurrit iterum idem *Pabo* ſub hoc rege an. 903. cum Tutoni Epo Ludowicus praedia daret ſita in pago *Nordgewi* in comitatu *Pabonis*, *Luitpaldi* e Conſpirant omnia ut in errorem abeam, aut Pabo hic diuerſus non eſt a Bobone illo fratre Adalbrahti qui a Fuldenſi regione omnino exulat, praeſertim cum Pabonis huius Ratisbonenſis patrueles, eorumque poſteri praedia habuerint ubicumque demum habuiſſe credo et Popponem ducem et eius poſteros maioreſque. Exulare eum dico e Fuldenſi regione, ſed non ita, ut aſſerere velim, flocci eum pendiſſe res Abbatiae, aut credi debeat eum ſtatim obiiſſe.

Reperio enim diploma f. Ludewici Regis anno 900. datum, quo confirmatur commutatio coenobio illi commoda, *ſcientibus annuentibus atque fauentibus cunctis qui aderant Principibus;* acta res eſt in Tribure, quo in loco ſolemne erat tunc temporis ut haberentur maximi conuentus, *hi ſunt igitur teſtes*, ſubiicitur ſtatim, *qui affuere ex utraque parte collecti, viri Religioſi, veraces et deum timentes* 18.m locum occupat BABO, ſecundum ſupra vigeſimum RATOLT. Si igitur

d) ibid. col. 38.
e) ibid. col. 39.
f) Schannat. Tr. Fuld. n. 543.

igitur ex hoc diplomate argui poteſt, vixiſſe adhucdum hoc anno Babonem, nemo erit opinor qui ex hoc conficere queat, habuiſſe illum ſua praedia vel Comitatum in tractu Fuldenſi.

Praeſto igitur nobis eſt quam opportuniſſime Pabo ille, quem in Bauaria plus vice ſimplici reperi, quique anno 904. tantae autoritatis fuit aut eſſe viſus eſt apud Ludowicum Regem, ut eius *interuentum* ſibi comparare voluerit Tuto Ratisbonenſis Epiſcopus ad obtinendam a Rege largitionem g. Tribus ante annis idem *Pabo* teſtis fuerat h. largitionis, qua idem quoque Tuto auctus fuerat praediis in Bauaria ſitis. Ex iis quae poſtea dicam de Luitpaldo Marchione et de Burgrauiis Ratisbonenſibus luce clarius erit, quam bene coniuncti fuerint Papo et Luitboldus Comites in Nortgouia; deprehendemus etiam Comitatum Burggrauiorum Ratisbonenſium, quos ab hoc Pabone oriundos fuiſſe ſupra coniecturam eſt, in *Nortgouia* inter Almonam et Laberam fluuios late patuiſſe. At ad Laberam ſitum hodieque eſt oppidum *Berezhauſen*, quam villam Epiſcopalem Berahartashuſun nuncupat Arnolfus Emmeramenſis Prior i. haec vero villa idem eſt locus, qui in charta a nobis ſuperius laudata nuncupatur *Perebarteshuſa* et ubi *Adalbertus* recepit praedium in *Frumdorf*, dedit in *Reitinpoh* in praeſentia Ambrichonis Epiſcopi et *Rodolti Comitis* anno 866. Fuit itaque Comitatus *Radolti* comitis et ducis, qui poſtea Paboni contigit, idem qui omnium Praefectorum Ratisbonenſium fuit. Scimus inde quo iure Ratoldus *Reginae* monetam cudi iuſſerit, ſcilicet Praefectus fuit et Palatii Ratisbonenſis et ipſius urbis Regiae, at Praefectus quoque ciuitatis poſt eum fuit Pabo vel Bobbo filius Popponis; ſequitur Popponem filium fuiſſe Ratoldi Ducis.

§. II.

g) Pez. Thes. Anecd. T. I. p. III. col. 41.

h) ibid. col. 59.

i) Lib. I. c. 17. ap. Pez. l. c.

§. II.

Huc usque progreſſi derepente monumentis deſtituimur, ita ut per ſexaginta fere annos neſciamus quo nos conuertere minus periculoſum ſit. Colligere tamen non pigebit paucula quaedam quibus plura forte addent nepotes, nobis aut faeliciores aut diligentiores.

Mirati ſunt forte ex lectoribus nonnulli, qui maiorum noſtrorum mores callent, nullum fuiſſe Ratoldi Ducis filium aut nepotem, qui nomen tanti viri geſſerit in poſteros quoque ſuos transferendum.

Mos ille liberos paterno nomine appellandi, perpetua obſeruantia ferme conſecratus aſſiduo mihi animo obuerſabatur, poſtquam legiſſem, Babonem, ROTOLTVMQVE aliquem in confirmando Ludowici IV. diplomate coniunctos fuiſſe.

Id quoque in cauſa fuit, cur mihi ad alia feſtinanti non excideret tamen nomen *Ratoldi* apud Fuldenſes continuatum ab anno 867. quo tempore vixit magnus ille Hruodoldus.

Hoc anno teſtis eſt *Ruodolt*, [a] anno vero 870. *Rotolt*, [b] anno 874. iterum *Ruodolt* [c] circa annum 890. *Ratolt* [d] et eodem fere tempore Ruadolt [e] anno 900 iterum *Ratolt* cum Babone, ut

a) Schan. n 506.
b) 515.
c) 535
d) 539.
e) 543.

iam monui. Anno 910 notatur signum *Ratoltes* f. in litteris Hattonis Archiepiscopi Moguntini.

Tandemque anno 929. g. comparet ultimus, ut mihi videtur, *Ruodolt*, anno 944. iterum reuersurus sed a nominis successorem apud Fuldenses non habiturus.

Pronunciabis forte, vanam esse coniecturam omnem quae ex hac serie duorum vel trium Radoltorum apud Fuldenses ocurrentium eliceretur; non nihil tamen momenti habere eam suspicor, cum videam caput omnium esse Ratolfum Comitem qui caenobio Fuldensi dedit bona in Salegewe sita, ut alibi notaui.

Sed ut Ratoldi illi Fuldenses, quos nunc recensui, non agnoscant Ratoldum nostrum autorem nominis generisque aegre concedam, Ratoldos, qui in Baioaria viri principes fuerunt, alienos fuisse a gente apud quam hoc nomen gentilitium esse debuit. Et dubitandi saltem de Fuldensibus ansam praebebo, si ostendero Baioarios eo tempore vixisse omnino quo vixerunt Fuldenses.

Primus inter Baioarios Ratoldos occurrit mihi Ratisbonae seu ad Reganesburch anno 902. 2. annis omnino postquam in conuentu Triburiensi *Ruadolt* siue *Ratolt* testis fuerat cum Babone et aliis Principibus ac Deum timentibus viris. Idemque adeo esse potuit, qui circa annum 890. Rodoltes dicebatur apud Fuldenses.

Ita de eo in Charta Ratisbonensi a.

„ Qui-

f) 567.
g) 574.

a) Pez. ub. s. col. 49.

„ Quidam Nobilis nomine Rodolt *Regalis* videlicet *Minister* „ una cum manu *Adalonnae* uxoris suae tradidit . . . . . proprie- „ tatem suam in pago Sundargowe in loco *Pribonatalia*, quicquid „ in illa valle videtur esse . . . . in venatoribus hircorum et ad „ Vitaradorf et ad Ratsetdon duos mansos plenos . . . haec tradi- „ dit in manum Tutonis . . vestitores autem Berinhart et filius „ eius Erchinfrit et Heinrich Vassallus Rodolti vestierunt haec „ eadem . . . . . e contra vero tradentibus cum manu Epi „ (Tutonis) Aduocatis Cundberto et Salemone, acceperunt idem „ *Rotolt* et *Adalonna* de rebus S. Ecclae in *Beneficium proprials* „ tria loca id est *Vmbalasdorff*, *Radunesbach* et *Gustfridinga*. „

Rodoltus hic ex eo ipso quod fuit *Regalis Minister* sub Ludowico Rege arguitur, locum inter primates Regni occupasse praecipuum; cum titulus iste et Cunrado, qui pater Cunradi Regis fuit, et Isangrimo Marchioni honoris gratia datus esset.

Id quoque patet ex eo, quod Vassallum habuit Heinricum, nobilem satis qui par esset faciendae vestiturae, nomen vero ipsum Heinrici indicium est non contemnendum originis qua gloriabatur Radoltus. Mos enim erat, ut Vassalli a dominatrice gente nomina plerumque sua mutuarentur.

At Rodoltum nostrum filium fuisse Rodoldi Comitis, qui anno 847. commutationem fecerat cum Ambrichone Episcopo, praeter nominis et temporis rationem, palam facit omnino ratio locorum. *Rodoltus*, b. enim Comes recepit ab Episcopo Ambri-

 chone

b) Anamod. Lib. 1. c. 68. ap. Pez. ub. s. col 241. et 242.

chone de arabili terra iugera 83. in loco qui vocabatur *Vmpalasdorff.*

Quod vero Eccl[ae] Ratisbonensi supererat in eodem loco, siue locum ipsum recepit a Tutone Episcopo vir nobilis et *Minister Regalis Radolt.*

Sicuti vero dubium non est, quin *Rodoltus Comes* sit *venerandus* ille *Comes* et *Dux Sorabici limitis*, manifestum est quoque, filium illi *fuisse cognominem*, qui ratione aetatis impar non esse debuit administrando ducatui, cum anno iam 902. *Rodoltus* II. *minister regalis fuerit.*

Si igitur Rodoltus II. Ducatum seu marchiam patris adeptus non est, in causa fuit praerogatiua aetatis qua polluerunt *Poppo* et *Heinricus*, aut ratio diuidendae haereditatis paternae, qua contigit Rodolto II. ut ditiones in Bauaria meridionali sitas praeoptaret.

Inuenimus illic in pago *nempe Hosiorum* Comitatum *Ratolti* I. quem etiam probauimus in proprietatem conuersum fuisse, in gratiam ipsius *Rotolti* I. seu *Rodoaldi* ad ampliores honores euecti.

Ex iis sequitur Ratoldum II. seu Rodoltum *Hrodoaldi venerabilis* apud *Hosios Comitis* filium praedia habere debuisse non modica in hoc pago, in quo fuerant potentissimae gentis incunabula, et

et reuera ante annum 906. reperimus [c] virum nobilem *Ratoldum*, qui commutationem fecit cum Epo Frisingensi.

§. III.

Sequitur eum, nam eo usque vitam produxisse *ministrum regalem* ratio temporum non sinit, sequitur, inquam, eum Ratoldus III. qui ab anno fere 926. quo vel circiter Iacobo successit, usque ad annum 957. post quem successorem habuit Paponem, perpetuus et haud dubie principalis Aduocatus fuit Ecclae Frisingensis, [a] et nunc Ratoldus nunc Ratolfus nunc Radoldus dictus est, praediaque possedit propria in Mohinga. [b]

Dicam alibi fideiussorem eum fuisse Iacobi, cui in Aduocatiam successit, [c] quod eum maxime decuit eum Aribo pater Iacobi, consanguineus ex patrueli fuisset *Rodolti* regalis ministri. Ratoldus III. semel testis fuit [d] cum Isangrimo qui in gradu paulo remotiore consanguinus eius erat, abdicata vero, ut videtur, Aduocatia, testis est [e] iterum cum Aripo Comes bona daret ad Wirmam sita, quod maxime congruit cum illo, quod antea fideiussor Iacobi, Aribonis patris, fuerat.

Caeterum Ratoldus noster III. in duobus pagis maioribus comes fuit. Fuit apud Hosios, sed ita forte ut in praedio Comes audiret, pago non praeesset; fuit reapse in maiori Pago Sundergowe ubi pater Rodoltus ampla praedia possederat. Id colligo ex diplomate Ot-

c) Meichelb, n. 976.
a) Meichelb. a num. 995. usq. ad. n. 1087.
b) n. 1019.
c) n. 1014.
d) n. 1035.
e) n. 1094.

Ottonis Ruitanum praedium Eccl^ae^ Emmeramensi asserentis a. situmque indicantis in Comitatibus *Ratolfi*, Chadalhohi, Otacarii et Sigihardi Comitum. Id vero, ne tempus obiicias, actum est an. 959. Indictione II. cum nuper Ratolfus Aduocatiam abdicasset.

§. IV.

Vt vero nihil omittam quod in hac re alicuius momenti esse queat, dicam *Adalonnam* uxorem Rodolti Regalis ministri, matrem vero Radolti Aduocati Frisingensis eamdem procul dubio esse Adalonnam, quae nuncupatur in diplomate Cunradi Regis, quod excussisse forte operae pretium fuerit.

„ Matrona quaedam, inquit Chunradus, a. nomine ELLINRATH, CONCVBINA videlicet ARNOLFI serenissimi *Regis tradidit* S^o^. Emm^o^ proprietatem suam, id est illam capellam in Ergoltinga etc. pro remedio animae Regis supradicti, exceptis paucis mancipiis quorum numerus est XVII. excepta etiam Hoba una, quam aequiuocae suae *Ellenratae* contradidit usque ad finem vitae praesentis . . . . e contra accepit eadem Ellenrat in proprium beneficium de rebus Eccl^ae^ in villa *Punnichoua* quicquid ibi Regino quidam Presbyter in beneficio uisus est habere, et in villa *Vnsteinchoua*, quicquid ibi de *Adalberto* nobili viro, concambio et de *Adalonna* quadam matrona, complacitatione aquisiuit Ecclesia. „

a) Pez. tom. I. col. 53.

a) Pez. ub. s. col. 44.

Praedium iam olim in Ergoltinga adepti fuerant Ecclae Ratisbonensis praesules, ut ex mutilo instrumento b. discimus, quod confectum fuerat cum Ambricho Episcopus esset, adeoque ante annum 886. in hoc recensentur mancipia quae apud Ergoltingam in potestate sunt Ambrichonis Epi. et quae e contra sunt in Regis potestate, hoc igitur praedium regium datum fuerat ab Arnolpho Rege *Ellinrathae* Concubinae. Tuto vero Episcopus adiecit praedio Ecclesiae capellam et agros quibus ditata fuerat *Ellinratha*, et e contra huic dedit quicquid acquisierat ab *Adalberto* nobili viro et ab *Adalonna* matrona, ab illo iure commutationis, ab hac per complacitationem.

Episcopo congruisse hoc pactum manifestum est, Ellinrathae non incommodum fuisse, eo magis constat quod illud inierit *pro mercede* quidem *futura*, sed *pariter pro vitae praesentis aliqua sustentatione*. Cum igitur rationem habuerit Ellinrata vitae praesentis, et in votis illi fuerit, ut sibi quaereret praedium ab Adalberto et Adalonna datum, verosimile omnino est, illam alia habuisse bona, iis vicina, quae possederant Adalbertus et Adalonna; quod si quis perpenderit memineritque, alterum ex filiis quos Arnulfus Rex e concubinis susceperat, Ratoltum nuncupatum fuisse, calculum suum addet opinor hallucinationi, qua mihi fere persuadeo Ellinratam Arnulfi regis concubinam filiam fuisse Rodolti II. qui minister Regalis fuit, ex ea natum fuisse Ratoltum Nothum, qui aui proaui et auunculi nomen retulit, et *Ellinratham Iuniorem*, de qua in diplomate Chunradi agitur. Hocce diploma scriptum fuit anno 914. ex quo arguo, iam tunc obiisse *Rodoltum II.* regalem Ministrum, cum Adalonna ipsa et Adalbertus, sine eo, de praedio suo pactum iniuissent.

Ad-

b) Anamod. Lib. II. c. 8.

Addam, cum bona venia lectorum 1º Zwenteboldum alterum Arnulphi nothum non eadem matre natum fuisse, qua Ratoldus natus est.

2º Popponem Thuringia Ducem honoribus suis tunc excidisse, cum maxime Zuindiboldo filio benignum se praeberet Arnolphus. Postquam enim Regino b. infaelicem Arni Epi. mortem narrauit, addit; Arnolphus Zundibelcho filio honores Megingaudi comitis ex parte largitur, statimque subiicit, Popponem dignitatibus exspoliatum fuisse, ita ut nimium amorem quo Arnolphus prosecutus est Zuentiboldum, coniunctum fuisse opiner cum infortunio Popponis qui patruus Ellinrathae fuit.

3º Adalbertum, qui eadem praedia *mutando* cessit, quae Adalonna *complacitando*, filium huius matronae fuisse fratremque Ratoldi III. qui Aduocatus Frisingensis fuit.

4º Denique coniicio, matrem Ratoldi II. fuisse viduam quamdam Sigifrit, cuius ipse Aduocatus fuit sub Asperto Episcopo, inter annos nempe 886. et 890. cum illa daret Ecclae praedium Milizreod, reciperet aliud praedium in Pezeinmos, hoc ut puto in Bauaria situm, illud in termino nifallor, seu pago Miliziacensi, ubi fuerunt praedia haud modica Babenbergicae domus.

§. IV.

Ratoldus nothus *puerulus* adhuc fuit quum Arnulfus Imperator ex Italia recessit, paulo post et vita decessurus, ideoque matrem eius *Ellinratham* potius opinatus sum filiam fuisse quam soro-

b) Ad. an. 892.

rorem Ratoldi II. Regalis Miniſtri. At ex hoc ipſo conficere quoque mihi videor Ratoldum Nothum nunquam eo munere, Ducatum puta, ornatum fuiſſe, cuius iure monetam in Regina ciuitate cudi iuſſiſſet. Non conſtat enim tempus quo Ducatum quemcumque hiſce in oris gerere potuiſſet: Ante Arnulfum Ducem geſſiſſe ſi dicas, vix puerum A? 910. exuerat Ratoldus, qui anno 900. puerulus adhuc nuncupatur, adeoque limiti cuſtodiendo ſi quis unquam impar tunc erat. Coaeuus Arnulfo ſi fuit, *ſocius*, vel in ducatu Collega omnino non fuit. Obſtat huic ſententiae ſumma Arnulfi autoritas, obſtat utrique monumentorum queis ſuffulciri poſſet defectus. Adde, quod mireris nuſpiam terrarum, nec nominetenus quidem reperiri Ratoldum de quo ſermo nobis eſt, Nothum, nec tunc ubi vel maxime nominari debuit, cum de praediis Matris Ellinradae ageretur. Recte hinc ſupra concluſimus nummum inſignem, quem *Ratoldum Ducem* referentem Capite ſecundo recenſuimus, Ratoldo Notho vindicari poſſe neutiquam, *Ratoldo Hoſio* Sorabici limitis Duci, Palatino Comiti et Ratisbonenſis Vrbis praefecto, debere omnino. Quodſi quis nouarum opinionum impatiens, ſin minus planae fuerint, quaerat quid ergo factum ſit de Comitatu, quem apud Hoſios geſſiſſe Ratoldum I. diximus; ſi quaerat quo iure idem monetam cudi fecerit *Reginae Ciuitatis* inſculptum nomen prae ſe ferentem; ego quidem, qui multa me neſcire ingenue profiteor, et ea me neſcire profiteri poſſem: Vt vero nihil indelibatum, nihil non probatum relinquam, in duobus qui ſequuntur Libris in illa operoſius inquiram, nec tamen in immenſum euagaturus, cum ambae quaeſtiones, queis reſpondere ſatago egregie cohaereant cum illis quae nobis de originibus Marchionum Auſtriae quos Babebergenſes vocant, itemque de Burgrauiis Ratisbonenſibus dicenda ſuperſunt.

Alpraht Comes Frisingensis

Adalbertus I. Comes et Marchio V. tab. I.

Luitpaldus I. Comes Frising. ab A. 807 - 837.

Adalbertus II. Comes A. 834. cum Ratoldo coniunctus † post. 855.

Ratoldus Comes Ao. 837. Comes Palatinus A. 853. Dux Sorabici limitis A. 873. ux. Sigfrit.

Aribo.

Poppo Comes Dux Sorabici limitis Ao. 880. honoribus exutus A. 892.

Heinricus I. circa à 880. 883. † 886.

Engildeo v. Lib. IV.

Ratoldus II. 890. † post 902. Regalis Minister. Vxor Adalonna.

PoppoComes in Tunegou 888. 895. 903.

Alperahtin pagoGrapfeld 888. 905. 914.

AdelbertusI. Comes Babebergensis capite trunc. A. 908.

Heinricus II. Comes † 902.

Adalardus Comes 884. 905.

RatoldusIII. Aduocatus Frising. usque 957.

Adelbertus Ao. 914.


EllinrathConcubina Arnulfi Imp.

Burgrauii Ratisbonenses de quibus Lib. IV.

Marchiones Austriae et Marchiones Nortgouiae de quibus Lib IV.

Ratoldus nothus, puerulus adhuc A. 900.

LIBER



LIBER QVARTVS.

Familia ex Ratoldo orta, ubi de Marchionibus Auſtriae e domo Babebergenſi, et Burgrauiis Ratisbonenſibus.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS.

Aſſeritur origo Auſtriacae domus veteris ab Adalberto Babenbergenſi repetenda; Huius ultima fata contigiſſe anno 908 probatur. In tuto collocatur fides Aloldi qui Adalberti huius filium Adalpertuu nuncupat, patrem Luitpaldi. Additur huic Adalberto filius Berchtoldus, qui Sator fuit Marchionum ſeptentrionalium Bajoariae. Probatur ex eadem gente et ſorte Adalberti Babenbergenſis filium fuiſſe Berchtoldum illum qui pater fuit Adalberti de Marthala Comitis; Huic vero inter Comites Friſingenſes locus tribuitur, ex quo liquet Adalbertum Babenbergenſem haeredem Ratoldi Comitis Friſingenſis fuiſſe. Exponitur ſeries Marchionum Auſtriae, aſſeriturque illis Comitatus in Donegau, haud longe Ratisbona, ex quo iterum illuſtratur eorum origo Boica.

§. I.

Dubitatum diu et multum eſt de origine veteris illius gentis Auſtriacae, quae Marchiam Baioariae Orientalem, eam

quae *Oesterreich* seu *Regnum Orientale* dicta fuit, per integra tria secula administrauit. Omnes tamen, quotquot supersunt medii aeui scriptores hanc originem ad Adalbertum illum Bambergensem, qui fraude Hattonis Archiepiscopi Moguntini impie delusus, iussu Ludouici IV. Regis capite plexus est, uno ore aut referebant aut referri volebant: idque unum obstare videbatur opinioni, caeterum vero quam maxime simili, quod Luitpaldo, primo ex hac gente Marchioni, aetas fere centenaria tribuenda esset, quamdiu Adelberti Bambergensis *Comitis Strenuissimi* filius credebatur Luitpaldus ille Marchio.

Obicem hunc dimouit Aloldus, mutilus ille quidem ac misere truncus, magni tamen faciendus, et de cuius autoritate vix dubitari potest, nisi omnem Historicam fidem euertere velimus [a].

A limine quidem primo Aloldus Reginoni, qui publicam fidem occupauit, aduersari videtur, dum ait: *anno demum* 908. *Adalbertum nobile caput sub ensem Carnificis dare debuisse.* Sed a limine grates ago Aloldo quod opinionem, quae iam olim mihi arriserat, ita confirmet, ut deinceps non dubitem. Quatuor, aut supra, sunt anni quum in *scribenda Historia Imperii Germanici Politica* desudanti, nec dum de Aloldo, tum mihi maxime ignoto, cogitanti, persuasum iam fuit omnino ante annum 908 non obiisse Adalbertum, sed comparere adhuc eum in diplomate [b]. quo Ludouicus IV. anno 906 confirmauit Clero Frisingensi ius eligendi Episcopi. Vix enim, aut ne vix quidem, reperies tunc temporis fuisse Adalbertum Comitem adeo illustrem ut in Baioaria, ubi hoc

a) Vide excerpta ex Aloldo in fastorum Campililiensium Tom. I. p. 1276. et seq.

b) Meichelb. Hist. Frising Tom I. p. 152.

hoc diploma ſcriptum fuit, ante *Luitpaldum* Baioariae Marchionem nominari debuerit, ſolis Ottoni Saxoniae et Burchardo Thuringiae Ducibus poſtponendus.

Iam laudaui praeterea chartam Fuldenſem anno 907 ſcriptam ac nomine *Adalberti Strenuiſſimi Comitis* inſignem, quod ſane et nomen et encomium indicium mihi eſſe videtur haud ambiguum florentis uſque in hunc annum et rebus ſuis fruentis Adalberti Comitis ac Marchionis.

His monumentis ſola refragatur autoritas Reginonis; Nam, qui eum ſecuti ſunt Hiſtorici fidei ipſius adiiciunt nihil. Verum enim vero plura ſunt quae mihi perſuaſere in parte Chronici Reginonis de qua agitur, nonnulla aut excidiſſe aut inepte mutata fuiſſe. Regino ipſe in epiſtola nuncupatoria, quam ad Adalberonem Archiepiſcopum Treuirenſem, poſtquam opus abſoluerat, direxit, profitetur, *ſe conſummaſſe coeptum opus uſque in praeſentem annum, qui computatur ab incarnatione Domini noningenteſimus Octauus.* At in Codicibus MSC. quotquot extant, liber Reginonis ſecundus qui et poſtremus, non producitur ultra annum *nongenteſimum quintum.* Aut igitur deſunt tres anni, aut in hunc ipſum annum 905. congeſtum eſt quicquid actum eſt tribus annis proxime ſecutis. Hinc conſtat omnino Reginonem aut mutilum eſſe aut incuria Librariorum foedatum. Mutilum vix dices, ſed egregie corruptum fatebuntur omnes qui mortem Fulconis Remenſium Archiepiſcopi a Reginone in annum 903 reiectam legent, quam ad annum 900. ſcriptores Galli, harum rerum utique gnari, referunt omnes. Sed exigua ſunt haec: grauiorem multo ac Aloldo, imo et nobis apprime fauentem, in notandis annis incuriam ſubminiſtrat Regino ſub anno 905. In hunc enim, quem

Adalberto Bambergenſi feralem dixit, annum, relata quoque videas proſcriptiones Gerardi et Matfridi, mortemque Liudelmi Tullenſis et Baltranni Strasburgenſis Epiſcoporum, quorum illi ſuffectus eſt Drogo, Baltranno Otbertus. At vero certo certius eſt haec omnia anno demum 908 contigiſſe.

Promiſſa igitur impleuit Regino et ad annum uſque 908 opus produxit. Notas ſolum Chronologicas mutauit infida manus, ſed quae recentior paulo eſſe debuit, cum plerique medii aeui ſcriptores, Reginonem procul dubio ſecuti, hunc errorem non errarint. Marianus ſane Scotus mortem Adalberti 5to idus X^bris^ anno 907. contigiſſe refert. Hermannus Contractus eundem annum indicat. Chronographus vero Saxo ſequentem, quem habet quoque Aloldus noſter, cuius haec ſunt verba.

§. II.

„ *Anno* 908 *imperabat Germaniae Hludowicus III. ſub quo eodem* „ *anno* ADALBERTVS ILLVSTRIS COMES DE BABENBERG, FILIVS „ HEINRICI FRANCIAE ORIENTALIS DVCIS, *poſtquam bellum ac prae-* „ *das ſuas multis annis continuauit, neque ab Imperatore ſubigi potuit,* „ *tandem per Hatonem Epiſcop. Moguntinum ſuis fraudulentis verbis* „ *inductus eſt ad Regem, ubi pro nece Chunradi Haſſiae Comitis et pro* „ *guerris ac praedis ſuis, nobile caput ſub enſem carnificis dare debuit.*

„ *Tunc* ADALBERTVS *eius* FILIVS *quinquennalis puer cum matre* „ *Brunhilde filia Ottonis Saxonis, quia omnia bona patris tracta fue-* „ *rant ad fiſcum Regis, fugere debuit ad Hainricum poſtea Imperato-* „ *rem dictum Aucupem, cuius, ex ſorore Babae, nepos fuit. Hic*

pa-

„ *tris sui generosum spiritum cum sanguine hausit et cum pariter in fili-*
„ *um suum Luipoldum transfundebat.*

Illud est exordium Aloldi cuius auctoritatem partim iam asseruimus; Ex eo vero sartam tectamque esse volumus, quoad annum quo Adalbertus obiit, quod Luitprandus [a] scriptor haud ignobilis Adalbertum *septennio ferme* rebellionem (in Ludouicum regem) exercuisse tradit, et Ludouicum proceres suos ita alloquentem inducit.

„ *Iam fere septennio* ADALBERTVS *quantas strages dederit*, *quas*
„ *nobis turbationes egerit*, *quot rapinarum et incendiorum infortunia no-*
„ *bis intulerit*, *reipsa potius quam fama deferente*, *percepimus* At Ludovicus anno demum 900 regnare coepit, Regino vero ipse ad annum 902 refert initia belli quod Adalbertus gessit cum Episcopo Wirtzeburgensi eiusque fratribus. Diploma quoque Ludowici IV. quod publici iuris fecit Eckhardus congruit omnino cum Reginone, ratione temporis quo bellum exorsus est Adalbertus.

Anno enim 903. teste hoc diplomate, *sarcita* sunt damna
„ quae ADALBERTVS et HEINRICVS Episcopo Wirtzeburgensi intule-
„ rant, dataque ideo praedia quibus MEMORATI MARCHIONES *Iudicio*
„ *Francorum*, *Alamannorum*, *Bauwariorum*, *Thuringorum et Saxonum*
„ *exuti fuerant.* „ Recens itaque a⁰. 903 adhuc erat iudicium quo Adalbertus et Heinricus rebellionis damnati sunt, et, ut arma in regem ipsum hostium suorum factioni nimis indulgentem converterent, adacti.

Con-

a) Lib II. c. 3.

Conſtat ergo exeunte anno 907. vel etiam ſequenti, capite plexum eſſe Adalbertum ſtrenuiſſimum Comitem, indeque ſequitur Adalbertum II. eius filium, qui tunc quinquennis erat, natum eſſe an. 902. vel 903.

Mater eius Brunhildis fuit, filia Ottonis Saxonici; hunc vero Ottonem Saxoniae Ducem patremque Henrici Aucupis fuiſſe extra dubium mihi videtur. At ſi filia Ottonis, ſi uxor Adalberti Bambergenſis Brunhildis vocabatur, quid de Annaliſta Saxone dicendum erit, qui Heinricum Ducem patrem nuncupat *Adalberti Magni Herois*, matrem vero BABAM fuiſſe perhibet SORОREM HEINRICI poſtea REGIS. Vix dici poterit duas ſorores Babam atque Brunehildem nupſiſſe patri *Henrico* filioque *Adalberto*, ita quidem ut amitam hic ſuam duxerit, et Aloldus tamen docet *Brunihildim ſororem fuiſſe Babae et ex ea Adalbertum Heroem nepotem fuiſſe Heinrici Aucupis.*

Haec ipſa Aloldi autoritas non ſinit ut *Babam* inter mortales fuiſſe negemus. Supereſt igitur ut dicamus, quod Eckhardus iam dixit, Babam illam cuius nomen Babenbergae urbi inditum dicunt, nupſiſſe quidem *Heinrico*, non vero Heinrico ſorabici limitis Duci, ſed filio ipſius *Heinrico Marchioni* qui frater fuit *Adalberti noſtri.* Inſolens ſane non eſt ſorores duas duobus nupſiſſe fratribus, et cum aliter explicari nequeat hic nodus, ratum maneat id ita contigiſſe.

§. III.

§. III.

Vxoratus ergo fuit Heinricus II. Comes, vel Marchio, ut eum nuncupat Ludouicus ipſe in diplomate Eckhardiano. Prolem habuiſſe idem aſſerit quoque Eckhardus, et licet negemus patrem eum fuiſſe Adalberti II. calculum tamen noſtrum adiiciemus viro doctiſſimo, eiuſque verbis utemur probaturi *Heinrico Marchioni* filium fuiſſe „ OTTONEM *ab auo materno ita dictum, quem* „ *Friſius in Chronico Wirceburgenſi ex monumentis magni momenti* (quae „ penes Eckhardum erant) *teſtatur patrem fuiſſe Popponis I. Epi-* „ *ſcopi Wirceburgenſis et Heinrici Archiepiſcopi Treuirenſis. Ottonem* „ *hunc Friſius Comitem Hennebergicum vocat, et certum eſt, pergit* „ *Eckhardus, Comites Hennebergicos ex hac familia prodiiſſe. Pro-* „ *babile hoc vel* inde eſt quod et Popponem et Heinricum praeſu- „ les, coaeui ſcriptores et monumenta indubiae fidei *Ottonis I.* „ *Regis propinquos* vocent. Inter quos *Frodoardus* ad annum 956. „ ſcribit: *Epiſcopatus Treuirenſis* CVIDAM HEINRICO REGIS OTTO- „ NIS PROPINQVO DATVR „ Maneat igitur ea progenies *Heinrici*, ut eam digeſſit Eckhardus. At ſubducemus Heinrico filium Adalbertum II. quem ex Aloldo ſcimus natum fuiſſe Adalberto I. Heroi ex Brunehildi Babae ſorore.

§. IV.

Luipoldus vel Luitpaldus Adalberti II. ſeu Iunioris filius omnino fuit, natuſque anno 923. vel proxime ſecuto. Ita enim Aloldus.

„ Anno 933. *Rex Hainricus Barbaricos Hunnos in Germaniam* „ *irruentes apud Merseburg cruenta strage deleuit. In hoc proelio Albertus de Babenberg fortissimo ense, cum multo fauore Regis depugnauit* „ *sed ense hostili cadens Regi et patriae vitam immolauit. Quanto deinde magis* REX NEPOTEM SVVM AIBERTVM *doluit, tanto* MAGIS „ PRONEPOTEM EX EO LVIPOLDVM, QVEM DECENNEM RELIQVERAT, „ DILEXIT SED ET OTTO FILIVS REGIS.

Quoad annum, quo occubuit Adalbertus, non tuebor opinionem Aloldi libensque concedam Annalistae Saxoni, pugnatum fuisse ad Merseburgum anno 934. tuncque demum obiisse patrem Luipoldi.

Sic peruenimus iam ad tempora notiora et vel tacente Aloldo, pronunciare possumus LVITPALDVM ADALBERTI II. filium *unicum* non fuisse.

Ex Ditmaro a. enim constat *Marchionem* Franciae Orientalis *Heinricum* f. Hezzilonem qui nepos Ditmari fuit ex matre *Eelica siue Heilieswinda Walbecensi*, nepotem ex patre fuisse *Luitpoldi Marchionis Orientalium*, huncque *patruum* eius extitisse, ut verbis Ditmari utar. At ex traditionibus Emmeramensibus b. aliisque bonae notae scriptoribus certum est *Perabtoldi de Orientali Francia Comitis seu Marchi Comitis et Heliesuindae filium fuisse Heinricum s. Hez*zi-

a) Lib 3. ap. Leibnit. Scrip. rer. Brunsu. Tom. 1.

b) Codex tradit. sanct. Emm. c. 20. 33. ap. Pez Anecd. T. 1. part. 3.

zilonem qui post patrem Marchio euasit Orientalis Franciae. Hinc sequitur *Perabtoldum siue Berchtoldum* Marchionem fratre Luitpaldo gauisum esse, patre vero Adalberto II. qui anno 934. fortiter occubuit.

In aliam vero sententiam abiit Eckhardus, deceptus verisimilitudine ea quae veritatem omnino mentiretur.

§. V.

Refert Hermannus Contractus ad annum 953. *Vdalrico Augustensi Episcopo cum in castello Mandichinda ab* Arnolfo obsideretur suppetias tulisse ADALPERTVM de MARTHALE COMITEM, sed in proelio sauciatum obiisse. De eadem vero pugna Hepidannus scribens *Adalberonem* ait *filium Pertoldi occisum* fuisse. Id omne confirmare denique videbatur scriptor vitae S.ti Vdalrici, c) in hoc solum ab Hepidanno diuergens, quod, cum hic Arnolfum occisum fuisse cum Adalberto innuere videretur, Biographus e praelio tunc saluum euasisse Arnolphum doceat, paulo post trucidandum. Iam vero cum Adalberto Bertholdi filio, cognomen ex *Marthala* siue *Amardala* indiderit Hermannus Contractus, quod siue praedium siue Castellum Berchtoldi Marchi Comitis deinceps fuisse certo certius docent Traditiones Emmeramenses supra laudatae, quis non cum Eckhardo credidisset Berchtoldum,

 Adal-

c) ap. Velser. c. 11.

Adalberti Martalensis patrem, auum fuisse Bertholdi Marchi Comitis, adeoque et Luitbaldi Austriae Marchionis.

Id tamen omnino falsum esse deprehendi, simulac contuli cum Ditmaro Aloldum; ne tamen huic nimium tribuere videamur ulterius rem omnem excutiemus.

§. VI.

Vno ore tradunt antiqui omnes, interque eos Otto Frisingensis, a) scriptor grauissimus una et domesticus, Albertum Austriae Marchionem originem duxisse ab Adalberto Bambergensi. Id docet et *Aloldus*. Luitpaldum primum Marchionem fuisse post Rutgerum de Peeklarn scripsit autor peruetustus apud Austriacos. Id scribit et *Aloldus*. Ditmarus Merseburgensis docet Heinricum Berchtoldi Marchionis septentrionalis filium, nepotem fuisse Luipoldi. Id negare quis audeat?

At Berchtoldus ille Marchio post Adalbertum alius cuiusdam Berchtoldi filium, Dominus fuit Castri vel praedii *Marthale* seu *Amartalae*, quod ad filium eius quoque Henricum postmodo deuolutum est. Luitbaldus ergo et ipse filius adpellandus erit Adalberti de Martala, nepos Bertholdi, id quod negat Aloldus.

Nefas foret fidem detrahere *Hepidanno*, *patrem Alberti de Martala nominantis Bertholdum*, nefas quoque Hermanno Contracto

a) Chron. VI. 15.

to negare Adalbertum illum de praedio vel castro *Martala* omnino cognominatum fuisse. At autor Vitae Sancti Vdalrici omni fide dignus, expositis, in quas Praesul deuenerit, angustiis, haec ipsissima verba addit. „ *Quia eo tempore* IN TOTA REGIONE „ SVEVORVM *nullus in regis Adiutorio remanebat nisi* ADALPERTVS „ COMES CVM SVIS SVBDITIS *et* THEOTPALDVS FRATER *religiosi* „ *Episcopi* „

Cum igitur Adalbertus et eius subditi Sueuiae incolae fuerint ut et Theotpaldus fuit, quo pacto tandem fieri potuit, ut Adalbertus cognomen ex castro Marthale in Nortgouia sito sortiretur?

Sed nodum ex nodo nectemus, nisi monuerimus lectorem, regionem Sueuorum siue Sueuiam tam late olim patuisse quam late sacra patuit Episcopatus Augustensis ditio: imo regionem inter Lycum et Isaram, saltem quoad maximam partem, in Sueuia a nonnullis scriptoribus collocari. Sic ab ipso Biographo S. Vdalrici Castrum Menchingen haud obscure reponitur in Sueuiam, licet hodienum quoque cis Licum, adeoque in ea Baioariae parte visatur quae olim Hosiorum fuit.

Quaerendus est igitur *Adalbertus* de *Marthale* non in Sueuia trans Lycum, neque in SOLA Nortgouia, sed in pago *Hosiorum*.

Habemus autem apud Meichelbeckium a. litteras pacti in Frigisinga facti anno ae. Chr. 948. Ottonis Regis X° *sub Duce*

 Per-

a) n. 1030.

Peraltoldo et COMITE ADALPERTO. Sequuntur has duae aliae, quarum formulam alibi recitabo, ſub Duce Heinrico et Comite Aribone exaratae anno 955.

Occubuerat nempe anno 953. Adalbertus Martalenſis qui is ipſe Comes in Suevia, aut in vicino Sueuicae Hoſiorum pago fuit, ſimulque Dominus Amartalae Nortgouienſis. Succeſſit ipſi in Comitatu apud Hoſios *Aribo* cognatus Heinrici Ducis, paterque Aribonis, qui Seonenſe Coenobium fundauit. Amartala vero tranſiit ad Bertholdum Nordgouiae Marchionem, Adalberti II. Bambergenſis filium, Adalberti I. nepotem, fratremque Liutpoldi Auſtriae Marchionis.

§. VII.

Summa ſententiae haec eſt: Berchtoltum, Adelberti Marthalenſis patrem oriundum et ipſum fuiſſe ex domo Babenbergenſi, forte filium ipſius Adalberti I. aut, quod Eckhardo magis placuit, Heinrici II. Babae mariti. Mortuo aº 953. Adalberto Martalenſi, in praedio eidem ſucceſſiſſe Luitpoldum et Bertholdum Marchiones, utpote qui haeredes ipſius eſſent proximi: Datum Comitatum Ariboni ipſorum forſitam affini. Caeterum animadverte quaeſo, quisquis haec legis, quam optime conueniant cum illis quae libro ſuperiore expoſuimus. Viden Adalbertum Martalenſem Henrici Ducis et Marchionis pronepotem, Ratoldi Ducis abnepotem, eidem Comitatui praefectum quem abauus tenuerat Ratoldus? Sed diſce iam Luitpaldo ipſi Auſtriae Marchioni larga fuiſſe praedia in pago Hoſiorum, quae ut inuiſeret, ſemel atque

atque iterum eo ſe contulit. Dicam poſtea cur hoc mihi perſuadeam, nunc me mouet Charta Friſingenſis [a]. Wolſtregili Comitis, in qua primus teſtis nominatur LVITPOLD, ſequuntur *Wettine* et *Kotaſcalchus* Comites et ipſi. In alia charta traditionis ab Vgone in Truththeringon factae [b]. iterum teſtis eſt *Luitpold*, ſed poſt *Hartwichum* et *Lantpertum Comites.*

Dixi modo *Aribonem* Comitem Adalberti Marthalenſis apud Hoſios ſucceſſorem, Luitpaldi ac Bertholdi Marchionum forſitan fuiſſe affinem. Coniecturae locum praebuit Charta Friſingenſiis [c]. ex qua conſtat ipſi, praeter filium Aribonem, filium quoque fuiſſe Bertholdum, auunculi, ſi tibi ita videtur, nomen referentem: Hoc pacto Luitpaldo ac Bertholdo danda foret ſoror *Luitburga*, ſic enim Aribonis Coniux nuncupabatur.

§. VIII.

Iam vero veluti ex immenſo errore ad Luitpoldum I. Auſtriae Marchionem reuertimur, cuius vel nomini ipſi monumentum aliquod, leuiuſculum quidem, ineſt originis quam Boicae genti ac Bambergenſi familiae communem fuiſſe aſſeuero. Eodem referes fiduciam quacum Bertholdus Marchio Luitpaldi frater Ducatum Baioariae ambiuit, cuiuſque in Lucenburgenſes translationem, ceu grauem iniuriam, etiam arreptis armis ultum iuit Heinricus Marchio, Bertholdi filius. Nec ſilentio praetereundus erit ſcriptor Anonymus, Seculi XI. quem e Scriniis Monaſterii Tegernſeenſis produxit Pezius [a]. Is multo cum planctu Arnolfum Baioariae Ducem inculpat, bona Tegernſeenſis Coenobii miſere dilapidaſſe, principibuſque Boiis in beneficium tradidiſſe. Haec inter bona

a) Meichelb. a. 1097.
b) ibid. n. 1101.

a) Scriptor. rer. Auſtr. tom. 1. p. 741.

bona Anonymus refert quoque Ilminamuniſtiri aliaque praedia, ab Arnolfo Duce, Adalberto II. Luitpaldi patri conceſſa, tunc vero, cum Tegernſeenſis noſter opum ſuarum naufragio ingemiſceret, adhuc ab Adelberto Marchione Luitpaldi nepote poſſeſſa. Non ego quidem is ſum, qui ex hac Arnolfi in Bambergenſes munificentia, argumentum elicere velim, communis ipſi cum illis originis: Sed iſtud modo attendas quaeſo, lector, Ilminam fluuium Hoſiorum agrum irrigaſſe, Ducemque Arnolfum, cum animos Boiorum principum muneribus captaret, ea ſine dubio cuique contuliſſe, quae maxime ipſis opportuna videbantur. Interfuit ergo Bambergenſium noſtrorum praedia obtinuiſſe in pago Hoſiorum ſita, ubi Ratoldus Dux, quem ſatorem ipſorum dicimus, agrorum ditiſſimus fuerat. Eundem denique Ratoldum exhibui tibi auctoritate apud Ratisbonenſes praepollentem: Ratisbonam vero pago *Donegau* accenſitam fuiſſe nemini non conſtat. Lege iam diploma b. Ottonis II. Imperatoris a. 983. quo Monachis Sant Emmeranenſibus confirmat praedia apud *Perc* et *Alpurc*, ſita in pago TONEHGEWI in COMITATV LVITPALDI. Lege etiam diploma c. Heinrici II. Imperatoris quo confirmat So Emmeramo curtem Eitterhouen, ſitam in pago *Tunegoue* in Comitatu ADELBERTI MARCHIONIS. Nonne hinc liquet, praeter Marchiam Orientalem ſeu Auſtriacam, Bambergenſes noſtros tenuiſſe quoque et tantum non haereditario iure adminiſtraſſe *Comitatum* in pago *Tunehgou* qui ante eos Ratoldi fuerat? Ratum itaque maneat Bambergenſem familiam inter gentiles Hoſiorum omnino referendam, et a Ratoldo Duce iure optimo deriuandam eſſe.

§. IX

b) Pezius Cod. Emmer. Anecd. Tom 1. c) ibid. p. 3. pag. 61.

§. IX.

Nunc vela contrahemus, multoque breuiores erimus in iis quae nobis trutinanda supersunt. Stemma Luitpaldi Marchionis, Adelberti II. filii Adelberti I. Bambergensium Comitis nepotis optime texuit Aloldus, quem modo transscribam potius, quam sequar: „ Luitpaldo Marchioni filius natus est *Heinricus* ex *Ri-*
„ *charda coniuge* anno 961. anno vero 979. natus est *Poppo* qui fuit
„ Archiepiscopus Treuerensis. Obiit *Luipoldus* anno 994. et suc-
„ cessorem habuit *Hainricum Comitem. Heinricus* Marchio ex *Schwen-*
„ *hild* coniuge pater fuit a° 996. *Adelberti III.* obiit a° 1018. 3.
„ non. Decemb. successit a° 1019. *Adelbertus III.* paterque
„ fuit Luipoldi II. qui iuuenis adhuc et ante patrem obiit a° 1043
„ Alter filius fuit *Ernustus* patri successurus. Tunc Poppo Ar-
„ chiepiscopus Treuerensis, et COGNATVS defuncti LVIPOLDI ad
„ preces eiusdem patri illius Adelberto III. strenuissimum mili-
„ tem de *cognatione sua* AZZONEM nomine in *Osterricham* submi-
„ sit, ubi propter multa merita magnus ac potens et diues effectus
„ est.

Lubet hic aliquantisper subsistere, ut in hunc Azzonem inquiram. Baioarius utique fuit, Hosiusque ac Ratoldigena, nam Bambergensium nostrorum consanguineus vocatur. Euoluamus ergo monumenta nostra Frisingensia, Hosiorum vere gentilitia. Reperimus ibi [a] inter aa. 1006. et 1039. *Eizonem* nobilem virum et Comitem cum *Altmanno* Comite, *Perahtoldo*, *Dietricho et Otzi*, ad unum, *Hosiis*. In tribus quatuorue aliis Chartis [b] post a. 1039. exaratis praesto est iterum *Eitzo*, vel *Ezo* nobili contribulium Ho-

Sed Chron. Mellicense ad an. 1100 apud Pezium Script. Austr. T. I, p. 225 Aczko primus a quo Chuenringarii nati fuerunt, obiit qui et erat consanguineus Leopoldi IV Marchionis, in subsidium a fratre suo Treverorum Archiepiscopo Poppone missus, a confinibus Wormaciensi civitati et a Reno flumine.

a) Meichelb. n. 1193.   b) ibid n. 1220. 1221. 1222, etc.

ſiorum caterua uſque quaque ſtipatus. Si quis Eitzonem hunc ab Azzone Aloldino diuerſum fuiſſe putare velit, non morabor; eundem prorſus eſſe, mihi omnino conſtat. Congruunt aetas, patria, agnatio, et quantum hic Aloldo ex Syſtemate noſtro lucis accedit, tantum ipſe probationum ſubminiſtrat Syſtemati noſtro, facta dum narrat quae cum ipſo egregie, ſi quid unquam, conueniunt.

§. X.

„ Adalbertus III. Marchio obiit ao 1056. 6. Kal. Ian. ſucceſſit „ ei Ernuſtus filius eius. Viuebat adhuc *Truwitza* vidua Luipoldi „ II. Anno 1043. defuncti, utrum improlis, id tacet Aloldus.

Adelberti III. coniux fuit Adelhaid, filia Guilielmi Comitis Pictauienſis et Giſelae ſororis Stephani I. Vngariae Regis, amita fortaſſis Agnetis Imperatricis.

Hunc Adelbertum III. *Adalberonem* vocat eiuſque filium Luipoldum anno demum 1045. obiiſſe tradit Annaliſta Saxo.

Vlterius ne progrediamur ſuadet inſtituti ratio: Sufficit utique nobis Stemma Bambergenſe Marchionum Auſtriacorum eo uſque deduxiſſe ubi plana ſunt omnia. Redimus ergo ad Luitpaldum I. quem hactenus ſecuti ſumus, Aloldum iam emendaturi vel potius ſuppleturi. Tribuit is *Luitpaldo* filios *Heinricum* ac *Popponem*, praetermiſit *Ernuſtum* ambobus illis multo celebriorem, maritum puta Giſelae, quae poſt fata ipſius Thorum ac thronum conſcendit Conradi II. Imperatoris.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS

De filio Liutpaldi I. Austriae Marchionis Ernesto I. qui Sueuiae Dux fuit. Conferuntur de eo Annalista Saxo et Adelboldus. Hic emendatur. De Ernesto II. Ernesti I. filio qui Dux et ipse fuit Sueuiae, dux vero Baioariae dicitur in carmine quod sub eius nomine circumfertur. Fides Poetae asseritur vel saltem excusatur. De praediis Ernesti in Nortgouia. De eius uxore. Quicquid de eo praedicatur optime congruit cum sententia nostra de Ratoldi Ducis posteris.

§. I.

Inquirenti in antiquitates Boicas ommittendi non sunt Ernesti illi duo, qui Sueuiae duces fuerunt, et quorum alter Dux quoque Baioariae utcumque dictus est. Veniam itaque mihi indultum iri spero, si, huc usque euagatus, in iis quoque viris paulisper moratus fuero.

A limine quidem intricatissima res est, Annalista Saxone, et Adelboldo Heinrici II. Cancellario in diuersa abeuntibus.

Si Annalistae Saxoni credimus [a] *Ernestus* Liuppoldi Marchionis filius, idem ille est Ernestus, cui anno 1002. Italos rebelles

a) Annal. S. ad annum 1002.

les ad obſequium reducendi commiſſa eſt prouincia. Summa belli penes Ottonem Ducem Carinthiae fuit. Sed ubique ab Hartwigo Longobardiae tyranno caeſis, inglorius in Germaniam reditus fuit. Vtrumque tamen Heinricus regiis donis honorauit anno 1003. paterniſque adminiculis conſolatus eſt.

At Erneſtus eodem adhuc anno coniuratorum in Regem *Heinrici ſiue Hezzilonis Marchionis Franciae* et Brunonis Regii Germani factioni acceſſit; ex hoc tamen, ſi excuſare rebellem velis, excuſandus, quod Heinricus patruelis eius eſſet, inque ipſum redundaret iniuria negari Henrico Marchioni Baioariae Ducatus, quem policitus ei erat Heinricus Imperator.

Belle haec omnia cohaerent; ſed in aliam omnino ſententiam nos abducit Adelboldus. Poſtquam enim in Harduinum, ut vocat, Epiſcopicidam grauiter inuectus eſt, addit pleroſque Italiae optimates poenituiſſe huius tyranni, Heinricum Regem praeoptaſſe „ et in voluntate huiusmodi aliquos manifeſtos, aliquos „ fuiſſe cccultos. Tieboldus namque Marchio, et Archiepiſco„ pus Rauennas et Epiſcopus Mutinenſis, Veronenſis et Ver„ cellenſis aperte in Regis Heinrici fidelitate manebant. Tan„ dem a Rege Otto Dux Carentanorum, qui etiam Veronenſem „ Comitatum tenebat (Dux Belli) eligitur. Cui etiam Otto „ filius Heriberti *cum Erneſto filio* Tietboldi Marchionis adiungi„ tur (hi montes tranſire parant; Archiepiſcopus Rauennas et *Tieboldus Marchio* occurrere feſtinant. Inſidias Germanis ſtruit Harduinus, pugnatur, viciſſentque Theutonici quamuis pauciores) ſi „ non impediſſet OTTONIS FRATRIS REGENSBVRGENSIS „ EPISCOPI fuga.

Pau-

Paulo poſt addit Adelboldus „ Rex *Tekborg* Paſcha *celebrat* „ Ottonem *quoque* et *Erneſtionem tunc ſibi obuiam ab Italicô praelio* „ *venientes pro vulnerum ſuſceptione*, *pro neceſſariae fugae confuſione* „ *donis regiis honorat et debita conſolatione releuat*. (Poſtquam vero in Bauariam ſe contuliſſet Heinricus propter defectionem Hezelonis ſiue Heinrici Marchionis) „ *Interea et Erneſtio eidem rebellioni* „ *adiungitur*, *nulla laeſione coactus*, *ſed vel iuuentutis feruore vel per* „ *eum commoda ſua amplificare quaerentium ſuggeſtione ſeductus*.

Viden ut Annaliſta Saxo optime ſecutus ſit Adelboldum, in eoque uno diſcrepet quod Erneſtum Luipoldi filium eſſe dixerit. Nouerat tamen Annaliſta et Thieboldum Marchionem, adeo ut inſcitiae eum heic accuſare nefas eſſe videatur.

At ſi perpendimus Tieboldi Marchionis filium, ſi habuit ullum, in Italia cum patre tum verſari debuiſſe, inter optimates Italicos cenſeri, Italoſque potius ad pugnam ducere quam Theutonicos, ſi addimus abſurdum fere eſſe quod dicere videtur Adelboldus filium *Tietboldi Marchionis* acceſſiſſe *rebellioni Hezelonis ſeductum ſuggeſtione eorum qui per eum ſua commoda amplificare quaerebant*, quod profecto minime cadit in filium Marchionis Itali, a quo bellum in Nortgouia gerendum alienum non eſſe vix poterat, ſi illa, inquam, probe perpendimus, conſtabit nobis aliter ſcripſiſſe Adelboldum, quam legerunt et exſcripſerunt ii quibus Codicem debemus, Annaliſtam vero ſinceriore codice uſum optime legiſſe nomen Luitboldi ubi Tietboldus dicitur pater Erneſti, cum alias Marchio Italus dicatur Tieboldus.

Manet igitur Annalistae integra fides, ac de *Ernesto Luitpoldi I. Austriaci filio* intelligendum est omnino quicquid de *Ernesto* scripserunt et Adelboldus, et Annalista Saxo.

Ernestus fauit patrueli suo, quod mirum non est praesertim in iuuene et strenuo milite, seductus tamen fuit, aut visus est fuisse 1º quia causam rebellandi non habebat, 2º quia magni intererat Heinrici Marchionis, ut ipsi faueret Ernestus cuius ampla et dives ditio erat in Nortgouia.

§. II.

Gisela uxor Ernesti I. filia fuit Herimanni II. soror Herimanni III. Sueuiae Ducum, queis defunctis, Ernestus Ducatum Sueuiae adeptus est anno 1012. ut testatur Hermannus Contractus [a] qui eum Ernist nuncupat.

Dietmarus [b] vero docet eum Luitpoldi I. Marchionis filium et Popponis Archiepiscopi Treuirensis fratrem fuisse. Filios habuit Ernestum [c] qui patri, anno a 1015. inter venandum occiso, in Ducatu successit, et Herimannum IV. qui Dux et ipse Sueuorum, mortuo fratre, euasit. Tutor Ernesti II. adhuc pueri Poppo fuit, eiusdem patruus, ut discimus ex Wippone [d] Maximum est nomen Ernesti huius, ut qui non semel a Cunrado II. Imp.

a) Ad hunc an.
b) Lib. VII.
c) Ditmar. l. VII. Annalista Sax. ad h. an.
d) Vita Conradi Salici ad a. 1024.

Imperatore vitrico ſuo defecerit, multaque geſſerit perpeſſuſque ſit. Immo non dubito quin idem celebratus fuerit carmine illo, quod ediderunt Martenius et Durandus, ſcriptumque eſſe ſcio ineunte Saeculo XIII.

Cur vero poeta Ducem Baioariae nuncupauerit quem Sueuiae Ducem perhibent ſcriptores omnes, ſi excuſſerimus operae omnino pretium erit; hic enim tetendit oratio mea, ex quo de Erneſtis dicere coepi.

Plane non errauiſſe Poetam ſuadere videtur Diploma Cunradi Imperatoris Auguſti quod annum 1028. in calce habet in Vdalrici Babenbergenſis Codice epiſtolari circa annum 1125. conſcripto [a]. In Codice vero Eichſtettenſi Falckenſteinii exhibet annum 1029. Cunradus ibi, Nos, inquit, interuentu ac petitione dilectae con„ iugis noſtrae *Giſelae* Auguſtae et amantiſſimae noſtrae Prolis *Hein*„ *rici* Regis, nec non fidelis noſtri Ekkehardi Comitis traditionem „ Ernesti Dvcis ſuſcepimus, ſcilicet Wincenburg (vel Wizen„ burg). Sequuntur leges quas ſibi concedi poſtularunt Mi„ niſteriales Wizenburgenſes, poſt quas ita pergit Cunradus„ „ Haec eſt traditio Comitis Ernesti pro qua, recompenſato „ ſibi honore, Ducatum Boiaricum tradidimus„

Suſpicatus ſaepe ſum corruptum fuiſſe hoc diploma. Sed tandem magis placuit ex eo didiciſſe, quod neſciebam, Erneſtum poſtquam Sueviae Ducatum amiſerat, Heinricus vero Cunradi filius Baioariae Ducatum corona regia mutauerat, potitum fuiſſe hoc

a) Corp. Hiſtor. Eccard. Tom. III. Lib II. n. 121.

hoc Ducatu, quem paullo post abdicauit, ut in Sueuiam rediret.

Si tamen contenderint alii Ducatum Baioariae penes Ernestum nunquam fuisse, falsique arguerint diploma Cunradinum, concedant tamen oportet in eo falsa non esse omnia, et Witzenburgensis ditionis cuius caput hodieque est Weissemburgum Nortgauiae, utique Dominum fuisse Ernestum. Praedium itaque sortitus erat haud exiguum in Nortgouia quod optime congruit cum opinione nostra, et satis fere est ad excusandum eius Poetam. Cum enim ex eadem familia ortus, ex qua Duces Baioariae antiqui, praedia in Baioaria habuisset, ibi deguisset, Baioarius denique, originis ergo, dici debuisset, Ducatum vero adeptus esset, pronum erat ut vir semidoctus diceret Baioariae Ducem a puero fuisse.

§. III.

Hic idem Ernestus dictus quoque fuit Dux de Rostall [a]. nam de alio Ernesto id intelligi nequit. Quod vero castrum ita dictum est et sedes fuit Ernesti, pars erat Nortgowiae, situmque haud longe a coenobio Heilsbrunn in tractu Onoldino. Ita vero de castro Rostall Bruschius [b]. „ Est in huius monasterii (Heilsbronnam puta) vicinia insignis pagus Rostall . . . is pagus est Marchionum Brandenburgensium ad Mulbachium riuum tribus

„ a

a) Vita S. Hildegundis virgin. apud Oefel. Tom. I.

b) Monast. Germ. Chronol. Centur. I. fol. 56.

„ a Noriberga lapidibus situs. „ In eo amplissima est ecclesia Pa-
„ rochialis constructa a Sancta Erbelgarde Rheni Palatinissa diuae
„ Kunigundis Babenbergensis fundatricis germana sorore, Er-
„ nesti vero Bauarorum Ducis laudatissimi coniuge. Horum am-
„ borum coniugum visuntur in eo templo regia profecto recon-
„ ditoria. Tumulus diuae Erbelgardis inscriptione quidem caret,
„ sed nisi maximis sumptibus tam splendide extrui non potuit,
„ est enim simillimus ei in quo Bambergae requiescere dicuntur
„ Henricus II. Rom. Imp. et S. Chunigundis. Alter vero
„ tumulus *Bauarorum* scilicet principis Ernesti, qui in choro tem-
„ pli est, hanc habet, hexametris quidem sed satis rudibus ver-
„ siculis ita contextam Epigraphen

Hac Dux Ernestus iacet in petra tumulatus.

Huic detur ut requies sic optent quique fideles.

Da requiem, Christe, tecum sit semper ut iste.

Addit Bruschius eo ipso in loco extare rudera Castri quod fuit Ducum Bauariae.

Bruschii sententiae de uxore Ernesti omnino accedere nequeo, fuit enim Gisela, si de primo Ernesto agitur, Irmgardis, si de secundo, non fuit tamen soror S. Chunigundis, si temporis rationem habere par est. Sub tutore enim fuit Ernestus II. defuncto anno 1015. parente. At eo tempore Kunegundis Henrici II. uxor, provectioris iam erat aetatis, quam ut veri sit simile Ernesto Duci Iuueni circa annum 1020. aut 1025. nupsisse


ſororem Auguſtae tunc vetulae, ipſamque adeo canescentem. Praeterea et nomen et gentem Irmgardis ſeu Irmengardis diſces a Biographo S. Hildegundis Irmgardem Duciſſam Erneſti II. Coniugem *neptem* vocante *beatae* illius *virginis quae ſorores quinque habuit*, fratrem nullum, praedia ampliſſima. „ *Goſſwinus Comes Hochſtettenſis* (in Bambergenſi territorio) *tutor eius fuit*, *quia connexus illi eſſet linea conſanguinitatis*, *quamvis eius curam libenter geſſiſſet Duciſſa Irmgardis.* Mortua Hildegunde Goſſwinus coenobium in Vrach fundauit, *praediisque S. Hildegundis* et *ſuis dotauit.* Vide quam illa male congruant cum ſententia Bruſchii de Erbelgarde S^ae Chunegundis Imp^cis ſorore.

§. IV.

Interim conſtat 1° Erneſtum I. Luitpaldi Auſtriaci filium inter Baioarios optimates cenſitum, et praediorum in Nortgowia ditiſſimum fuiſſe 2° ſi vel maxime negaueris, quod tamen vix non credo, Erneſtum II. Ducatum Baioariae geſſiſſe, certum eſt ſaltem, eum Baioariis Ducibus coniunctum, et in Nortgouia potentiſſimum extitiſſe: id quod mirum non eſt poſtquam prodiit Aloldus fruſtra impugnandus, quamdiu meliora non habebimus.

3° Dicemus alibi Werinharium, qui Erneſto fidus Achates adfuit ubique ſociusque malorum a Luitpaldo noſtro Marchione, ſi ſubuetuſtis vetera narrantibus fides adhibenda eſt, originem duxiſſe, et eodem tamen ſanguine creatum dici quo creatus fuerat Dux Erneſtus. Fabulae ſunt forte hae fabulis munitae, ex iis

iis tamen nafcitur qualecumque argumentum feruatae ufque in medium aeuum memoriae originis Marchionibus Orientalibus Borealibufque Baioariae cum ea familia communis, ad quam Duces Baioariae hodierni gentem fuam referunt. Id vero vix contingere potuit, nifi conftat opinio noftra de Ratoldi Ducis Maioribus pofterifque.



Ratoldus Dux † post 873. Vx. Sigfrida. vide tab. 3.

PoppoIII. Dux. 880. honoribus exutus 892. — Heinricus I. Comes et Marchio a. 880. † 886. — Engildeo Comes v. Caput 3. — Ratoldus II. Comes v. T. 3.

PoppoIV. Comes in Tungoue a. 903. — AlpbratIII. Comes in Grapfeld 888 - 914. — Adelbertus I. Comes Bambergensis † 908. Ux. Brunehildis Saxonica Ottonis Ducis filia. — Heinricus II. Comes † 902. Ux. Baba Saxonica. — Adalardus Comes 884-905.

Burgrauii Ratisbonenses v. Tab. 7.

Adelbertus II. Comes † 933. — Bertholdus Comes — Otto Comes Hennebergicus.

Luitpaldus I. Marchio Austriae † 994. ux. Richardis. — Bertholdus Marchio Nordgauiae † 982. Ux. Eila de Walbeck. — Albertus de Amerdal † 953. — Poppo Episc. Wurceb. — Heinricus Archi Eps. Treuerens. — N. Sator Henneb. domus.

Heinricus Marchio Austriae † 1018 Vx. Suanehildis. — Poppo Archi Epis. Treuerens. — Ernestus I. Dux Sueuiae † 1015. Vx. Gisela Hermanni II. Sueuiae Ducis filia. — Heinricus f. Hezzilo Marchio Nordgauiae. † 1015. Vx. Gerberga Hermanni II. Sueuiae Ducis filia.

Adelbertus. III. Marchio Austriae † 1056. Vxor Adelhaid Pictauiensis. — Ernestus II. de Rostal Dux Sueuiae et Baioariae † 1030. — Hermannus IV. Dux Sueuiae † 1038. — Otto Dux Sueuiae Marchio Nordgouiae Gentis suae ultimus † 1057.

Luitpaldus II. † 1043. Vx. Trausniza. — Ernestus Marchio Austriae.

Marchiones et Duces Austriae A. 1246. extincti.

CAPVT



CAPVT TERTIVM

SYNOPSIS.

De Burggrauiis siue Comitibus Ratisbonensibus, inter quos Ratoldo Duci suus asseritur locus, ut qui Reginae monetam cudi iusserit, et pater fuerit Engildeonis, qui haud dubius Ratisbonensis Comes fuit. Engildeone sine liberis mortuo pars Comitatuum eius, et inprimis Praefectura Ratisbonensis contigit Bobboni vel Paboni, Popponis Ducis filio, Engildeonis ex fratre nepoti.

§. I.

Ex asserta Domui Austriacae veteri origine Hosio-Bambergensi, nec non ex historia Adalberti de Marthala Comitis, qui Berctoldi Bambergensis filius fuit et Comes Frisingensis, probasse mihi videor mansisse penes Henrici Ducis posteros Comitatum Frisingensem, qui fuerat Luitpaldi et Ratoldi Comitum, mansisse penes Adalberti *Strenuissimi Comitis* sobolem, Marchiam Baioariae septentrionalem et tam ingentia in Nortgowia praedia, ut antecessorem patremque Heinrici Ducis, Adelberti avum, totam fere Baioariam Borealem occupasse diceres. Id tamen mirabitur nemo qui sciuerit, quanta bellorum moles incubuerit viro, qui Germaniam contra Bohemos et Sorabos tutandam susceperat, cuique, ex seculi more, haud alius exercitus suppetebat quam turba siue clientum, siue ministerialium, quibus praedia pro stipendio dabantur, numerosissima. Ingentibus itaque opus erat lati-

fundiis, ut militibus illis perennibus ſuus cuique *manſus nobilis*, ut dicebant, aſſignaretur.

Vt probarem a Baioariis, ex Auſtrali Baioaria eductis, frequentatam maxime Nortgoviam fuiſſe, ſatis eſſet forte ut dicerem, maximam ampliſſimi huius tractus partem a Sclauis cultam olim fuiſſe, reliquam a Thuringis, qui fere deleti et ultra Salam monteſque ab ipſis nuncupatos pulſi fuerunt, multa vero aut etiam pleraque nomina oppidorum et villarum Nortgowienſium ex Baioaria Auſtrali petita fuiſſe, quod idem quoque contigit in Baioaria Orientali Sclauis et Auaribus aeque erepta. Sed illa hic argumenta procul eſſe iubebo, ut quae prolixiore indagatione indigeant, praeſertim illud quod verſatur circa nomina ex altera in alteram Baioariae partem translata, qualia ſunt Chamba, Ebraha, Hasslach, Urdorf, Pleeningen, Folefeld etc.

Latiſſima ergo fuerunt Ratoldigenis noſtris in Baioaria ſeptentrionali praedia, in ſuburbia uſque Ratisbonae ciuitatis protenſa. Naſcitur inde coniectura, aeque validiſſima, Ratoldum Ducem familiae potentiſſimae caput, et officii, ſiue Ducem dicas ſiue Marchionem, autorem eadem ante ipſos tenuiſſe: firmat coniecturam Palatina Ratoldi dignitas, et ſin aſſidua, crebra tamen in palatio Reginae Ciuitatis conuerſatio ingente cum auctoritate coniuncta. Haec omnia tamen vix erunt ſatis curioſius inquirenti quo tandem iure, qua de cauſſa, inſculpta videantur nummo haud ita pridem inuento, iamque ſuperius deſcripto, cur, inquam, inſculpta ipſi videantur nomina *Hrabtoldi Ducis et Reginae Ciuitatis.* Haec enim nominum coniunctio indicium praebet *Hrabtoldum* Ducem gauiſum eſſe iure cudendae in Regina Ciuitate monetae,

quo

quo tamen vix gaudere potuit, niſi *Reginenſis* Magiſtratus fuit, et quidem poſt Regem ſummus.

Supremum quendam Ratisbonae Magiſtratum praefuiſſe, charta docet ab Anamodo exhibita, [a] in qua teſtes recenſentur „civis „ *urbis Regiae Radaſponenſis quorum nomina cernuntur in ſubiecto: Lantolt Subuicarius Ciuitatis, Adalpero exactor Telonei*„ *&c.* fuit ergo Ratisbonae Subuicarius, fuit utique et vicarius Magiſtratus euiusdam maioris, cuius uterque, ſuo quiſque ordine, vices ſuplebat.

Siue igitur Praepoſitum nuncupes, qualis fuit *Aquis* in Regia urbe, ſiue Praefectum, ſiue Vrbanum Praetorem vel Comitem, fatearis neceſſe eſt, Ratisbonae Magiſtratum praefuiſſe inſignem, cuiuſque munus ampliſſimum eſſe debuit, quamdiu *ciuitas* illa vere *Regina* fuit, ſiue *urbs et ſedes Regia.*

§. II.

At ſi dicimus eos fuiſſe *urbanos Comites* Ratisbonae, qui primi teſtes recenſentur rerum illic geſtarum, aut coram quibus res actae perhibentur, eorum de numero excipiendi quidem erunt, ut minus certi, ii omnes qui Comites non dicuntur, ut Polo, qui ſemel primus, ſaepius vel ſecundus vel tertius nuncupatur, quia nempe et Aduocatus Epiſcopi et Vicarius Regis erat. [b] Hoc iure primus teſtis fuit cum Alawihus nobilis Presbyter, qui tunc Cancellarius

a) Lib. I. c. 27. ap. Pez. Anecd. Tom. I.

b) Anam. l. 1. c. 35.

larius non fuit, et cuius Aduocatus erat Gundalbertus, mutaret praedia in iisdem locis, in quibus mutauit alia, iam Cancellarii munere auctus.

Primus omnium quos coniectura assequi potui Reginensium Praetorum seu Comitum Adalbertus est, quamuis *Comes* non dicatur. Postpositi ipsi in charta Emmeranensi fuerunt *Salabbo*, Comes ni fallor, et Immo Aduocatus Episcopi, cum anno 822. perficeretur ad Reganaspurc id quod inceptum fuerat ante *Cotafridum Comitem.* Si quis dixerit hunc Adalbertum eundem esse ac Adilpraht ille, qui anno 808. largum se exhibuit Fuldensibus, paterque fuit Adalperti, non morabor.

Post Adalbertum reperio *Ratpotum Comitem*, qui ad *Reganesburg* primus testis fuit cum Willihelmus Comes an. 833. traditionem faceret [a]. de qua superius egi. Hic vero *Ratpotus* seu *Rapoto* idem est qui Marchio fuit. Res autem cum acta esse videatur in conuentu publico, nihil ex hoc testimonio elici potest.

Post annum 842. [b]. BABO COMES, sicuti iam superius monui, eo apparatu primus est testis, ut nihil facile obiici queat eum Burgrauium Ratisbonensem nuncupanti. Caeterum Babo hic is ipse est quem dixi alterum inter Popones Fuldenses. Ante eum occurrunt quidem a. 837. [c]. Meilo et Alberatus, sed Comites non dicuntur, facile tamen crediderim Alberatum hunc eumdem esse qui post annum 842. COMES appellatur [d]. solus inter multos testes, quamuis primus non sit. Fritilo principem locum obtinet. Sequun-

a) ibid. c. 72.
b) ibid. c. 14.
c) c. 80.
d) ibid. c. 83.

Sequuntur quatuor viri nobis ignoti; sextus demum est *Alprat Comes.*

Idem quoque Fritilo primus est testis anno 863. cum res agitur in *Regina Ciuitate*, e. sed ne tunc quidem *Comes* audit. Sequuntur eum duo *Papones*, Aduocatus Episcopi tunc fuit *Ratoldus*, idem forte, qui noster *Rodoltus Comes* in cuius et Ambrichonis Episcopi *praesentia* res acta est anno 866. in Percharteshusa, f. Aduocatum agente Puolone et Adalberto nobili viro traditionem faciente in Reitinpoh, adeo ut res acta fuerit in eo Nortgowiae tractu qui postea pagus fuit *Burgrauiorum Ratisbonensium.*

Anno tamen 871. cum *Rodoldi* Cancellarius commutationem faceret in *Ciuitate Regina*, primus testis fuit *Albrat Comes*, et quod maxime notandum, statim secutus est eum Polo, Regis Vicarius. Polonem excipit *Cundpolt* Comes et post multos alios *Cotascalch Comes* qui ante ultimum fuit.

Argues inde iure meritoque ordine quemque suo recensitos hic fuisse testes, factumque initium *a Comite Reginensi* eiusque vicario. Fuit itaque hoc anno Comes Vrbanus *Alpratus* ultimus ille, si recte hallucinabar, de familia Fuldensi, cuiusque haeres et successor fuit *Ratoldus Dux.*

§. III.

At, dices, nullum extat monumentum quo argui possit Ratoldum Reginensem Comitem fuisse. Extat vero nummus ille eximi-

e) c. 6. f) ibid. c. 15.

eximius, qui teſtari omnino videtur poſt annum 873. *Hrabtoldum et Ducem fuiſſe et Reginenſem Comitem.*

Addeſis quae dicenda nobis reſtant ponderis haud exigui. Cum Owardus Venerabilis presbyter daret S° Emmeranno proprietatem ſuam in Stupinga ſitam anno 888. reciperet a Monachis bona alia ad *Tagaratinga*, *acta fuit res ad Reganaſpurc coram Engildeone Comite.* a. Idem *Engildeo* primus teſtis eſt in alio negotio Ratisbonenſis Eccleſiae: b. *Actum eſt* iterum ſub Ambricone, incertum quo anno, *ad Reganeſpurc in praeſentia praenominati Epiſcopi atque Comitis* (Engildeonis.)

Sed litterae hac de re confectae maioris ſunt momenti quam ut pigere debeat integras exſcripſiſſe. c.

„Omnium induſtria fidelium comperiat congruentiam Com-„ mutationis quam Venerabilis Epiſcopus Ambricho atque *Engildeo Comes* in inuicem perfecerunt.„

„Quicquid igitur Engildeo praedictus Comes habere viſus eſt „ *ad Stupinga ad Comitium ſuum* pertinentis, id eſt areis, terris cul-„ tis et incultis et a Atto Aduocatus ſuus totum contradidit ad S. „ Emmerammum ipſo Comite iubente in manum videl. Am-„ brichonis Ven. Epiſcopi eiuſque Aduocati Herrandi e contra „ vero idem Herrandus cum licentia Domini ſui Epiſcopi tradi-„ dit praedicto Comiti de rebus S. Emm. quicquid Ambricho „ Epiſcopus prouidit ad Eliſindorf, id eſt tria mancipia et Do-„ mum cum curte cum omnibus appendiciis eius „

„Actum

a) Anam l. II. c. 2.
b) ibid. l. II. c. 42.
c) Anamod l. I. c. 58.

„ Actum est autem ad Reganespurc in praesentia praeno-
„ minati Episcopi atque Comitis. Vestitor quoque fuit Atto.
„ Reuestitores vero fuere Owart et Gundhart „

Mirum forte videbitur Engildeonem Aduocato usum fuisse, quod peculiare olim fuit Clericis, et foeminis. At anno 852. in conuentu apud Erpfesfurt a) habito Ludowicus Rex *decreuerat inter alia ut nullus Praefectus in praefectura sua aut quaestionarius infra quaesturam suam alicuius causam, Aduocati nomine, susciperet agendam, in alienis vero Praefecturis vel quaesturis singuli pro sua voluntate aliorum causis agendis haberent facultatem.*

Lex ea eo usque extensa fuisse videtur ut ne sua quidem negotia Comes in Comitatu suo legitime agere posset, sed Aduocato indigeret. Et sane quandocumque res in placito legitimo et coram Comite agenda fuit, eadem persona simul praesidis et actoris munia sustinere vix aut ne vix quidem potuit.

Certo itaque certius constat *Engildeonem Reginensem* fuisse Comitem; constat quoque *Comitium* vel *Comitatum* illius non feudi nec officii sed proprietatis naturam omnino habuisse et ad hunc pertinuisse praedium Stupingense.

Aut igitur eadem praerogatiua de nouo indulta fuit *Engildeoni* quae HRVODOLDO nostro Venerabili Comiti concessa fuerat, aut Engildeo successit in iura Hruodoldi, quem improlem non fuisse

a) Annal. Fuld. ad h. an.

iam iam demonſtrauimus. Erunt fortaſſis multi qui illud potius quam hoc credere malent: mihi vero perſuaſum eſt omnino Egildeonem iure ſanguinis in iura Hradoldi ſucceſſiſſe et ut verbo rem conficiam, Engildeonem filium fuiſſe *Ruodoldi* vel *Hrabtoldi Ducis et Comitis* Reginenſis.

Primum aſſerti argumentum elicio inde quod Engildeo Reginenſis Comes fuit omnino, qualem Hratoldum Ducem fuiſſe *nummus* noſter haud obſcure indicat. Engildeo praeterea hunc ſuum Reginae Ciuitatis Comitatum eodem iure proprietatis tenuit, quo Ratoldo, ſingulari prorſus exemplo, traditum vidimus ſuum apud Friſingenſes et alibi quoque Comitatum.

Maius eſt argumentum quod nobis ſubminiſtrat charta modo ex Anamodo exſcripta, ſi ipſam cum alia contuleris charta, iam pridem a nobis laudata, hic vero integra recitanda a. „ Notitia „ qualiter Ambricho Radaſponenſium Epiſcopus et RODOLTVS „ COMIS complacitauerunt inter ſe, dedit itaque ſuprad. Epiſ- „ copus ſupra memorato Comiti in loco qui vocatur *Umpalasdorf* „ de terra arabili iugera 83. et e contra dedit RODOLTVS Comes „ Ambrichoni Epiſcopo in manum Aduocati ſui Perahtrici in loco „ qui dicitur STVFINGA iugera 40. et in loco qui nominatur Perih- „ hinwanc ſimiliter. Hoc autem factum eſt anno Incarnat. Do- „ mini 870. Ind. VII. et in 8. Kal. Iunii.

Praedia in Umpalasdorf ſita poſt mortem Ratoldi Ducis vel Comitis deuoluta ſunt ad filium ipſius Rodoltum vel Ratoldum II. Mini-

a) Anam. l. I. c. 68.

Ministrum Regalem, ut iam monuimus. Reliquiae vero praedii Stupingensis contigerunt Engildeoni Comiti, qui eas Ambrichoni Episcopo vestigia patris secutus donauit. Nota etiam Perahtricum illum qui Aduocatus fuit Episcopi cum daret in Umpalasdorf, reciperet in Stupinga, eumdem esse qui anno 871. Berehtricus dicebatur et cum *Ratoldo vistitor* fuit rerum quas inter se mutauerunt *Alawibus* Ratoldi Cancellarius et *Ambricho* Episcopus.

Scimus itaque Rodoltum vel *Hrabtoldum Venerandum Comitem* praedium habuisse in Stupinga, tantum non scimus Magistratum gessisse *Reginae.* Scimus praeterea hoc illi fuisse indultum ut eius Comitatus proprietatis naturam indueret.

At vero scimus quoque *Engildeonem* Comitem fuisse *Ratisbonensem*, praedium habuisse in *Stupinga* quod ad Comitatum suum pertinebat, hunc vero Comitatum ipsi proprium fuisse.

Quid superest ergo, nisi ut dicamus *Engildeonem* Ratoldi Ducis filium fuisse, haeredem et successorem, adeoque fratrem Ratoldi Ministri Regalis qui viuebat adhuc anno 902. fratremque Popponis Ducis Thuringiae et Comitis in tractu Fuldensi, fratrem denique Henrici Comitis Ducis et Marchionis, qui et ipse mutationem celebrauit cum Ambrichone.

§. IV.

Dicemus alibi Engildeonem haeredibus masculis caruisse; Et tunc modo deprehendet lector, quanti nostra intererat eundem nouisse. Dicemus etiam de amplissimo quo gauisus est Comitatu, qui Luitpaldo Marchioni post eum contigit. Nunc in orbem redeamus.

Vidimus iam socium et quasi Collegam Luitpaldi I. fuisse Pabonem I. vidimus filium Popponis III. vel Pabonis Ducis Pabonem IV. nobis dictum, qui frater Alberahti Comitis fuit, apud Fuldenses nusquam reperiri, postquam cum patre et fratre testis fuit. At eodem fere temporis momento emergere, apud Baioarios Ratisbonam circa *Paponem Comitem*, in cuius Comitatu in pago vero Tunagowe situs erat anno 895. locus *Puopinga* dictus, teste diplomate Arnolfi Imp. [a] qui idem Papo anno 903. Collega fuit Luitboldi in pago Nortgowe testante Ludowico Rege [b] cuius denique interuentum ambiuit anno 904. Tuto Episcopus Ratisbonensis, magni fecit Ludewicus Rex [c].

Haec cum perpendimus recte, conferimusque cum iis quae supra a nobis dicta sunt, pronuntiare vix reformidamus; Pabonem illum IV. Fuldensem, sed e Fuldensi tractu, ut ita dicamus, profugum eundem esse quem in Baioaria et circa Ratisbonam reperimus.

Fuit

a) Cod. Diplom. Ratisb. Petzii col. 34.

b) ibid. col. 39.

c) ibid. col. 41.

Fuit ille, ſi recte ſe habent omnia, Engildeonis ex fratre nepos, cui,cum Luitpaldo collata eſſent pleraque omnia quae poſſederat Engildeo, datus eſt *Comitatus Urbanus* Ratisbonenſis *Ciuitatis*, datus Comitatus Ratoldi Ducis in ea parte Nortgouiae quae Ratisbonae vicina erat, datus etiam tractus *Tunagowienſis* pagi in quo fuit *collega Adalberti* Bambergenſis, cuius haeredes, Auſtriae Marchiones, in Tunagowia Comitatum quoque ſuum habuerunt, ut iam probauimus.

§. V.


Queſtus iam ego ſum monumentis nos deſtitui cum ad Pabonis poſteros ſucceſſoreſque deuenimus, in hac ergo penuria quiſquis copioſum quid a nobis exigeret, auſterior profecto foret.

Hoc vero opportuniſſimum nobis eſt, quod is quem ex longo interuallo primum Ratisbonenſem praefectum diſerte exhibent monumenta Emmeramenſia et *Papo* dicatur, et Comes in *Tuonoghove*, et *urbis praefectus* audiat et praedia ingentia Comitatumque in Nortgouia quoque poſſideat, ita ut nequeamus non agnoſcere haeredem Paponis IV. illius qui anno 904. viuebat adhuc florebatque.

At hiatus poſt Paponem ſemet exſerit 70 fere annorum, cui opplendo unius viri aetas vix ſufficeret etiamſi diceremus Paponem IV. rerum potitum verſus annum 895. aevum produxiſſe uſque ad annum 925. filium anno demum 900 procreaſſe.

Quic-

Quicquid tamen in re prorſus deſperata praeſtare licet, pro virili parte exequemur, ante omnia lectorem normituri, a propoſito noſtro nos euagari neutiquam, ut, qui illuſtrandis Baioariae proceribus operam damus, hucuſque vero nihil fere dixerimus quod non dixiſſe non poenituiſſet, poſtquam redierimus ad eos Baioariae proceres, de quibus maxime ſollicite et ſumus et eſſe debemus.



CAPVT



CAPVT QVARTVM

SYNOPSIS.

Series Comitum Ratisbonensium ab anno 904 usque ad annum 1159 ex genuinis monumentis nunc primum asserta; Historia de 30 filiis Pabonis obiter emendatur.

§. I.

Post annum 904. ad annum usque 961. nil nobis de Ratisbonensibus Burgrauiis suppeditauit nec Codex diplomaticus Ratisbonensis a Pezio euulgatus, nec Codex traditionum S. Emmeramnensium, in quibus ab a. 814. ad 975. usque plane deficiunt omnia. Anamodus quidem multa egregie suppleuit; sed deficit et ipse sub Engildeone Comite sibi coaetaneo.

Nouimus tamen Praefectum Ratisbonensem unum, qui in hoc temporis interuallo vixit, ex Arnolfo Priore S. Emmeramnensi a. „ Erat quidam vir ingenuus Burchardi *Marchi Comitis* et Praefecti Ratisbonensis Vasallus. Certum est autem Burchardum hunc Praefecturae Ratisbonensi post annum 975. non praefuisse. Floruerunt tunc temporis Wolfgangus Episcopus Ratisbonensis, Ramuoldus abbas S. Emmeramni, quorum aetas monumentorum est feracissima; obuios in illis undequaque habes Burgrauios Ratisbonenses, sed in nullo ne primas quidem Burchardi nominis lineas deprehendes.

a) De Vit. S. Emmer. edit. Basnag. Tom III. p. 1. pag. 115.

Non ſum quidem immemor diplomatis Paſſauienſis a° 982. exarati, [b] quo Otto II. Imp. confirmauit Pilgrimo Epiſcopo praedium *Wachau* ſitum in *Comitatu Burchardi Reuerendi Marchionis.* Conſtat inde Comitatum Burchardi huius eundem fuiſſe quem ſub Ludouico Pio tenuit Gotafridus Marchio Orientalis. Marchio Orientalis itaque fuit *Burchardus* qualem iam a° 889. regnante Arnulfo, Marchiam Orientalem certo certius adminiſtrante Aribone, inuenio *Rudpertum terminalem Comitem* in pago Tunnagowe praepotentem [a] ſed quo minus Burchardum hunc eumdem fuiſſe affirmemus cum Burchardo noſtro Marchi Comite et Praefecto Ratisbonenſi, obſtat omnino altum quod de eo eſt, in monumentis, quae modo citauimus, ſilentium.

Si igitur dicendum quod res eſt, arbitramur Burchardum noſtrum ab a° 925 quo Poppo IV. deceſſit forte ad a. uſque 950. Prafecturam Ratisbonenſem geſſiſſe, ſuosque natales eidem Popponi IV. retuliſſe. Burchardi nomen quod deinceps ex omni hac gente exulat, ipſi fortaſſis a Burchardo illo venit, qui, exauctorato Poppone Duce (nobis III) et Conrado prouincia hac ipſi aliquantiſper conceſſa decedente, Marchiam Borealem adminiſtrauit, ſuamque, ſi coniecturae locus eſt, filiam Popponi III. Burgrauio, Popponis Ducis filio deſponſauit, ut inuidiam collati ſibi Ducatus apud gentem praepotentem minueret animoſque aeſtuantes ſic tandem affinitate deliniret.

Duplice prole beatum fuiſſe hunc Burckardum nullus dubito; triplice auctum lubens ſuſpicarer, ut vel hoc pacto Burckardum iſtum Paſſauienſem qui a. 982. Marchio fuit, huic noſtrae genti aſſereremus.

§. II.

b) Oefele excerpt. Paſſau. Tom I. Script. Rer. Boic.

a) Cod. dipl. Ratisb. col. 32.

§. II.

Primus filiorum Burckardi I. auum Pabonem nomine retulit, nobis Poppo V. dicendus. Is iam circa annum 969. sub Piligrino Episcopo Passauiensi, Sacramentalis vel testis fuit cum inquireretur de decimis Ecclesiae Passauiensis [a]. Occurrit deinceps in charta S. Emmeramnensi [b]. qua *Erninga*, sita in *pago Tunahgoua* in Comitatu *Paponis* traditur in manus *Episcopi ac Abbatis* Wolfkangi et Aduocatorum suorum *Werinbarti* et *Hauwarti*. Notum est S. Wolfgangum aº 968. electum Episcopum Ratisbonensem, et Episcopatui et Abbatiae S. Emmeramnensi praefuisse usque ad annum 975. quo tandem huic praefecit Ramuoldum, ipse Ecclesiam Ratisbonensem in annum usque 995. quo obiit, gubernaturus. Cum ergo in traditione ista S. Emmeranno facta solus nominetur Wolfgangus credere est celebratam fuisse eam inter annos 969. et 975.

Addimus his litteras alias [a]. „ quibus vir ingenuus de *pago* „ *Tuonobgoue* oriundus tradidit talem proprietatem qualem habuit „ in *loco Sciri*, nuncupato in supradicto pago in Comitatu videli- „ cet PAPONIS, in manum Episcopi *Vuolfkangi* et Abbatis Ramuoldi nec non Aduocati sui *Hauwardi etc.* Testes per aurem tracti Orendil, *Ruotperht*, Imo etc.

Extant quoque Litterae [b]. quibus „ *praediues urbis Regiae* ne- „ gotiator tradidit praedium in loco *Reginpoldincboua in Pago Tuo-*

D d 2 „ *nab-*

a) Ludewig Script. Rer Germ. T. II. p. 378. cap. 20.

b) Cod. Trad. S. Emmer. ap. Pez. Tom I. anecdot.

a) ibid. cap. 11.

b) ibid. 22.

„ *nabcowe* in COMITATV PAPONIS in manum venerabilis *Episcopi* Wolf-
„ gangi et Ramwoldi Abbatis, eorumque Aduocatorum Werin-
„ harti et Faramunti. Testes PAPO VRBIS PRAEFECTVS . . .

Adde his chartam Adalhardi [c] qui accepit ab *Episcopo* Wolfgango, Ramwoldo abbate, Werinharto Aduocato quicquid fratres S. Emmeramnenses habuerunt ad *Scirin* : huius pactionis testes fuerunt PAPO VRBIS PRAEFECTVS, Immo etc.

Operae praetium erit exscribere chartas integras duas unde bona, quae Papo in Nordgouia habuit, cognoscemus. Ambae solum nominant Ramuoldum Abbatem, nulla Episcopi Wolfgangi, nulla Aduocatorum eius facta mentione, ita quidem ut inde concludere liceat, eas post fata Wolfgangi fuisse exaratas annosque inter 995. quo obiit Wolfgangus et 1001. quo vita functus est Ramuoldus.

En primam: „ Ob necessitatem pacis et concordiae facta est con-
„ uentio inter Abbatem Ramuoldum et *Paponem Ratisponensis ur-*
„ *bis praefectum*, quod longo iam tempore ex utraque parte iurgium non deesset de aditibus et reditibus iuxta fluuium Regan in loco Maganaspah nuncupato. Tandem idem Papo bonitate convictus remisit atque contradidit ad S. Emmeramnum in *sua parte* in
„ ripa eiusdem fluuii etc. Ita etiam in plaga Occidentali riui Fran-
„ chenpach dicti in latitudine etc. in manus Ramuoldi Abbatis
„ etc. e contrario vero iliis retradentibus accepit idem *Papo* etc.
„ et isti sunt testes Immo, *Rudprebt*, Engilmann etc.

Altera haec est [a] „ *Papo urbis praefectus* offerens *Liutolfum*
„ *filium* suum in coenobium S. Emmeranni et fraternam salariam —
„ ipse

c) ibid. cap. 29.
d) cap. 37.
a) cap. 42.

„ ipſe paratus Romam tendere tradidit in ſylua communi *Nord-* „ *wald* nuncupata tale praedium ſyluaticum, quale ipſe cum „ ſuis ſequacibus contra ſuam *proprietatem Steuininga* proſpiciens „ circumeundo ſibi in proprium ad eundem locum Steuininga cap- „ tiuauerat, cum unico tantum Vandalico conſtitutum, quod „ etiam ſitum eſt inter riuum *Franchinbach* et montem vulgari vo- „ cabulo *Vigo* dictum etc. Iſti ſunt teſtes *Rudprebt Comes*, Rich- „ pold etc.

Conſtat ex his monumentis terrarum potentem fuiſſe in Nordgouia Paponem hunc V. adeoque haereditatem Paponis, quem primum diximus, tantum non omnem ipſi contigiſſe, quod ſane hypotheſi noſtrae, quae quintum a primo deriuat, quam maxime fauet. Sed conſtat etiam *Steuiningam* latifundiis Paponis Vti accenſitam fuiſſe, manifeſto indicio originem gentis *Steuiningenſis* ad ipſum quoque referri debere.

§. III.

Monui ſupra duplicem fuiſſe ad minimum Burckardo I. ſobolem. Paponem V. qui filiorum primus forte erat patri in Burgrauiatu ſucceſſiſſe iam vidimus; priusquam vero poſteros illius ſimulque Burgrauiorum ſeriem proſequamur de Paponis fratre nonnulla dicenda ſuperſunt. Rutperti nomen ipſi haeſiſſe nobis perſuaſum eſt, huncque eundem fuiſſe qui in ambabus Paponis donationum litteris teſtis occurrit, in iis tantum *Comitis* elogio non inſignitus: ſed elogio iſto ornatus in duabus aliis [a] chartis S. Emmeramnenſibus quae et Wolfgangum Epiſcopum et Ramuoldum Abbatem referunt adeoque ante annum 995. exaratae ſunt

a) Cap. 15. et 16.

ſunt ambae. Haud equidem me fugit, Paponi V. qui neutiquam orbus obiit in Burgrauiatu ſucceſſiſſe Rupertum quendam, hunc vero a Rutperto, nobis heic loci examinando vel ob id ipſum diuerſum putamus, quod Rupertus Paponis filius vix dici queat viuente adhuc patre, Comitis encomio veniſſe; adde quod ſeculo decimo exeunte iam mos inualuerat, cum pater filiusque ſimul occurrerent, eam neceſſitudinem diſertis verbis exprimendi. At teſtis adeſt Rupertus I. Paponi V. donationem celebranti, nec tamen in loco quantumuis opportuno filius ipſius nuncupatur. Fratrem ergo Paponis V. tantiſper pronuntiabimus donec tenebris his lux aliunde accedat. Comes vero fuit Rupertus hic I. et ni omnia me fallunt, Aduocatus Altahae inferioris ſub Abbate Godehardo [a]. Id vero ſi recte ſe habet nepos illius haud dubie fuit Rupertus alter, qui eandem Aduocatiam adminiſtrauit ſub Abbate Ratmundo: Haec vero Lector ne credas nos temere aſſeruiſſe, euolue quaeſo codicem traditionum Eberſpergenſium [b]. reperies ibi circa ſeculi XI. initia *Tagini* quendam de *Obernhus*, et filium eius Ruopreht, qui teſtes fuerunt cum Adalbero Comes Eberſpergenſis, Eberſpergenſi coenobio daret praedium in Haſelbach. Eundem Ruotpertum de Obernhus inuenies quoque in alia charta traditionis [c]. Eberhardi. Sed frequenter circa annum 1030. alio idem nomine vocatur [d]. *Ruodprebt de Sliuisbeim* quod *caſtrum* Hoſiis antiquis iam notum hodiernum eſt *Schleisbeim.* Comitis de *Sliuisbeim* titulo utitur Ruodpertus quoties ipſe donationem peragit [e]. Caret eo quandocunque teſtis adeſt largitionum ab aliis factarum, quarum plurimae extant; at ſemper latera Ruotperti tunc ſtipat Maganus de Frickendorff Hoſius et ipſe, et Aduo-

a) Hund. Metr. T. II. pag. 4.
b) Oefele T. II. n. 38.
c) ibid. n. 46.
d) n. 47. 49. 51. 52. 53. 54.
e) n. 63

Aduocatus S. Emmeramnenſis. Rupertus denique filium quoque habuit *Tagini* dictum, uti quidem ex charta traditionis praedii in H*erilincbouen* Eberſpergenſibus factae apparet. Iam vero quid de his omnibus ſentiamus, accipe Lector. Rupertum I. Paponis V. fratrem fuiſſe arbitramur: filium Ruperto Taginum de Obernhus damus, nepotem Rupertum II. de Obernhus et Sliuisheim, pronepotem Taginum II. Si minus recte ſe habere haec tibi videntur, memineris rogo nos ea tanquam meras venditare coniecturas, quas ſi admiſeris ſalua quidem haec erunt omnia, ſi reieceris, nihil inde detrimenti capiet Syſtema noſtrum facili negotio ab illis ſeparandum.

§. IV.

Paponi V. ad quem tandem redimus plures fuiſſe filios vel inde apparet, quod *Luitolfum*, filium utique ſuum, Monachum fieri et ſemper *ſub regula S. Benedicti ſtabilem permanere iuſſerit*, vix iuſſurus ſi in uno hoc omnis ſtetiſſet cura parentis. Longe tamen abſum, quin cateruae recentiorum immiſtus ad eum referam quae de Babone de Abensberg memorant medii aeui Scriptores, interque eos Biographus Chonradi I. ArchiEpiſcopi Salisburgenſis [a]. ſcilicet eum patrem fuiſſe filiorum triginta, filiarum octo ex liberis matribus procreatorum. Hundius opinioni quam refellendam ſuſcipio calculum adiecit ſuum in Genealogia Comitum Rietenburgenſium [b].

Nullus quidem dubito ex thoro Babonis Abensbergenſis triginta prodiiſſe filios. Sola Biographi, quem modo laudaui, autoritas omne, ſi quod ea de re ſupereſſet, euerteret dubium: ſed id ego nego, Babonem Abensbergenſem Burgrauium Ratisbo-

a) Pez. Anecd. T. II. p. III. p. 221. b) Bajeriſch. Stammbaum. T. 1.

bonenſem fuiſſe, Biographus Conradi Archi Epiſcopi cuius pater *unus erat e triginta Babonis filiis* omnes herois ſui conſanguineos, cognatos omnes operoſe inueſtigat : Hos inter refert Ottonem ſeniorem praefectum Ratisbonenſem, qui *auunculi eius filius* fuit. Otto hic abauum ſalutabat Paponem nobis Quintum, proauum Rudpertum, auum Heinricum I. Patrem Henricum II. Burgrauios. Nuſpiam hic Baboni Abensbergenſi locus. Quid quod clariſſime nos docet Biographus, ſororem Heinrici II. nupſiſſe Patri Conradi Archi Epiſcopi, adeoque Henricum II. Burgrauium eius fuiſſe *auunculum*, Henricum I. auum, Rudpertum proauum, Paponem V. Burgrauium abauum maternum. At ex eodem patet ſcriptore Babonem Abensbergenſem utique fuiſſe Conradi Archi Epiſcopi auum paternum, quae ſane omn em ſuſpicionem tollunt, quod Babo Abenſpergenſis idem eſſe potuerit cum Papone V. Burgrauio, ni forte luxuriante ingenio ſtatuere velis virum eundem Conradi Archi Epiſcopi et abauum fuiſſe ex matre, et auum ex patre.

Erunt fortaſſis qui nobis obiiciant *auunculi* vocem frequentiſſime ſenſu minus proprio uſurpatam fuiſſe a medii aeui ſcriptoribus, et patruo utplurimum aequiparatam. Eſto ! Sed Biographus noſter nec in hoc paſſu nobis deerit alia omnia ſentientibus. Is enim poſtquam cognatos Conradi, inter quos eminebant Burgrauii Ratisbonenſes, abunde expoſuit „ PRAETER HANC, inquit, „ NOBILISSIMAM GENEALOGIAM, *aliam humiliorem quidem, verun-* „ *tamen claram et ſplendidam cognationis ſeriem habuit* QVAE NVMERO- „ SITATE SVA NON SOLVM BAVARIAM *et Carinthiam verum etiam* „ *Orientalem et Rheni Franciam occupauit*, *quae unde ſurrexit non* „ *abs re* videtur exponere. AVVM habuit BABONEM nomine etc. „ His

His ſubiicit celebrem in omne aeuum de 30 Babonis filiis hiſtoriam; Babo itaque Abensbergenſis nequaquam fuit de *nobiliſſima iſta Genealogia* ad quam pertinebat Otto Burgrauius Paponis V. abnepos: nec Burgrauii noſtri ullo modo referri debent ad *Genealogiam* illam *humiliorem* cuius autor fuit Pabo triginta filiorum parens. Egregia haec ſane ſunt ac ita comparata ut ſuperfluum forret aliud argumentum, haud minus palmarium adieciſſe. Scilicet imperante Heinrico II. apud Ratisbonenſes extitiſſe Pabonem ſeu Paponem Burgrauium nullum: cuius tamen *Imperatoris munificientiae numeroſam prolem* commendauit Babo Abensbergenſis.

§. V.

Conſtat itaque Paponem V. Burgrauium diuerſum longe fuiſſe a Babone Abensbergenſi triginta et octo liberorum patre. Fuit tamen ipſi connubium felix atque foecundum, ut modo notauimus, fuerunt filii plures de quibus mox ſermonem inſtituemus. Hoc unum de Papone V. iam poſtremo ad partes vocando ſubiuncturi, vitam eum protraxiſſe uſque ad finem ſeculi xi.

Vidiſti haud ita pridem Lector, Paponem filium ſuum Luitolphum ſacris D. Benedicti in Sant Emmeramnenſi coenobio deuouentem: manifeſto, ſi mecum ſentis, indicio, alios adhuc praeter Luitolphum Paponi fuiſſe filios. At vero tunc temporis viuere contigit Paponi, quo Magiſtratus Paterni iam ex Lege ad filios deuoluebantur. Quid igitur obſtat quo minus Rupertum Burgrauium Paponis ſucceſſorem, eiuſdem filium Luitolfi Monachi fratrem fuiſſe pronunciemus? Erunt forte qui addere velint char-

tam traditionis S. Emmeramnensis, absque consule et die quidem omnibusque aliis signis destitutam unde aetatem ipsius eruere posses, quam tamen ad Paponem hunc vel ideo referendam non esse putamus, quod in ipsa occurrant testes, *Ruodprecht* (Poaponis V. frater) Richholf, Tagini (Ruodperti filius) qui recentiorem aetatem indicare videntur. Quicquid autem istud sit en tibi charta a.

„ Papo urbis Praefectus una cum CONIVGE SVA MATHILDA tra-
„ didit super altare S. Emmer. praedium *Gundunesbusa* quod fuit
„ eidem Mathildae de largitione matris eius *Cunigundae* contra-
„ dictum, tradidit vero pro remedio animarum *Paponis* et *Ma-*
„ *thildae* et fratris eius *Perahtoldi* . . Si vero hunc eumdem lo-
„ cum *Gundenesbusae* episcopus aut aliqua potens persona com-
„ muni usui fratrum demere tentauerit, supradicta *Mathilda* siue
„ filii eius potestatiue hoc ipsum teneant etc. Et isti sunt testes *Ru-*
„ *otpreht*, *Richholf*, *Dagini*, *Walach* etc. Si Papo hic idem esset cum eo, quem Quintum dicimus mirum profecto foret, filiorum eius, quos habuit plures, neglectas fuisse animas. Malo itaque hac etiam de caussa chartam illam referri ad Paponem quem VIm dicemus, astruemusque sine prole mascula obiisse. Papo vero V. ut dicebam plurium pater fuit filiorum. Nouimus Luitolfum, nouimus et Rupertum Patris in Burgrauiatu successorem. Alii an fuerint adhuc, quinamque fuerint cum ignarissimis ignoro.

Ruperti qui a Papone V. haereditario iure circa annum 1000 accepit Praefecturam Ratisbonensem, diuturna fuit administratio, ac

a) Tradit. Emmer. l. c. cap. 48.

ac esse quidem potuit, cum a° iam 1028. filios duos puberes, testandi socios habuerit in charta S. Emmeramnensi [a]. scripta sub Episcopo Gebehardo, Abbate Richholfo, Aduocato eiusdem Dioeceseos Timone de Formbach: Testes fuerunt isti NOBILES RVOTPRET *Ratisponensis* COMES CVM FILIIS SVIS DVOBVS HEINRICO ET BABONE.

Ruotperto successit filius *Heinricus I.* Testes erunt litterae [b]. quibus *Praeses Vrbanus* HEINRICVS pro anima PATRIS SVI RVDPERTI *tradidit praedium in Ekilinbach.* Adde his chartam [a]. qua Praetor urbis HEINRICVS pro remedio animae fratris sui PABONIS *tradidit praedium* quale PABO dum in vita fuit in loco *Walda* potestatiue habuit. Hanc traditionem *Episcopus Germanus*, HEINRICI COMITIS, OTTO, et Abbas Rudpertus susceperunt etc.

Trium ergo filiorum pater fuit *Rupertus.* Heinrici I. Pabonis VI. et Ottonis Episcopi: qui cum anno demum 1060. Ecclesiae Ratisbonensi fuerit praefectus, consequens est hoc, vel circiter, tempore obiisse iam Pabonem, viguisse adhuc Heinricum I.

Caeterum Pabonem VI. una cum fratre Burgrauiatui praefuisse suspicor: sobolem non habuisse inde constat quod haereditas defuncti, fratri Heinrico I. accreuit.

§. VI.

Heinrico I. Burgrauio filium cognominem fuisse docet nos charta S. Emmeramnensis [b]. adderem lubenter *Maganum* Comitem

a) ibid c. 51
b) cap. 99.

a) cap. 113.
b) cap. 115.

tem de Ror, quem Hundius ex gente noſtra deriuat: an recte neſcio; Id tantum ſcio errare Hundium [a] cum Maganum filium appellat Ruperti Burgrauii, nepotem Babonis Abensbergenſis. Magano filius fuit *Adelbertus* Rorenſis Monaſterii fundator, uti quidem patet ex litteris Heinrici Ratisbon. Epiſcopi queis eidem coenobio aduocatos conſtituit a 1138. teſtibus Ottone I. praefecto et filio eius Heinrico (IV.)

De Heinrico II. plane nihil memorant monumenta noſtra; coniicere tamen licet eum ad annum uſque 1100. rebus humanis interfuiſſe. Filios reliquit, quos nouimus tres, Heinricum II. Ottonem I. et Vdalricum, ſorores duas, de quibus mox erit dicendi locus.

Heinricum III. ac Ottonem prodit Charta S. Emmeramnenſis cui teſtes adſcripti ſunt: Heinricvs *urbis praefectus*, *frater eius* Otto. Refert quoque charta Heinricum Epiſcopum Ratisbonenſem, unde patet eam poſt annum 1130. ſcriptam fuiſſe.

Hanc epocham ſi contuleris cum vita Chunradi Archiepiſcopi Salisburgenſis deprehendes Ottonem hunc I. Heinrici III. fratrem diuerſum non eſſe ab *Ottone* illo *Seniore* quem *praefectum* Ratisbonenſem vocauit Biographus noſter. Hinc colligere eſt Heinrico II. *Conradi Archiepiſcopi auunculo* fuiſſe ſororem, Conradi ac Ottonis et Wolframi matrem. Altera, quam modo nuncupaui Heinrici II. ſoror nupſit Comiti de Lechſgemund ipſique peperit Heinricum Comitem, patrem alius Heinrici qui Lechſgemundanum Comitatum obtinebat adhuc cum ſcriberetur Conradi Ar-

chi-

a) Stammb. tom. 1. p. 123.

chiepiscopi uita. Tertius filiorum Heinrici II. fuit Vdalricus, de quo iam dicetur.

Nescius sum plane num Heinrico III. Burgrauio contigerit sobolem procreare: nec magis mihi constat de *Vdalrico* quem semel tantum legimus in charta Bertholdi Abbatis S. Emmeramnensis a. Refert illa Bertholdum redemisse *a filiis* OTTONIS VRBANI *Comitis cognomento Boliz proprietatem*, quae manu PATRVI *ipsorum* VDALRICI nec non *auunculi* ipsorum CHVNRADI *de Frumdorff* caeterorumque cognatorum et *affinium ipsorum* S. Emmeramno fuit *restituta*.

Otto I. Senior dictus, itemque ut modo audiuimus *Boliz*, coniugem salutauit Sophiam sororem *Conradi de Frumdorf*, diem supremum obiit a° 1142. Sepultus Ratisbonae ad S. Emmeramnum, ubi sequens ipsi positum fuisse epitaphuim narrant recentiores:

„ *Otto Comes de Stephling et de Rietenburg et Burgrauius Ratis-*
„ *bonensis, fundator Monasterii Walderbach est hic sub ianua sepultus.*

§. VII.

Duplicem Ottoni I. prolem natam fuisse vel ex charta modo allegata constat, Heinrici IV. et Ottonis II. nomine insignita. Nouimus id quoque ex diplomate Conradi III. Monasterio *Munchsmünster* dato; ubi inter testes nominantur: *Otto praefectus, et filii eius Heinricus et Otto* aa. Celebre utrique nomen fecit fundatio coe-

 nobii

a) cap 124.

aa) Hund. Metrop. Tom. III.

nobii ad Almonam *Altmulmunster*, cuius ecclesia a°. 1155. ipsis iubentibus fuit consecrata. b. Heinricus IV. cum patre Ottone I. occurrit in charta Rorensis Monasterii a°. 1138. superius citata. Occurrit iterum in Charta S. Emmeramnensi sub Bertholdo Abbate, adeoque ante a. 1149. exarata, *testes fuerunt* HEINRICVS „ *urbis praefectus* . . . *Vdalricus de castello* quod dicitur Stein. a. Leuiuscula forsan coniectura est *Vdalricum* hunc de Stein eundem fuisse, quem modo Heinrico II. filium assignauimus, et ab eo descendisse Dominos vel Comites *de Stein* seu *Lapide*.

Otto II. Burgrauius et ipse, fraterque Heinrici IV. is haud dubie est „ *Otto praefectus urbis Ratisponae* qui Romam proficisci statuens coenobio Eberspergensi tradidit famulas duas b.

Vxorem ipsi tribuunt recentiores c. Adelhayden, filiam Ottonis Comitis de Wittelsbach, sororem Ottonis Baioariae Ducis! Sed praeterquam quod connubium istud, incesto simillimum fuisset, uti alibi dicetur, meliora nos docet scriptor coaeuus ac fere domesticus Annalista Saxo: d. „ sororem Hilperici ADELHAYDEN duxit *uxorem* OTTO RATISBONENSIS COMES. *Adelhais haec erat filia Theodorici Comitis de Plocske et Mathildis. Haec unica filia fuit Conradi Comitis Magdeburgensis et alterius Adelhaydis*, quae erat ex Bauaria oriunda.

Nescio

b) Hund. Metrop. T. II. p. 60.
a) Cod. Trad. St. Emmer. c. 126.
b) Cod. Trad. Ebersberg. n. 178. ap. Oefele T. 1.
c) Hund. Stammb. T. 1. p. 124.
d) ad a 1049.

Nescio quid sibi velint *Gotefridus urbanus* et *Gotefridus* filius eius Ottonis II. coaetanei, quos reperio testes fuisse traditionis S. Emmeramnensis post Dietrichum de Hahsenakker. Id unum scio *Vrbanum* vocari alterum ex eis, quo tempore adhuc uiuebat Abbas Bertoldus adeoque ante annum 1149. a.

Suspicor tamen hunc Cotefridum Praetorem fuisse illi similem quem anno circiter 1130. iuri in ciuitate dicundo, utque suas vices suppleret, Ratisbonae praefecit Heinricus Superbus b. quemque Fridericus Comes de Bogen aedis Ratisponensis Aduocatus, dolens honorem et emolumenta sua in urbe minui, interfecit.

Bella deinde alia ex aliis exorta sunt, quibus effici potuit ut praetor instituereetur Codefridus, Aduocatia vero Ecclesiae Ratisbonensis contingeret Heinrico nostro, ut discimus ex litteris Emmeramensibus c. in quibus haec temporis nota legitur.

Acta sunt haec anno incarnationis Dominicae 1159. *Ind. VII. regnante Friderico Imperatore, Heinrico Saxigena Duce, et Harthwico Pontifice, nec non* HEINRICO VRBIS PRAEFECTO, TVNC *Ecclesiae Aduocato.*

Reliquias huius Gentis ab Hundio aliisque recitatas non prosequar ego. Piget enim taedetque ruinis et tumulis inhaerere, satisque est mihi, huc usque seriem perpetuam deduxisse Praefectorum Ratisbonensium, quos posteros fuisse opinor Ratoldi Ducis. Illustrissimam hanc originem confirmant quodammodo possessiones Burgrauiorum amplissimae quas verbis sequentibus describit Hundius: d.

Bur-

a) ibid 143.
b) Catal. Episcop. Ratisb. Hochw. Lib. II. c. 23. et 24. Oefel. T. I.
c) cap. 147.
d) Stammb. T. I. p. 122.

Burgrauii Ratisbonenſes, qui et Landgrauii in Stephániug, in Stauffa ad Reganum, Comites de Rietenburg, Lengfeld, Calmuntz et Ror, caſtra praecipua habuerunt Stephaning alias Steuiningen et Rietenburg ſuper Almonam prope Kehlheim ſitum, aliaſque ditiones late diffuſas per Baioariam, Vogtlandiam, Franconiam, Auſtriam et iuxta ſyluam Bohemorum.



Tabula

Tabula VII.

Stemma Burgrauior. Ratisbonens.

Poapo I. Comes 765. — Alpraht Comes p. tab. I.

Poapo II. Comes a. 806-838. — Adelbertus I. Comes 809. 820 p. tab I. et XVII. — Luitpaldus I. Comes 807. 837.

Popo. III. Burgrau. Ratisb. — Alpraht Burgrau. 871. — Ratoldus Dux et Burgrau. Ratisb. 874.

Poppo Dux 880-892. — Engildeo Burgraü. 888 - — Heinricus Marchio, unde Bambergenſes — Ratoldus II.

Poppo IV. Burgrauius 903-925. — Alpraht Comes in Grapfeld 914

Lurckardus I. Marchio et Burgrau. 925 - 950.

Poppo V. Burgrau. 969-1000. — Burckardus II. Marchio a. 982. [73] — Rupertus Comes circa 990.

Ludolphus Monachus — Rupertus Burgrauius 1000 - 1030. — Tagino de Obernhus 1008.

Heinricus I. Burgrau. 1028. - 1060. — Papo VI. Burgr. † ante 1060. uxor Mathild. — Otto Epiſc. Ratisb. — Rupertus de Obernhus et Sliuisheim 1030.

Heinricus II. Burgr. 1060—1100. — N. nupta N. patri Conradi Archiepiſcopi Salisb. — N. nupta N. Comiti de Lechsgemund. — Maganus Comes de Ror. — Tagino de Sliuisheim 1060.

Heinricus III. Burgr. circa 1130. — Otto I. Senior dictus Bolitz Burgrau. † 1142. ux. Sophia de Frumdorf. — Vdalricus a 1154 Sator Comitum de Stein.

Heinricus IV. Burgrau. 1138. fundat Altmulmunſter 1155. 1159. — Otto II. Burgrau. 1155.

Reliqua dabit Hundius.

Tagini quidam [illegible] vicedominus Ratisbon. v. [illegible] p. 125 apud Canisium ed. [illegible] [illegible] [illegible]

Poppo III. Dux 880.
ribus exutus 8

Poppo IV. Burgrauius Ratisb. — 925.

Alprahti mes Gra 888—91

Burkardus I. Marchio Oriental. et Burgrau. 950.

Poppo V. Burgrau. 950-1000.

Burkardus II. March. Or. 982.

Rup Co 99

Ludolfus Monachus.

Rupertus Burgrauius 1000-1030.

Taginu de Obe hus. 10

Heinricus I. Burgr. 1060.

Poppo VI. Burgrau † 1060.

Otto Episcop. Ratisbon. a. 1060.

Ruperti de Sliui heim 104

Heinricus II. Burgrau. 1100.

N. nupta N. de Abensberg.

N. nupta N. de Lechsgemund.


M de

Heinricus III. Burgrau. 1130.

Otto I. Burgr † 1142. Vx. S phia de Fru dorf.

Heinricus IV. Burgrau. 1159.

De utroque, utriusque po



LIBER QVINTVS.

De Posteris Aribonis I. Marchionis qui frater fuit Luitpaldi II. Marchionis Augustae Boiorum gentis satoris.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS.

Probatur Luitpaldum Marchionem fratrem fuisse Aribonis Marchionis ex testimonio Annalistae Altabensis diserto, et ex eo quod Aribo Comes et fundator Seonensis cognatus fuit Henrici III. Ducis, ex auia Heinrici Iuditha quae filia erat Arnulfi Ducis et neptis Luitpaldi Marchionis. Exploditur sententia Ignatii de Wilhelm negantis Arnulfum Luitpaldi filium fuisse. Cur inquirere velimus in posteros Aribonis Marchionis?

§. I.

Postquam Ratoldi Hosii Principis posteros ita prosecutus sum, ut nonnulla detegerem quae operae pretium erat indagauisse, nonnulla etiam nanciscerer quibus ditatus, argumentum, quod mihi praecipuum est, copiosius tractare sperem, redeo tandem ad illam tribum Hosiorum optimatum, quae Comitatum

in Trungau, et in Saltzgau cum praediis in confinio Hosiorum sitis coniunctum possedit. Illorum seriem deduxi iam, si fas fuit, ab ALPRATO, Comite Frisingensi annoque 765. usque ad ARIBONEM vel haeredem Adalberti II. Filium qui Marchiam Orientalem anno 880. vel circiter obtinuit ab auo Adalberto I. olim possessam.

Aribonis suprema fata posterosque ut excuterem ordo rerum gestarum forte postularet. Sed ne diutius lectorem torqueam, incertum huc usque, qua tandem euasurus sim, et fidem meam exsoluturus; hunc librum exordiar ab argumento, quod in toto hoc operae maximi forte momenti est, probaboque *Aribonis Marchionis fratrem fuisse celeberrimum Marchionem Luitpaldum*, qui anno 895. collega ipsi datus est eodem pacto quo Willihelmus et Engilscalcus sub Ludowico Seniore et Carlomanno, Marchiam contra Morauos consiliis viribusque iunctis defenderant.

Exemplum itaque, quod felix faustumque fuit, commissi limitis duobus germanis fratribus secutum esse Arnolfum Regem, nec supra fidem est, nec mirum.

Ignatius de Wilhelm, acerrimus ille assertor Carolingicae originis Baioariae Ducum, subministrat mihi, quod illi non bene vertet, validissimum argumentum asserendi Luitpaldum Marchionem fratrem fuisse Aribonis: a).

„ *Luitpoldum*, inquit, cum *fratre Aribone Marchionem Baioa-*
„ *riae Orientalis*, *dictae Pannoniae*, fuisse testatur autor Historiae
„ Regum Francorum *Altachensis* manuscriptae et *in Bibliotheca Elec-*
„ *torali*

a) Vindic. Arbor. Geneal. Pars II. p. 47. Argum. IV.

„ *torali* exiſtentis. Scripſit ille anno *Milleſimo* octoagesimo ter-
„ tio. (adeoque 176. aut paulo minus annis poſtquam obiit Luitpaldus)

Ad annum milleſimum nonageſimum octauum ſic ait „ (le-
„ ge quaeſo octingenteſimum nonageſimum octauum. Lapſus
„ eſt Wilhelmus, non ſcriptor quem laudat, ut ex Annalibus
„ Fuldenſibus breui manifeſtum erit)

„ *Tunc Imperator* (*Arnulphus*) Fratres Marchiones Svos
„ Lvitbaldvm et Aribonem *ad defenſionem tranſmiſit.*

Hoc referendum eſſe dixi ad annum 898. quo anno iuxta Annales Fuldenſes diſſenſio orta eſt inter Marahenſes ſiue Morauos.

„ Tunc vero, pergit Annaliſta Fuldenſis, Rex, Imperator
„ iſta ſciens, Marchiones ſuos Lvitbaldvm ſcilicet et Arbonem
„ Comitem una cum caeteris fidelibus ſuis, parti quae ad ſe ſpem
„ et confugium habuit, auxilium ad eorum liberationem prote-
„ ctionemque, Baioarios ſuos Primates tranſmiſit „

Optime itaque congruit Annaliſta Altahenſis cum Fuldenſi, et ita quidem ut alter ab altero ſua deſumpſiſſe videatur, addidit Altahenſis unam vocem *fratres*, id enim ſciuit et notandum cenſuit; quod aut neſciuit, aut neglexit Fuldenſis. Contemplare modo ſitum utriusque Monaſterii, nec miraberis diſcrimen quod inter ſcriptorem utrumque deprehendis. Perſuaſum etiam habeas Altahenſem ſeculo uno cum ſesqui altero poſt fata Luitpaldi vix elapſo optime ſcire potuiſſe quis tandem fuerit ipſius frater: habuit ſane ſcriptor ille copiam Annalium domeſticorum:

audiuit cantilenas quibus heroes ambo celebrarunt Baioarii. Ad manus fuit aceruus chartarum et diplomatum Monasterii Altahensis praedia in utriusque Marchionis prouinciis augentium atque asserentium.

Wilhelmi fidem in recitando hoc annalium loco suspectam ne habeam suadet exiguum plane et ieiunum quod ex illo extorsit argumentum, cuius gratia mendacem fuisse eum vero est quam maxime absimile: quantumuis fuerit alias, quod dicere nolim.

Constare itaque potest, quod credidit probauitque Wilhelmus, Aribonem fratrem fuisse Luitpaldi Comitis et Marchionis.

Ex hoc autem intulit ille, Luitpaldum patrem Arnolfi Ducis esse non potuisse, ac ingenti verborum inanium mole se inuoluens ita fere ratiocinatur.

„ Aribo et Luitpaldus Praefecti fuerunt regii, regiique magistratus; ergo ab altero eorum oriri non potuit vir potens satis, ut et coronae regiae inhiaret et Ducatum Baioariae ambiret obtineretque: Nec Aribo, pergit ille, si Arnolfi Ducis patruus fuisset, rerum suarum adeo incuriosus esse debuit, ut tantos inter motus quos Arnulfi exciuit ambitio tranquillum semet ad stuporem usque exhiberet.

Belle quidem haec! Sed ita omnino ut Lectorem postulent aut rudem penitus huiusmodi antiquitatum, aut nimium tribuentem opinioni alienae, parum suo iudicio. Dicam, ut omne hoc molimen subuertam, dicamque audacter.

Haud alia fuit conditio Arnolfi quam Cunradi erat et Heinrici Aucupis, qui coronam ambierunt et assecuti sunt ambo. Sed alia

alia prorſus fuit conditio Luitpaldi eiusque poſterorum, alia Aribonis eiusque ſobolis quamuis fratres illi fuerint. Aribo iam dudum obierat quo tempore Arnulfus Ducatum Baioariae obtinuit et coronam ambiuit. Obſcuri utique fuerunt poſteri Aribonis, obſcuriores vero Arnolfi Ducis poſteri plerique, adeoque obſcuri ut nonnullos eorum ne nouerit quidem Ignatius de Wilhelm.

§. II.

Credo itaque et credere peramo quod ſcripſerunt viri venerandae autoritatis: *Luitpaldi Marchionis filium fuiſſe Arnolfum Ducem;* hocque praefatus aggredior confirmare id quod ſcripſit Annaliſta Altahenſis Aribonem et Luitpaldum Marchiones fratres fuiſſe.

Probatione quidem alia opus non eſt, ubi autor rem definit idoneus, ſed cum Annales Altahenſes in tenebris adhuc lateant nec de iis iudicium ferre nobis liceat ex fragmento adeo breui, quaerendum eſt ſaltem utrum nihil teſtimonio Altahenſi repugnet, quod primum eſt; deinde utrum omnia recte congruant, quod ſecundum, utrum tandem adſint teſtimonia alia quae muniant illud et corroborent; quae ſi praeſtiterimus feliciter exhauſtum erit hoc totum argumentum, ſciemuſque qui fuerint maiores paterni Luitpaldi Marchionis.

Ac primo quidem cum Ignatius de Wilhelm exploderet Luitpaldum, quia *frater fuit* Aribonis, errores duos errauit, in quorum neutrum incidiſſe vellem. Negauit [a] *Aribonem Carinthiae* Principem qui anno 1102. obiit commune quid habuiſſe cum

 Ari-

a) C. Pars. II. p. 65. et 66.

Aribone Luitpaldi fratre, affirmauit vero eumdem illum fuisse qui castrum suum Burgili in coenobium Seonense mutauit.

Primum ut negaret satis fuit Wilhelmo quod recentiores scriptores hallucinati sunt, *Aribonem Carentanum ex stirpe Andechisiana originem suam traxisse, huiusque gentis fundatorem* fuisse *Rathboldum* (melius dixisset Ratholdum) Arnulphi Caesaris filium nothum: quod utrumque iam quidem in transitu solum pronuncio falsum.

Alterum ut affirmaret noster audacia opus fuit, vel ignorantia vere egregia, cum intercesserit interuallum centum et quod excurrit annorum inter fundationem coenobii Seonensis et mortem Aribonis Carentani ao. 1102 defuncti.

Ego vero in contrarium statuo, *Aribonem fundatorem Seonensem adeo quid commune habuisse cum Aribone Luitpaldi fratre, ut ab eo originem duxerit.*

Suadet primo illud quod Adalbertum I. Marchionem probauimus Dominum Seonensem fuisse et auum Aribonis Marchionis; ex quo liquet, Aribonem Comitem, qui et ipse Seonensis Dominus fuit, originem duxisse ab Aribone et Adalberto antiquioribus Seoni Dominis.

Secundo vero constat Aribonem Fundatorem Seonensem ab Aribone Marchione originem repetiisse, ex eo ipso quod Aribo Marchio frater fuit Luitpaldi patruusque Arnulfi Ducis: quod temere negat Ignatius Wilhelm, affirmantibus illud antiquis omnibus.

Ex

Exhibet Mabillonius [a]. Diploma quo Otto III. rogatu Heinrici Ducis Baioariae Monasterium Seonense in Caesaream Protectionem suscepit; Heinricus vero ipse, inquit Otto Caesar, „*traditionem acceperat a Comite Aribone nobili genealogia procreato, idcirco* „ *maxime quod sibi coagulatione sanguinitatis proximus esset.*


Heinricus ille Dux idem est qui postea solium Imperatorium conscendit, hodieque Sanctus audit. Patrem salutabat ille Heinricum II. Ducem Baioariae, matrem Giselam quae filia erat Conradi Regis Burgundiae. Auum vero habuit Heinricum I. Baioariae Ducem auiamque Iuditham Arnolfi Ducis filiam. At vero Heinricus Sanctus sanguine coniunctus esse cum Aribone Seonensi ipsiue sanguine proximus dici nisi per auiam Iuditham plane non potuit. Iuditham filiam fuisse Arnolfi Ducis vulgo notum est: fuit itaque Arnolfus Dux consanguineus *principis illius viri* quo satus est Aribo Seonensis.

Sequitur inde 1º Arnulfum Ducem Luitpaldi filium omnino fuisse 2º recte apud Altahensem Luitpaldum et Aribonem fratres dictos fuisse. Viden quomodo auctor quem Ignatius noster fauere sibi somniauerat opinionem eius penitus subvertat? Viden quam egregie nostra cohaereat cum diplomate Ottoniano? Iam vero ostendendum est nobis 1º Posteros Aribonis illic praedia auita habuisse, ubi sua habuerunt et posteri Luitpaldi Marchionis. 2º utrosque in iisdem tractibus ad Oenum et ad Saltzam fluuios et praedia et Comitatus nactos fuisse. Vtrumque si probauerimus constabit Luitpaldum et Aribonem Hosios Principes fuisse, assereturque origo Boica illustrissimae gentis.

Vt

a) Analect. Tom. II. p. 343.

Vt autem ordine, quo coepimus, pergamus exordium, cum venia Lectorum, faciemus a posteris Aribonis, ea praesertim de caussa ex qua expedit ut ad praecipuum argumentum non nisi liberi et ex omni parte securi redeamus, ab eo deinceps aut nunquam aut parum discessuri.



CAPVT





CAPVT SECVNDVM

SYNOPSIS.

Aribonis Marchionis ultima fata. Successorem habuit Isangrimum filium. Testimonia de eo. Obierat Aribo circa annum 900. post annum 907 nusquam comparet Isangrimus; improlis obiisse videtur. Successerunt ipsi in Marchia Rutgeri duo de Pechlarn. Nonnulla de Marchia Orientali.

§. I.

De posteris Aribonis dicturis incumbit eius ultima fata et tempus, quo contigerunt, sollicite indagare, tum quia ad historiam gentis Baioariae illustrandam utraque apprime conducunt, tum vero ne Ignatio Wilhelmo similes, Arnulfo Duci obtrudamus patruum aut inuidum, aut plus aequo negligentem atque supinum.

Nescimus cum ignarissimis an Ariboni Marchiam adepto anno 880. in eaque a. 884. confirmato, perpetua fuerit illius possessio, postquam Arnulfus Carlomanni Regis Nothus, (qui aemulos ipsius fouerat, cum Dux Karentanorum esset,) Regium Germaniae solium conscendit. Id tamen contigisse ita autumo. 1° quod pristinorum Marchionum filii natu maiores iam a. 889. misere perierant, qui vero supererant, tuendo limiti impares prae aetate esse debebant. 2° quod unus ex illis Wilhelmi ac Engilscalci filiis Marchiam adeptus quidem est, eamdem quam postea ob-

obtinuit Luitpaldus, ſed ita ut reliqua pars limitis penes Aribonem aut eſſet aut maneret 3io quod denique Marchia in tres ſaltem partes diuiſa tunc erat quarum uni praefuit Rudpertus terminalis Comes ſupra ex diplomate Paſſauienſi ai. 892. a nobis citatus. Ea vero diuiſio referenda mihi ad illum temporis articulum videtur quo lites de limitis cuſtodia exortae componendae fuerunt, cauendumque erat ne magno cum reipublicae damno nouae exorirentur.

Id unum conſtat anno 898. Aribonem noſtrum Marchionem fuiſſe, et cum Luitbaldo fratre itemque Marchione in mandatis habuiſſe, procurare, ne quid detrimenti ex orta inter Moymarum et Zwentobolchum fratres, Morauorum Principes, diſſenſione, Germania caperet. a.

His addit Annaliſta Fuldenſis: „ Iſtius ergo diſſenſionis et „ diſruptae pacis inter ſupra nominatos Fratres Arbo Comes, „ et Iharico Filio ſuo *inſtigante*, inſtructor delatorque, atque „ proditor eſſe conuincitur, et ob hanc cauſſam *Praefectura ſua* „ ad tempus caruit, quam non multo poſt accepit. „ Hyeme quae ſecuta eſt nouam Baioarii in Morauorum fines impreſſionem fecerunt, hoſteſque profligauerunt.

„ It-

a) Parata haec iam erant ut praelum ſubirent cum Salisburgo ad me transmiſſae ſunt litterae Arnolfi Regis A. 1o adeoque a. ae. n. 888. exaratae, e quibus plane conſtat, quod conieceramus; ſcilicet *Aribonem* in *Comitatu ſuo terminali* ab Arnulpho utique confirmatum fuiſſe. Diploma multis titulis commendandum integrum Codici noſtro Diplomatico inſeremus heic, notaſſe contenti *pagum Grumviti* in *Orientalibus partibus ſitum* dici ubi Arbo Terminalis Comes *praeeſſe viſus eſt.*

„ Iterumque anno 899. quo Zwentobolchum puerum, fili-
„ um antiqui Ducis Zwentobolchi et eius populum, ſiue obſeſ-
„ ſos in ciuitate, ſiue captiuos in libertatem vendicarunt, ſecum-
„ que *pro miſericordia* abduxerunt.

Belli incentor fuiſſe videtur IHARICVS ſiue ISAVRICVS *Aribonis* filius, qui ipſe obſes olim inter Morauos deguit aliquantiſper eorumque amicitiam coluit, factiones excitaturus quarum ope recuperaret quicquid a patris prouincia fuerat auulſum.

Poenituit armorum Aribonem patrem iam grandaeuum, reſipuit nunquam *Iſauricus*, teſte iterum Annaliſta Fuldenſi.

„ Interim autem, inquit ille, ISAVRICVS tyrannidem ſuam
„ ſine ceſſatione contra Regem exercens, quod vehementer Rex
„ accipiens, decreuit nauigio, quia iam tunc infirmus corpore fa-
„ tigaretur, ciuitatem Mutarenſem, in qua ipſe *Iſauricus* erat,
„ aggredi, quod et factum eſt. Illo vero reſiſtente, Rege quo-
„ que et ſuis fortiter viriliterque ſuperantibus, atque ciuitatem
„ oppugnantibus, demum ipſe ISAVRICVS, vi compulſus, cum
„ uxore, et his quae ad ſe pertinebant exiuit, et Imperatori ſeſe
„ praeſentauit „

„ Tunc Rex cuſtodibus illum cuſtodiendum commendauit
„ quatenus *Radasbonam* perduceretur. At ille timens ne punire-
„ tur fugam iniit, et *Marchenſes* uſque fugit, quorum itaque
„ adiutorio *ſuffultus*, *ut prius*, PARTEM REGNI SVRRIPVIT, *ean-*
„ *demque totam ſecum retinendo obtinuit* „

§. II.

Altum, ut vides, silentium de Aribone ex quo Isauricus siue Isangrimus filius eius aperte rebellauit. Non negabo tamen hunc, superstite adhuc patre, Mutarensem urbem occupasse. Id solum dari mihi postulo, Aribonem obiisse antequam *Partem Regni subriperet* et retineret Isauricus, qui impium alioquin bellum gessisset Annalistae neutiquam tacendum.

Grandaeuus sane iam tunc erat Aribo, quippe cui filius esset adultus, fortis potensque. Comitatum Trungouiae susceperat iam a° 876. Marchiam anno 880. Maturata tamen fato fuit mors viri celeberrimi, ut proditum est cantilenis, quas recitare adhuc seculo XII° solenne habuerunt nepotes.

Testem rei producimus Annalistam Saxonem [a] sistentem nobis *Famosum Erbonem* quem in venatu a Visonta bestia confossum vulgares cantilenae resonabant. Hunc vero diuersum non fuisse ab Aribone Marchione suadet imprimis quod ipse tot tantisque laboribus, proeliis, bellisque externis pariter ac ciuilibus conflictatus, solus tantae famae par esse potuerit.

Aribonem ante annum 901. in venatione occubuisse monet me, praeter inuasam circa a. 900. a filio partem Regni, diploma [b] Ludouici Regis ex quo constat anno 901. Ludowicum Infantem Monachis Emmeramensibus largum semet exhibuisse per interuentum *fidelium Comitum Suorum* PABONIS *videlicet* et ISANGRIMI.

Ex-

a) ad a. 1104.

b) Pez. Thesaur. Anecdot. Tom. I. P. III. col. 38.

Extat porro aliud diploma [a] Ludowici Regis a° 904. exaratum, iamque superius a nobis laudatum, ex quo sequentia transscribere libet.

„Tuto reuerendus S. Ratisponensis Ecclesiae Praesul *per interuentum* PAPONIS et Meginwardi Comitum fideliumque Ministerialium nostrorum nostram precatus est clementiam ut quandam villulam rebus ecclesiae suae contiguam et opportunam, IN AVSTRALI SCILICET OENI FLVMINIS LITTORE, prope ostium aquae quae dicitur *Marchluppa* constitutam ad portum Maltuhhinga nuncupatum, HOC EST IN MATAHGOWE COMITIS ISANGRIMI quae iam ad curtem *Muninga* dictam beneficium videlicet *Gundboldi* Comitis hactenus pertinuit ad S. Emm. donaremus . . . Statimque nos . . . consentiente Gundboldo eiusdem beneficii possessore, pariterque *cum Iringo Comite* atque Engilberto consilium dante . . . dictam villulam delegauimus . . . data III. nonas Martii anno incarnat. Domini 904. indict 7ª anno vero Regni Pii Regis Ludewici V. actum ciuitate Regina „

Docet nos diploma eximium *pagum Matahgowe* siue ad *Matabam* fluuium (ubi nunc iacet Matichouen) pertinuisse ad Comitatum ISANGRIMI, huiusque nomen in *Ibaricum* ab Annalista Fuldensi mutatum, in *Iringum* quoque corruptum siue imminutum fuisse. Vix enim dubium est, quin *Iringus*, *cuius consultu data fuit villa* Muninga, idem sit cum ISANGRIMO IN CVIVS COMITATV villam hanc iacere pronunciauit Ludouicus.

 Quod

a) ibid. col. 41.

Quod cum ita ſit, Iſangrimum frequentius deprehendimus in monumentis huius aeui, quem iam nouimus quoque praefuiſſe Comitatui, quo gauiſi non ſunt ipſius maiores.

Sic praeſto tibi erit ſub *Iringi* nomine, quem ſub natiuo fruſtra ibidem quaeſiueris, Iſangrimus in diplomate [a] Ludouici Regis, quo tradidit S. Emmeramno quicquid mater ipſius Outa Regina poſſederat in Velda; tradidit vero *per conſilium*, inquit, *et conſenſum Venerab. Ep* orum . . . . *nec non et fidelium Comi-* „ *tum noſtrorum* Lvitpoldi, Cvnpoldi, Iringi *et caeterorum om-* „ *nium* (Cunpoldus hic idem eſt qui Gundboldus ſupra notatus) „ Actum in Otinga 2. id. Aug. anno 903. Hludowici IV. Ind. VI.

Eodem anno 2. Kal. Decembris, adeoque Indictione VII, anno 18. Regni [b] Ludowicus dedit Waldoni Epiſcopo Friſingenſi „ *curtem Veringa* quam mater eius Regina Ota poſſederat; ut „ annueret interceſſioni fidelium ſuorum Lvitboldi Illvstris „ Comitis, *Sigibardi etiam Cundpoldi, Iſangrimi et Meginhardi Co-* „ *mitum.* Qui ordo nuncupandi confirmat eum, qui Iringus in aliis diplomatibus nuncupatur, eumdem eſſe qui hic Isangrimvs dicitur. Mirum tamen videri poteſt *Cundpoldum* ſemper hic, et Sigihardum Comites (nam de *Luitpoldo* nunc taceo) ante *Iſangrimum*, qui Marchio erat, nominatos fuiſſe. At de Sigihardo, qui Comes Eberſpergenſis erat obiitque anno 906. ſcimus ex hiſtoria Eberſpergenſi ab Oefelio edita [a] illum iam „ *ſub Arnolfo*

„ *Re-*

a) Codex Ratisb. Tom I. Pez. Anecd. Col. 40.

b) Meichelbeck Hiſt. Friſing. Tom I. P. I. p. 151.

a) Tom II. p. 5.

„ *Rege rem ſuam* (Arnolfi puta) *ſibi a Rege commiſſam ſtrenue gu-* „ *bernaſſe; cumque* filio Ratoldo *pleraque ſua reſignauiſſet, huic Carentinos et terminos ab hoſtium inſultu defenſendos recommiſſos* a Rege fuiſſe. Commiſſi ergo fuerant illi ante Ratoldum *Sigebardo*, quem utpote Marchionem aetate priorem ante *Iſangrimum* nuncupari decuit omnino.

De Cundpoldo neſcimus an Marchio fuerit: Miniſtrum Regalem fuiſſe conſtat ex ipſo diplomate quo Ludowicus *Tutoni dedit* „ *partem eius beneficii ad* CVIVSCVMQVE REGALIS MINISTRI „ *quicquam inde miniſterium pertineret.*

§. III.

Anno 906. 9. Kal. Maii. Ind. 9. anno regni 7º. Ludouicus cum eſſet in Holtzkiricha (loco Wolfrathuſanae Praefecturae) conceſſit Eccleſiae Friſingenſi b. *ius eligendi Epiſcopi per interuen-* „ *tum* . . . (Epiſcoporum) *Comitum vero Ottonis Purckardi,* „ *Adalberti*, LVIPOLDI, *Purckardi*, SIGIHARDI, CVNPOLDI, IRIN- „ GI.

Nota iterum ordinem nuncupandi, et ne dubita quin *Iringus* idem ſit qui *Iſangrimus.*

Anno proxime ſecuto nempe 907. 14. Kal. Aprilis cum Ludouico tunc curiam habente *in loco fuit dicto furt* „ „ ipſoque autore „ concambium fieret inter Abbatem Fuldenſem et Reginharium „ Religioſum Comitem Abbatemque Coenobii Eſtirnacha „ a. paulis

b) Hiſt. Friſing. Tom I. P. 1. p. 152.

a) Schannat. Tradit. Fuldens. n. 547. p. 213.

lisper mutatus eſt ordo; res enim acta dicitur „ per Sucgeſtio-
„ nem . . . . Epiſcoporum, Comitum vero *Kebeharti*, Lvit-
„ poldi, *Burcharti*, *Eginonis*, *Luitfridi*, Iringi, et Cvnfoldi.

Non contigit mihi videre integra diplomata, queis fretus Hundius [b] perhibet Arnulphum Imperatorem anno 897. benignum ſe erga Paſſauienſes exhibuiſſe ad preces Isingrimi Illvstris Comitis Ministerialis *Imperatoris*, *quem alibi*, inquit ille, *Dapiferum ſuum vocat Arnulphus Imperator.* Non contigit, inquam, mihi diplomata illa videre. Credo equidem *Iſangrimum* patris collegam fuiſſe adeoque Illuſtrem Comitem dici potuiſſe inde ab anno 897.

Non ita ſe res habet cum alio Paſſauienſi diplomate, quod Hundius tribuit Ludouico Regi datumque aſſerit „ *ob preces* Lvitpolt et „ Isingrinii Illvstrivm Comitvm anno 907. Habeo ſaltem lacinias diplomatis illius in excerptis Paſſauienſibus ab Oefelio editis.

Ex diplomatibus Altahenſibus [c] unum eſt quod huc pertineat anno 905. datum a Ludouico Rege *admonito per* . . Epiſcopos . . . Lvitboldvm *quoque*, Sighartvm, atqve Iringvm Comites.

Quin et habemus forte nomen *Iſangrimi* noſtri in monumentis Friſingenſibus, [a] ubi ſub Waldone Epiſcopo, adeoque ante annum 906. de mutatione rerum in *Phetarab* ſitarum teſtes recenſentur *Meginhardus* Comes, Irinc, Kejo etc.

Sed

b) Tom. I. p. 198. Metrop. a) n. 919.
c) Hund. Metrop. Salisb. T. II. p. 14.

Sed nec mirum foret rebus apud Frisingam actis nunquam interfuisse Isangrimum.

Caeterum quocumque me conuerti nuspiam reperire potui mentionem principis huius viri ullam quae recentior sit anno 907. ita quidem ut fere credam hoc anno obiisse aut forte cum Luitpaldo patruo suo occubuisse Isangrimum Marchionem.


§. IV.

Vxoratum fuisse anno iam 899 Isangrimum constat ex Annalista Fuldensi improlemque, legitima ex silentio eiusdem est coniectura. Anno itaque 907. quo eum obiisse autumo, successorem habere non potuit ex se genitum. Quis vero ille fuerit ardua est quaestio.

Quamuis enim sciamus ex Aloldo anno 916. obiisse *Rutgerum de Pechlarn Comitem qui Osterrichiam, terrae huius strenuus custos, gubernauit*, cum regnaret in Germania Cunradus, ipsique mortuo suffectum fuisse Heinricum, ancipites tamen non possumus non haerere cuinam Rutgerus limiti praefuerit, nam plures Marchiae numerabantur. Alius enim *Ruodperti* limes fuit, alius *Luitpaldi*, *Isangrimi* alius. Verum enim vero si recte hallucinati sumus Ruperti limitem sub Burckardis transiuisse ad Comites Ratisbonenses, cum verosimile non sit Arnolfum Luitpaldi filium, regnante Conrado patris prouinciam dedignatum esse, antequam certa ipsi firmaque cesserat Ducatus Baioarici administratio, opinari utique possumus *Rutgerum de Pechlarn* Isangrimo nostro successisse, idque tanto magis, quod Isangrimi limes, (aut pars illius maxima) idem omnino fuisse videtur quem tutatus est post illum auxitque Luipoldus Adalberti I. Bambergensis nepos.

Comiti enim Rutgero de Pechlarn *Rutgerus filius suus successit. Anno. 938. Hunni in Germaniam irrumpere tentaruut; sed Rutgerus Iunior de Pecklarn Orientalis Comes diligenter vigilauit.* Anno denique 943. *Rutgerus praedictus obiit, et vacauit Marchia nostra. Tunc Otto Magnus eam Luipoldo Babenbergico contulit.*

Marchia itaque Luipoldi Bambergensis eadem fuit quae fuerat Rutgeri utriusque, eademque, ut puto, quae Isangrimi, quem existimo improlem obiisse. Rutgerus enim I. filius eius esse nequiuit. Quis autem Rutgero fuerit pater nescire liceat, quamdiu nullum extabit monumentum, quod nomen eius exhibeat.



CAPVT

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS.

De Arbone Comite qui praedia et beneficia haud longe Paſſauia ad Oenum, in Trungowe, in pago Hoſiorum et in Alpibus habuit; Credimus filium fuiſſe Aribonis Marchionis. De Sigibardo tertio, ut putamus, Aribonis filio Salisburgenſi Comite. Inquiritur in familiam Comitum Salisburgenſium et Saltzgouienſium ex monumentis anecdotis.

§. I.

Poſtquam vetuimus lectores noſtros ſollicitos eſſe de poſteris Iſangrimi, qui certiſſima proles fuit Aribonis Marchionis, *ſiue famoſi illius Erbonis*; quaerendi ſunt filii alii qui ſobolem propagarint tanto ſatore dignam.

De uno ex iis, ſi plures fuerunt, ne dubitare quidem licet ſimul ac verum eſt Aribonem Marchionem anno 900. vel circiter obiiſſe, anno ſaltem 901. inter viuos verſatum non fuiſſe.

Illum vero Aribonem, patrem nomine referentem, ſiſtit Ludwicus Rex in diplomate (a) quod datum Ottingae in Curia Regia 2. Id. Aug. anno 903.

„ QVIDAM COMES, NOMINE ARBO et Engelman Purchardi „ Epiſcopi Vaſſallus, licentia eiusdem Epiſcopi Celſitudinem no- „ ſtrae dominationis humili admonitione flagitanter adierunt ut „ quibusdam Canonicis Patauienſium. . quaedam loca, quae an-

 tea

a) Hund. Metrop. Saliſb. Tom. I. p. 234. et ſeq.

„ tea una cum decimatione ab illius ſedis Rectoribus, ſcilicet
„ Epiſcopis in beneficium habere noscantur, in proprietatem con-
„ cederemus. Nos vero . . licentia Purchardi eiusdem Eccleſiae
„ ſedis Epiſcopi conceſſimus ſupradictis Canonicis Patauiae loca
„ una cum decimationibus cunctis ad illa loca iuſte pertinentibus;
„ quae antea in beneficia habuerunt, hoc eſt in primis *Prama*, de-
„ inde *Gurcana* — — *Lupibchinesbach*, *Pollinga*, *Hobinhart*, *Alt-*
„ *haim*, *Oſtarunaba*, *Imatachgovve* praeterea etiam *Corphaim*, *Hobin-*
„ *ſtall* et *Schaerdinga*.

Prama et *Gurcana* (hodie Gurk) loca ſunt in orientali Ba-
ioaria ſita.

Pollinga, *Hobinhart* et *Altheim* ad meridionalem occidentalem-
que Baioariam pertinebant.

Hobinhart enim idem eſt locus, qui poſtea Hohenwart, ab
eruditis vero Summuntorium nuncupatus fuit.

Vicus *Altheim* in charta Friſingenſi iam dicitur ad meridiem
ſitus.

Pollinga hodieque notiſſima eſt.

Si legeris, et neceſſe eſt ut ita legas, *Oſtarunaba* ET MATACH-
GOWE, VEL OSTARVNAHA IN MATACHGOWE habebis ſitum benefi-
cii quod Arbo accepit in Comitatu Iſangrimi fratris ſui.

Schaerdinga beneficium idem ex ſitu ſuo indicat.

Reliqua in pago *Hoſiorum* ſita Arboni ea praeſertim de cauſa
collata fuiſſe cenſeo, quod in vicinia auita praedia haberet, qui-
bus augendis ſtudere debuit omnino.

Scio

Scio equidem hanc *conuenientiam*, ut dicebant, seu opportunitatem situs argumentum inuictum non esse. At veritati saltem simillimum est quicquid ex ea elicitur, praesertim cum de praediis minoribus, modicisue agitur reditibus quorum pretium in situ maxime collocatum erat. Hoc autem praedicare possumus de decimis quas Arbo in beneficium receperat.

§. II.

De praediis Arbonis auitis paulo post, de paternis nunc dicere vacat.

Sita erant illa aut esse debebant in — — *Saltzgowe*, in *Trungowe* et circa Oenum ubi Burchusa condita est.

Arbonem vero illic hospitem non fuisse probat *diploma Hludovvici Germaniae Regis* (verba sunt ipsissima, quibus huius diplomatis substantiam mecum benigne communicauit princeps senatus sacri Salisburgensium) „ *Diploma*, inquam, quo cuidam Comiti „ Arbo ad dies vitae, deinde vero in perpetuum Ecclesiae Salis„ burgensi donatur Abbatia Trunseo cum omnibus ad illam spe„ ctantibus. Data XI. Kal. Martii anno Incarn. Domini DCCCCVIII „ Indictione XII. regnante Domno Hludowico anno X. Actum „ Holzchiricha in Domino feliciter.

Abbatia Trunseo haud dubie sita fuit ad lacum huius nominis, hodieque dicitur ni fallor *Fraunkirchen*.

Quod cum ita sit, nos vero Ludouicum Regem *Holzkirichae* (in praefectura Wolfratshusana) iam vice plus una offenderimus, nascitur inde coniectura duplex, neutraque contemnenda; scilicet Ludowicum libenter deguisse in Holzkiricha: in ista ergo vi-

cinia amicos habere debuit, et praesertim Aribonis Marchionis filios; ut vero hospiti gratiam referret, sicut mos erat, largitus est Arboni Abbatiam quae ipsi opportuna erat, utpote sita aut in eius Comitatu, aut saltem ubi alia praedia iam habebat. Etenim non videtur tanti fuisse momenti Abbatia Trunseo, ut eius ad vitam potiundae auidus esse debuerit Aribo, nisi Comitatui aut praediis illius contigua fuisset.

Nemo erit opinor qui hunc Arbonem Comitem eumdem credat esse cum Arbone Marchione, nisi velit viro qui Comes iam audiebat anno 876. integrum fere saeculum largiri, ignobilemque senectam obtrudere heroi.

Constat itaque extitisse *Arbonem Comitem* Marchioni eiusdem nominis superstitem et, ineunte seculo decimo, gratia apud Ludouicum Regem praeualentem. Ad eundem vero summo cum iure referimus chartam Frisingensem[a] ante annum 906. postque, ut videtur, 902. scriptam in cuius rubrica ARIPO NOBILIS VIR dicitur quamuis ex charta ipsa certum sit *Comitem* eum fuisse. Eo autem libentius filium Aribonis Marchionis dicimus illius chartae autorem, quod Comes quidam in ea vocatur ille sed sine honoris titulo quali donatus haud dubie fuisset Aribo Marchio. Docuimus autem hunc *Ariponem Comitem* praedium recepisse in Holzhuson (apud Hosios ubi reperimus veterem Luitpaldum Comitem) Dedisse vero aliud ad *Pleeningon*, et ad *Piuwingon*, et ad *Adalhareshuson*; ex quo confecimus *Arbonem* hunc Adalhareshusanum cohaeredem fuisse; nunc vero arguimus, et Aribonem Marchionem Arbonis patrem et Luitpaldum illius patruum inter Adalhareshusanos censeri debere; filium vero Aribonis Marchionis ipsi cogno-

a) n. 925.

cognominem ſortitum eſſe praedia, quae Adalbertus II. et Aribo ipſe apud Hoſios poſſederunt.

Et reuera, ut par erat, a rebus Friſingenſibus non abſtinuit Arbo Comes [b]. Cum enim Couno vel Chuono Chorepiſcopus cum Aduocato ſuo Comite Sigihardo reſignaret Abbatiolam Moſapurg Epiſcopo Friſingenſi, et *teſtium conductione*, ſicut moſerat „ pactum utrinque confirmaretur, haec vero complacitatio fieret „ in *Eccleſia Friſingenſi in publica ſynodo coram clero et aſſtanti populo*, „ *anno Domini* 908. *Idibus Septembris*, *anno Epiſcopi* (*Dracbolfi*) „ *ſecundo incipiente*, *Chorepiſcopi vero* 6º *et incipiente* 7º Iſti fuerunt „ teſtes eiusdem complacitationis, ſicut mos eſt Baioariorum per „ aurem tracti ARBO COMES, SIGIHARD *Comes*, Wetti Comes, „ Wolfdregil Comes, et ceteri vaſſalli etc.

Notatu dignum eſt *Arbonem* hic primum nuncupari quamuis *Sigibardus* fuerit Aduocatus adeoque proximus conſanguineus Chuononis Chor-Epiſcopi. Forte Aribo noſter gerebat Comitatum ciuitatis Friſingenſis ubi ſynodus illa celebrata eſt: aut teſtis erat primus ab Epiſcopo productus, aut ipſi ſanguine quam maxime iunctus, cuius vero Aduocatum agere noſtro per leges non licuit: ni malis haec omnia ſimul admittere, quod mihi vehementer arridet.

Vltima tunc Adalberto III. Babebergenſi ac Friſingenſi Comiti infortunia imminebant, qui hoc ipſo anno aut paulo poſt ſpiritum exhalauit ingentem. Tunc vero, uti videtur, auitus eius Comitatus [a]. Arboni datus eſt et vicino et potenti, et iure quocumque haud carenti.

San-

b) ibid. n. 983.

a) Supra lib. 2. Cap. 3.

Sanguine proximus Chuononi fuit et *Sigibardus*, fratrem Aribonis lubens dixero, ita tamen ut aetatis praerogatiua penes hunc esset. De hac vero coniectura penitius agendi alibi dabitur locus.

Video post annum 926. ante annum vero 938. ARIPONEM et WOLFTREGILVM primos testes fuisse, cum Wolfoltus daret et reciperet bona ad Piburc. Asserere vix audeo Ariponem illum eumdem esse de quo huc usque diximus. Praesto sane est alius qui circa idem tempus florere coepit Aripo.

§. II.

De *Sigibardo Comite* dubitarem utrum fuerit ex Aribonis I. familia, an Eberspergensis ille Sigihardus iam supra nominatus: nisi scriptor historiae Eberspergensis, cui contradicere sine autore religioni est, assereret, Eberspergensem huius nominis Comitem obiisse anno 906. quod eo magis credo, quo minore loco apud Regem Ludowicum habitus fuisse videtur Sigihardus, de quo nunc sermo nobis est, quemque anno 908. post Aribonem nuncupatum videmus.

Venerando ac omni nobis cultu suspiciendo Salisburgensis Ecclesiae Decano debemus diploma Ludowici Infantis ante aliquot annos ad me transmissum, quod huc omnino pertinet.

Ludowicus enim a°. 908. „ *per interuentum et Supplicationem* „ *Episcoporum et Comitum Hattonis . . . et Cuonradi Comitis nostri* „ „ inquit *atque propinqui Dracbolfi Episcopi atque Megimberti in prae-* „ *sentia caeterorum Principum et cum consultu eorum* dedit Ecclesiae Salisburgensi *in pago Salzburgboue dicto* in COMITATV SIGIHARDI cur-

curtem suam Salzburghou vocatam quam ipse Archiepiscopus tunc in Ministerium habere visus est, cum omnibus censibus in Halla et extra Hallam, in Salina et extra Salinam circa fluuios Sala et Salzaba vocatos, in auro et sale. Data XVI. Calend. Ianuarii anno Incarnat. Domini DCCCCVIII. Indict. XI. anno Regni Domini Ludowici VIII. actum ad Waipillinga in Dei nomen feliciter Amen.

Recte pronunciare mihi videor hunc Sigihardum Salisburgensem eundem esse, qui anno eodem 908. Aduocatus fuit Chuononis Chorepiscopi Frisingensis, eo vero magis diuersum longe ab Eberspergensi, utpote iam a⁰. 906. defuncto.

Credo ipsum referendum esse ad Aribonis Marchionis familiam, quod in utraque Baioaria negotia procuranda habuerit. Praesto nobis iam fuit cum Aribone II. Comite in placito Frisingensi coniunctus: redit iam nunc, solus quidem, sed in ea Baioariae parte pagum regere dicitur, ubi, ad Salzaham puta, Aribonis Marchionis posteri Comitatum suum certo certius habuerunt.

Aut egregie fallor aut filios illius lego in litteris anecdotis, quarum particulas huc pertinentes debeo viro quem pridem honoris caussa nominaui, de me studiisque meis optime merito.

A⁰. 928. *Sigihart* Comes cum aliis Baioariae primatibus testis interest comcambio in *Karantan* facto; Weriante viro nobili tradente Praesuli Salisburgensi praedium in *Hus*, recipiente ab eo curtem *Friesach* dictam cum ecclesia et decimis. Testes per au-

rem tracti recitantur 1. Albrih Comes. 2. *Engilperi* Comes . . . . 14[us] Iring 15[us] *Sigibart* 16. Diotmar 17. *Arbeo* 18. Arbeo.

Pactum illud paulo post renouatum est cum testes essent *Pertholdus* Dux, Sigihart Comes, Diotmar etc.

Anno 931. nobilis presbyter Engilperht manu aduocati sui Diotmari dedit bona sua in *Salzpurchgowe*, ipsiusque complacitationis testes fuerunt Sigihart et fratres eius *Nordperht* ac *Engilperht*, Diotmar etc. Actum ad Salzpurch.

A° denique 963. quaedam nobilis Domina Willa cum manu „ aduocati et *senioris* (mariti) sui Sigihardi Comitis in manus Fri- „ derici Archiepiscopi et aduocati sui dedit proprietatem ingen- „ tem possidendam ab ecclesia post *finem vitae suae filiorumque suo-* „ *rum Engelperti* atque *Nordperti*: e contra vero *Fridericus* dedit „ *Willae* in manus Aduocati sui et *senioris* Sigiharti, quicquid idem „ Sigihard a S. Petro Sanctoque Ruperto tunc in beneficium habu- „ it, in his tribus locis ad Muntegilin, Fiscaha, et Percheimum: „ haec omnia usque ad finem vitae suae filiisque eius *Engilperto* „ atque *Nordperto* quam diu vixerint.

Primus testis *Hartwicus* Comes etc.

Denique penes me est aliud diploma Salisburgense Ottonis I. de anno 959. infra Lib VI. cap. 4. exhibendum: ex quo constat *Fridaricum* Archi Episcopum Salisburgensem fratrem fuisse Sigehardi qui Willae maritus erat, *Hartwicum* vero quem modo nomina-

minaui, Comitem in *Salzpurgowe* ita ut iam mirum non ſit primum teſtem hunc nuncupari in donatione a. 963. modo recitata.

§. III.

De Hartwico hoc nonnulla praefari lubet antequam reliqua, quae diplomata noſtra Salisburgenſia nos docent, diſcutiamus.

Comitem in Salzburgoue dixit Hartwicum Otto Caeſar, quod et aliunde conſtat: at Comitatum illum a°. 908. geſſit Sigihardus I. quem Aribonis I. Marchionis filium, Aribonis II. Comitis fratrem ſupra appellauimus. Huius itaque ſucceſſor fuit *Hartwicus Comes*, ita tamen ut inter utrumque ad minimum duo alii interceſſerint Comites.

Sigehardum I. circa annum 920. excepiſſe credo filium Engelbertum I. qui anno 928. traditionis Frieſacenſis teſtis fuit. *Engelberto* ſucceſſit teſte diplomate anecdoto Ottonis I. de a°. 940. *Reginbertus* Comes in cuius Comitatu in pago *Salzburgbowe* ſita dicitur curtis Salzburghove (nota lector eandem a°. 908. ad Comitatum Sigehardi I. relatam eſſe.) Hunc denique Reginbertum noſter excipit *Hartwicus* Reginberti, uti hallucinamur, filius, de quo inferius plura adducentur.

Iam vero accipe lector, quaenam nobis haereat mens circa genus atque proſapiam horum omnium, quos huc uſque perluſtrauimus, Baioariae procerum.

Sigehardo I. Salzburgensi Comiti, Aribonis II. fratri, primi filio circa annum 920. defuncto filios tribuo Sigehardum quendam II. nobis coniectura tantum notum et *Engelbertum I.* Comitem Salzburgensem A° 928. Huic filius fuit *Reginbertus* Salisburgensis Comes a. 940. Hartwici Comitis pater. Sigehardo II. filios tribuo Sigehardum III. fratresque eius Nortpertum I. ac Engelbertum II. ex charta a. 931. notos itemque Fridericum Salisburgensem Archi Praesulem: Sigehardo III. ex Willa nati sunt Engelbertus III. et Norbertus III. De Hartwico suo loco dicetur; monuisse hic sufficiat eundem iure duplici usum esse praerogatiua testandi in pacto inter Fridericum AEpiscopum et Sigehardum III. inito, scilicet quod et Comes Salisburgensis fuit, et paciscentibus sanguine iunctus. Sigehardi III. fratrem eum dicere ideo nefas foret, quia 1) insolitum satis esset patrem unum 5. filios superstites habuisse: 2) cum a° 931. recenserentur fratres Sigehardi III. de ipso ne verbulum quidem exstat: nec quod magis est in diplomate Ottoniano a. 963. ubi Fridericus Archi Praesul verbis disertis frater nominatur Sigehardi III. Hartwicus vero licet ibidem praesto sit, hoc elogio neutiquam ornatur.

Caeterum Sigehardum nostrum III. egregie nouit Hundius, (a) qui Fridericum Archi Praesulem recte, ut mihi videtur, ortum fuisse ait ex familia — Comitum in *Chiemgowe.*

Interim rogo te, lector, meminisse velis diplomatis Ottoniani anecdoti toties citati, quippe quod vice plus una nobis adhuc erit adeundum. Memineris quoque Engelbertum III. Comitem fuisse in *Chiemgowe*, qui pagus Wasserburgam complectebatur, aut ipsi


(a) Metrop. Tom. 1. pag. 5.

ipsi quam maxime vicinus fuit. Si haec recte tenueris erit aliquando cur *Engelbertos de Crayburg*, qui duces Carinthiae euasserunt, et castrum suum gentilitium in medio Chiemigoue habuerunt, ab Engelberto hoc IIIio derives.

Lubet paucula adiicere quae originem Sigehardorum ac Engelbertorum nostrorum aliquantum illustrabunt.

In diplomate nostro Ottoniano Fridericus fratri Sigehardo III. largitur praedium in Holzhuss in *Salzburgbowe* et in Comitatu Hartwici, ubi haud dubie alia iam habebat ille latifundia. At Adelbertus II. et filius eius haeres vel Arbo, praedium habuerunt in Rorach in eodem tractu in quo sita sunt *Holzhus* et *Terringen.*

Reliqua quae nobis de hac familia dicenda restant, tantisper reservabimus donec alia ad eandem redeundi nobis via patuerit.



Tabula IX.

Tabula IX.

Adelbertus I. Comes in Trungau a. 802. Marchio circa 810. † ante 822.

Adelbertus II. Comes in Trungau — 855.

Aribo I. Comes in Trungau, Marchio Orientalis 880. † circa 900. | Luitpaldus II. Marchio † 907.

Isangrimus Marchio † circa 907. | Aribo II. Comes Frisingensis 908. † circa 920. | Iacobus p.C.seq. | Sigehardus I. Comes Salisburg. a. 908. † circa a. 920.

Sigehardus II. Comes † ante 930. | Engilbertus I. Comes Salisburgensis a. 928. † ante 940.

Sigehardus III. a. 931. — 963. Ux. Willa. | Engelbertus II. a. 931. | Norpertus 931. | Fridericus A Episcopus Salisburg. a. 956. † 990. | Reginbertus Comes Salisburgensis a. 940.

Engelbertus III. 963. | Norpertus II. 963. | Hartwicus Comes Salisburg. a. 959. 963. p. tab. XII.

Comites de Crayburg qui et Duces Carinthiae.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS

Quartus Aribonis Marchionis filius adducitur Iacobus qui ab anno 893. *compos sui fuit et Vasallus Ecclesiae Frisingensis ab anno* 898. *vel circiter Archi Aduocatus Ecclesiae Frisingensis Dominus ad Wirmam etc. Pater fuit Aribonis et Iacobi. Hic Dominus in agro frisingensi et Alpibus, vasallus quoque fuit Ecclesiae Frisingensis, Aribo vero Vasallus Principalis Ecclesiae Frisingis Comes quoque fuit an.* 955. *Successorem habuit Aribonem Comitem et Vasallum principalem qui vixit anno* 994.

§. I.

Postquam tres filios iam tribui Ariboni Marchioni Isangrimum scilicet Marchionem, Arbonem et Sigihardum Comites, immodicus forte videbor in foecundando eius connubio si quartum addidero, quem tamen omnino addendum esse censeo. Ipse quidem Comes fuisse non videtur; sed utique pater fuit alius Aribonis, nobis III. Comitis. Dictus est ille Iacob seu Iacobus.

Nomen eius apud Hosios et in Baioaria meridionali haud infrequens fuit, frequentius autem nunquam apud Frisingenses quam eo quo vixit ille tempore. Celebris est officio quod gessit Aduocati Ecclesiae Frisingensis, idem forte munus quod Archi Aduocatorum vel Aduocatorum Principalium nomine postea venit.

Con-

Coniuncta semper erant cum hoc munere beneficia, quorum ratione Aduocatus quilibet vasallus erat Ecclesiae quam defendendam susceperat. Et reuera anno iam 893. Iacobus noster dictus est Vasallus Waldonis Episcopi Frisingensis [a] *amboque* Arnolfum Regem „*precati sunt* ut *quandam* commutationem cum re„gio consensu inter *se compendii* causa factam, scripto corrobora„ret. *Dedit* itaque Episcopus quicquid in loco Incinmos *habuit* „(praedium haud modicum) e contra vero *accepit loca Muotri„chinga et Tidalesdorf nominata*; *data* 12. *Kal. Septembris*, *anno in„carnationis Domini* 893. *Indictione XI. anno regni Arnolfi Regis* 6º „*actum ad Eberesburc.*

Hoc diploma sequuntur apud Meichelbeckium duae chartae [b] in quibus memoratur licentia Arnolfi Regis, Iacobus vero dicitur *Aduocatus Waldonis* Episcopi. Sequitur iterum paulo post alia charta [c] qua quidam nobilis nonnihil dedit, accipiente eodem Episcopo et *Aduocato* suo *Iacobo*, nec non astante Cotescalco Comite, notatusque est annus 899. ita ut certo sciamus ab hoc saltem anno Iacobum fuisse Aduocatum Frisingensem.

Non recensebo alias magno numero litteras in quibus Iacobus Waldonis Aduocatus fuisse dicitur.

Sub Dracholfo Episcopo non videtur eodem munere functus fuisse Iacobus, quin potius sub illo et sub Wolframo aut successores habuit, aut vicarios aut Collegas Kepolfum et post hunc Ratolfum, seu Ratoltum, qui dictus quoque fuit Ratoldus et Radoldus.

Non

a) Meichelbeck n. 903.
b) 904. 905.
c) 908.

Non obierat tamen Iacobus; beneficum enim ſe exhibuit adhuc erga Wolframum Epiſcopum qui anno demum 926. regimen ſuſcepit, anno 938. depoſuit.

„ *Tradidit namque praedictus Iacob* a) *in manus praefati* Epiſco-„ pi et Aduocati ſui Reginberti *quicquid* proprietatis habuit ad Si-„ kereshuſun, et ad Lutrinpah atque ad Fidalesdorf, e contra *ve-„ ro* accepit in loco DACHOWA, inſuper tradidit *in loco* Wirmspuge, „ recepit in *Pritilinpah.* Fuerunt *fideiuſſores* praedictae traditionis „ de parte Epiſcopi *Kotescalch*, de parte IACOBI *Ratolt* „ qui ea de cauſa, cum id ageretur, Aduocatus non fuit Epiſcopi, quia nempe proximus erat Iacobi conſanguineus, qui praeſto foret.

Charta ipſa indicat Iacobum hunc eumdem eſſe qui ante 30. fere annos Aduocatus fuerat et praedium dederat in Fidalesdorf. Chartae rubrica non minoris quam charta ipſa momenti eſt, ita enim ſonat.

„ Commutatio Wolframmi Epiſcopi et *Iacobi* PATRIS ARIBONIS *de Dachowa*, *et Sikereshuſun et Lutrinpah atque Fidalesdorf.*

Fuit itaque Iacobus pater Aribonis, quod ideo annotaſſe puto rubricae autorem, quia Aribo vir ſummus erat et Iacobo ipſo illuſtrior euaſit.

§. II.

Aribo ille, ni fallor, alter eſt ex illis duobus Aribonibus vel *Arbeonibus* qui ante annum 928. teſtes fuerunt cum Albriho Comite et Engilperto Comite in rebus Salisburgenſibus, ut docet una ex chartis quas anecdotas habeo: quemadmodum vice verſa *Engilperht*

a) ibid. 1014.

gilperht Comes testis fuit post Zacconem et ante Erchanfridum, Paponemque cum *Isangrimus* nobilis vir [a], et ab illo *Isangrimo Hosio* oriundus, qui antiquissimi Poaponis filius fuit, pratum daret prope locum qui *Wihsa* dicebatur, hodie *Weichs* nuncupatur.

Hic etiam ni fallor ille idem est Aribo qui, mortuo *Adalberto* de *Marthala*, Berchtoldi filio, Comes Frisingensis pronunciatus est, testibus litteris [b] quarum ultima verba haec sunt.

„ Actum est Frigisingam, Ego Adallioz scripsi et notaui diem „ Veneris anno Incarnationis Domini 955. sub duce Heinrico et „ Comite Aribone. Isti sunt testes: *Aribo*, Engildio, Wolfstre„ gil . . . Papo . . . Anzo . . Aribo . . Adalperh etc.

Ita quoque omnino desinunt aliae litterae [c] eodem anno scriptae, cum Papo nobilis vir daret Frisingensibus bona in *Mosaha*, reciperet in *Plidmuoteswanc*.

Nisi duo praesto nobis essent Aribones, assererem omnino, quod suspicor, Iacobi coniugem Aribonis vero matrem fuisse Engilratam, eandemque filiam alterius Engilratae et Willihelmi Comitis, qui praedium habuit ingens Danubium inter et Boiohemii fines, qua maxime Australes sunt. Coniecturae huic ut lucem atque fulcimentum adderem suspicarer iterum Aribonem Marchionem, ut bellis, quae ipsi fere funesta fuerant, finem imponeret, uni ex filiis uxorem petiisse ex familia aemula, cui Rex Arnulfus aliquamdiu quam maxime fauit.

Scilicet inter Frisingensia monumenta [a] reperitur „ *commu*„ *tatio Wolframi Episcopi et Engilratae nobilis feminae.* Tradidit ita-
„ que

a) n. 999.
b) 1031.
c) 1032.
a) 1018.

„ que praedicta mulier cum FILIO SIMVL ET ADVOCATO SVO ARI-
„ PONE *quicquid proprietatis ipsa et filius eius* ad Cunperhtesdorf ha-
„ buerunt. *E contra Episcopus eidem mulieri et filio eius praedicto tra-*
„ *didit curtam unam Alpichchescella nominatam.*

Ex ordine porro testandi autumo, Aribonem nostrum Comitem eum esse qui sub Lantperto Episcopo post annum 938 b. secundus *testis fuit*, cum primum locum occuparet Eparhart Comes, tertium Vogo, traditionis autor esset *Isanhartus.*

Dubito quidem de ARIPONE NOBILI viro qui sub Lantberto Episcopo mutauit a. seruos, ita ut ipse et uxor sua Liutpurga ad vitam eos haberent quos acceperant. Sed credo utique nostrum eundem esse, qui eodem vel circiter tempore itidem mutauit seruos dictusque est in litteris b. NOBILIS VIR et *Episcopi* VASALLVS: Optime haec cadunt in filium Iacobi, qui et ipse vasallus fuit ecclesiae Frisingensis.

§. III.

Caue vero in vulgus vasallorum releges viros summates: quos verbis disertis Principales Vasallos vocat charta insignis c. quae huc pertinet omnino: „ Dedit IACOBO vel *Iacobus* NOBILIS vir quic-
„ quid proprietatis habuit in loco *Cubidunes* dicto, et in alio loco
„ *Stilues* nominato, in valle *Wibitina*; recepit vero in loco *Toura*
„ dicto aliud praedium paullo angustius. „

(Constat locorum perito cuique, loca illa in Baioaria meridionali, quae nunc Tyrolis dicitur, et haud longe Halla sita esse, Ia-

b) 1048.
a) 1052
b) 1054.
c) ibid. 1069.

Iagobonem vero, quem lubens inter aduocatos Brixinenses refero, erunt qui suspicabuntur Iacobo nostro sanguine iunctum, forte filium, Aribonique fratrem extitisse.)

„ Ita namque commutatio facta est ad Frisingam CVM CON-„ SILIO PRINCIPALIVM VASALLORVM ARIBONIS, *Wolftregili, Eram-„ berti* et caeterorum omnium. Illos sequuntur clerici, quibus de-„ nique postponuntur alii Laici quatuor, *et alii valde plurimorum* „ *Principalium.*

ARIBO (Comes) *Wolftregil* (Comes) *Erinperhtus*, additis Engildione post Aribonem, Adalhoe post Wolftregilum, eodem ordine testes fuerunt anno 955. traditionis utriusque, factae sub Heinrico duce et COMITE ARIBONE. Ne dubites itaque quin Aribo *Principalis Vasallus* idem sit cum *Aribone Comite* idemque cum *Aribone Vasallo* filio Iacobi Vassalli. Quin et occurrit alibi *Iagob nobilis Vasallus* qui proprietates habuit in *Fietchiricha.*

§. IV.

Defuncto a. 957. biennio postquam traditiones ambae, quas modo recitauimus, factae sunt, Episcopo Lantberto successit Abrahamus.

Plures exhibet Meichelbeckius chartas sub hoc Episcopo exaratas quarum nonnullas ad Aribonem nostrum III. iure meritoque referas.

Prima nobis heic nominabitur a. „ Complacitatio inter Abra-„ ham Episcopum et Ariponem. Dedit IDEM praefatus COMES „ suam proprietatem qualem habuit in loco *Keroltesdorf* nomina-„ to

a) n. 1094.

„ to . . . atque Molinam I. circa aquam *Wirmam* e contra Episco-
„ pus ista loca . . . *Pritilinpah*, *Titinhoua* et hobam I. intra mon-
„ tana ad *Riod* usque ad finem vitae suae filiique eius Perahtoldi
„ Clerici etc.

Suadent omnia Ariponem hunc filium fuisse Iacobi, tempus, praedia ad Wirmam, caetera. Hanc chartam in serie Meichelbeckiana praecedit alia longe post illam reiicienda. a.

„ Scilicet Ratold nobilis Presbyter bona tradit Ecclesiae Fri-
„ singensi in Puosinga cum testes essent *Aripo Comes*, *Arnis Comes*,
„ Vogo Comes, Pilgrim . . . Vodalscalh, Dietrich, Vodalscalh,
„ Vodabuch, Perahtold etc.

At vero in charta traditionis praedii in *Tetendorf* sub Episcopo Goteschalco qui Abrahamo a. 994. successit, factae, testes recitantur *Vogo*, *Arnis*, Aripo, *Vodalrich*, Perathold, Nodalscalh, Dietrich, Vodalscalh etc. Iidem omnino quos in charta Ratoldi presbiteri, licet ordine plane inuerso nuncupatos legimus.

Constat hinc duos statuendos esse Aribones, qui ambo Comites apud Frisingenses fuerunt, quorum primus adhuc a. 955. rerum potiebatur, alter a. 994. rebus praefuit. Primum, qui nobis tertius dictus est, Iacobi Principalis vassalli filium fuisse, vel bona suadent ad Wirmam sita.

At vero supra vidimus Iacobum quendam nobilem Vassallum eodem aeuo, quo Aribo hic vixit, praedium habuisse in *Fiothchiricha*; nouimus aliunde b. *Aribonem* nostrum a Lantberto Episco-

a) 1090. b) n. 1055.

po, mutuae utilitatis gratia, recepisse *Flotbchiricha*: Nouimus denique Iacobum hunc secundum aeque ac primum salutari *nobilem Vassallum* Episcoporum Frisingensium; nascitur sane ex his omnibus coniectura eaque validissima Iacobum II. ac Aribonem III. fratres fuisse filiosque Iacobi I. Archi Aduocati Frisingensis: Aribonem IV. a. 990. rebus annisque florentem, Ariboni III. natum: Iacobum I. vero ipsum ad Aribonem I. Marchionem natales suos retulisse suadent bona Iacobi II. in (*Weichs*) Wihsa, ubi et Isangrimi potentissimi fuerunt [a]. Esto ergo Stemma sequens donec meliora dabunt alii

Tabula X.

Aribo I.

Isangrim	Aribo II.	Sigehard p. tab. 9.	Iacobus I. Aduocatus Principalis Frisingensis circa a. 900. seq.

Iacobus II. Comes Aduocatus et nobilis Vassallus Ecclesiae Frising.	Aribo III. Principalis Aduocatus primusque Vassallus Ecclesiae Frisingensis a. 955.
	Aribo IV. Comes vivit a. 990. p. tab. XIII.

CAPVT

a) 999.

CAPVT QVINTVM

SYNOPSIS.

Exploditur Genealogia fictitia antiquae Domus Andechsensis, quae in rerum natura numquam fuit, et ad quam referebant Aribonem fundatorem Seonensem. Exagitatur Ignatius Franciscus Xauerius de Wilhelm. Statuitur Aribonem, qui apud Frisingenses Comes fuit ante et post annum 994. eundem esse cum Aribone, qui hoc ipso tempore fundauit monasterium Seonense.

§. I.

Multum abest ut credamus in illa temporum, in qua nunc versamur, caligine, omnia detegi posse, a nobis praesertim qui in his seculis et in hac regione hospites sumus. Cum tamen magni non faciamus laudem quam captant ii qui erroris expertes videri volunt aut saltem contendunt, audacibus nobis esse licet, inuitis etiam viris doctissimis, qui fidem publicam occuparunt.

Fabula est in compitis decantata Ratoldum Nothum, Arnulfi Imperatoris filium, satorem fuisse Domus Andechsensis, et nemo tamen id laboris huc usque in se suscepit, ut ostenderet domum hanc in rerum natura extitisse ante seculum duodecimum. In illam tamen congesserunt et *Ratpotonem* siue Rassonem quem dicunt tempore Heinrici I. Ducis claruisse, et Fredericum fratrem eius et Aribonem, si Diis placet, Seonensem fundatorem.

Eo

Eo usque res deducta, ut seriem genealogicam necterent, dicerentque, [a] alii post alios, Ratoldi Nothi filium unicum fuisse Ratpotonem, Radpotone satos S. Rhatt et Fridericum: (Hundius infelicissime pronunciauit Ratpotonem eundem esse posse, *nam tempus,* inquit, *satis conuenit,* qui in diplomate Ludouici Pii Ratpoto nuncupatur anno 818.) S. Ratt copiis Baioaricis ab Heinrico duce praefectum somniant: Ipsi quidem filium tribuunt nullum, ex fratre vero eius Friderico qui in Palaestina obiit, natum esse aiunt Arbonem qui Seonense monasterium fundauit, Arboni filium fuisse autumant Rapottonem qui Comes ab Hohenwart nuncupari amauit, cuique uxor Hemma, filii tres, nepotes ex filiis nulli. (Nota sis Ortolfum filiorum primum anno circiter 1100 obiisse, auum vero eius Arbonem, si credere fas est, ante annum 994. iam Comitem fuisse.) Ratpotoni ab Hohenwart fratres, Ariboni Seonensi filios adiiciunt Gebhardum Episcopum Ratisbonensem, Arbonem Archiepiscopum Moguntinum, Fridericum denique et Sigmarum.

De hac fabularum compage, absit verbo iniuria, alibi dicetur, nunc satis sit annotauisse, eam omnem sine autore idoneo consarcinatam fuisse.

Concedam lubens Ratpotonem siue Rassonem, siue sanctum quendam Rhattum, inter mortales aliquando deguisse; concedam etiam improlem obiisse.

Quoad reliqua en tibi lector elementa e quibus meliorem coniecturam conflari posse crederem.

Erbo

a) Hund. Stammbuch. P. I. p. 22. et seqq. Koeler Differt. de Ducibus Meran. etc.

Erbo vel *Aribo II.* Comes filius Aribonis I. Marchionis decimas praediaque habuit in *Hobinbart*, habuit quoque decimas in *Pollinga* parui momenti futuras nisi praedia quoque illic possedisset.

Hunc vero patrem fuisse aio Rassonis qui anno 954. *Monasteriolum fundauit* in *Woerdt infra lacum Ambronem* et *in fluuio* eiusdem nominis qui alluebat praedia *Hosiorum nostrorum.* Postquam autem improlis obierat Rasso, praedia eius transierunt, non dicam ad Fredericum quem ignoro, sed ad patrueles eius Aribonem III. Comitem et Iacobum II. Iacobus II. sane praedia habuit in valle Vibitina et in Toura, nempe in Taur, unde *Ratpoto Pater Ortolfi* Comes Taurensis dictus fuit. Illic quoque praedia habuit Aribo III. Comes, praeter alia ad Wirmam et in agro Frisingensi. Hic pater fuit Aribonis IV. qui Monasterium Seonense fundauit in praedio, quod, aut a patre Aribone III. aut ab auo Iacobo I. aut a Rassone patruele suo acceperat; probauimus vero hoc ipsum praedium Seonense quod *Regium* olim fuerat, Adalberto I. Comiti et Marchioni in ius proprietatis contigisse, ab illo autem Adalberto satum esse Adalbertum II. Comitem Aribonis Marchionis patrem. Necesse est igitur ut ab iis originem quoque duxerit Aribo ille Comes nobis IV. qui Monasterium Seonense fundauit.

Non fuit igitur hic abnepos Ratoldi Nothi, quem obiisse improlem et vix puberem tantum non affirmo.

§. II.

Hic vero loci Ignatius de Wilhelm omnia sus deque vertit. Interest aliquanti mea autoritatem illius, si qua est, minuere; vapulauit quidem is egregie Palingesio, qui vero, cum systema Wilhelmi Carolinum tantummodo oppugnauerit, Baioaricis minus in-

tentus, lubet reliqua excutere, animumque fessum omnino sic tandem inter Ignatii de Wilhelm somnia reficere. Audiamus itaque Ignatium nostrum [a].

„ Rathboldi filius Fridericus in Palaestina athleta Christi obi-
„ it. Filia Hatta mater est S. Conradi Constantiensis; Friderici fra-
„ tris Rathonis memoria et nomen etiamnum Boiis est sacrum.
„ Aribo propagator stemmatis SEVM hodie Seun Monasterium di-
„ uo Benedicto exstruxit, uti etiam in parte secunda notabitur.
„ Huic quatuor fuere filii, quorum unus Gebhardus Episcopus
„ Ratisbonensis cum fratre Rapothone Thierhaupten Lycatiorum
„ templum Religiosis dicauit. Alter Aribo Archiepiscopatum Mo-
„ guntinum duodecim annis summa cum laude gessit.

Hic paulisper subsistamus oportet, miremurque Rapothonem fratrem dici Archiepiscopi Moguntini, utrumque filium Aribonis Seonensis, cum tamen Rapotho circa annum 1080. adhuc vixerit et Archiepiscopus Moguntinus Henrico Sancto coaeuus fuerit. Quis fando audiuit fratrem qui Archiepiscopatum in cunis non adeptus est et 12. annis gessit, obiisse sexaginta ferme annis ante quam obiret frater plus aequo viuacior? transeamus nunc ad partem secundam vindiciarum [b].

„ Legi equidem Luitpoldo ab Vngaris caeso Aribonem in demor-
„ tui Luitpoldi locum substitutum fuisse, ut praeesset copiis, non
„ qui ducaret in Boiaria aut qui Praefectus Praetorio foret, qui ti-
„ tuli in Duce militiae ea tempestate certe non obmittendi erant,
„ ab Imperatore tum ex spe reparandi damni et vindicandae iniu-
„ riae, tum etiam ex incitamento nouo nouae fortitudinis.

Vbi

a) Vindic. R. 1. p. 18. b) p. 64.

Vbi id legerit Ignatius nescio. Quis fuerit porro ille Aribo Dux militiae tacet prudenter: Ni forte eumdem putarit cum fratre Luitpaldi II. Marchionis; tunc vero totus me oppono. Caetera quae addit sunt verba et voces.

„ Adlzreiter ad annum 1102. meminit cuiusdam Aribonis, ubi
„ ait: Hoc anno Aribo Carantanorum Princeps, Boiariae olim
„ Palatinus, grandi senecta mortalitatem exuit. Scio equidem
„ hunc Aribonem cum eo qui Luitpoldi frater erat nihil habere
„ commune, producendum tamen ex eo putaui, quod satis mi-
„ rari non possim unde in annalibus de Aribone Luitpoldi fratre,
„ ut dictum, tam altum sit silentium, cum tamen praeclara illius
„ factà aut continuatio stirpis memorari deberent, si illius fuisset
„ prosapiae, quam aduersarii fratri tribuunt, dein etiam, ut dif-
„ ferentia originis horum Aribonum satius appareat, et ex ea ipsa
„ assertionis meae veritas elucescat, Luitpoldum non fuisse patrem
„ Arnolphi Mali, notandum bene est huic Ariboni Duci Caranta-
„ norum, de quo agitur, expresse additum fuisse titulum Palati-
„ ni; quod ego ideo factum puto, ut ex adiuncta praerogatiua fa-
„ cilius unusquisque in notitiam veniat stemmatis a quo ille ori-
„ ginem suam traxit. „

Euge! unde tibi, bone vir, Aribonem Principem Carinthiae nihil habuisse commune cum fratre Luitpoldi? si dicis unum eundemque non fuisse illos, acrem hercle ingenii vim prodis, nam alter vixit anno 898., ut ipse scire debes, nisi omnia nescis, alter obiit anno 1102. Si vero negas alterum ab altero originem duxisse, id temerarie negas, quod ignoras. Miraris ignotam esse progeniem Aribonis: ignota est sane Auentino, Reusnero, et Hundio, hinc et tibi. Vbi vero didicisti, veteres annalium scriptores totos fuisse in texenda serie

posterorum cuiuslibet viri, totos in sternenda via quam peragrares passibus giganteis, ut soles? Aribonis posteris obscuritatem obiicis: ab hac calumnia temperare debebas, ne idem obiiceretur posteris et consanguineis Arnulphi ducis, quos celeberrimos fuisse qui diceret falsa narraret utique, gloriaeque tuae detraheret immane quantum, qui plerosque eorum ne nomine quidem noueras. Video iam cur Annalistis grates agas, quod Aribonis alterius nomini Palatinam dignitatem appenderint, hunc enim tibi vindicaturus es. Asseris porro talem tantamque Palatini dignitatem fuisse, ut ex ea sola argui possit Arnulphi ducis posteros longe superiores fuisse Luitpaldinae et Aribonianae familiae; sed disce, Aribonem Palatinam Comitiuam abdicasse in Principem Carinthiae promouendum, quod profecto haud paululum detrahit huic decantatae nimis dignitati. De passibus giganteis dixi, nec temere. De Aribone enim Palatino ita pergis audacissime.

„ Auentinus, Hundius, et Reusnerus aiunt Aribonem Palatinum
„ in Boiaria Burgilum castellum suum in templum vertisse, diuo
„ Lamberto sacrum, ac Monachis Benedictinis traditum non pro-
„ cul a lacu Chimino, quem situm loci accolae a lacubus, qui ibi
„ frequentes sunt, Soeum et Seuum appellant „

Nullo itaque discrimine habes Aribonem qui anno 1102. obiit, et fundatorem Seonensem, qui ante annum procul dubio millesimum castrum suum Burgili in coenobium mutauit. Grandia profecto in animo habes, fuitne fictitiae gentis tuae praerogatiua cum palatina annexa, ut tria secula aut desinere aut incipere viderent. Sed iam iam video cur Aribo Palatino cognomine dignus tibi videatur. Audiendus enim es quamdiu mira effaris.

„ Ari-

„ Aribo hic ex ſtirpe Andechiſiana ortus, cum fundatorem gen-
„ tis ſuae habuit Rathboldum Arnulphi Caeſaris filium nothum,
„ ex ſtemmate Imperatorio cum ſanguine praerogatiuam Ducis et
„ Palatini non indigne tulit „

Multum tribuit ſanguini Imperatorio Ignatius; magnis nominibus delectatur. Sed probauitne Aribonem Palatinum a Rathboldo illo Notho originem duxiſſe? Et quis unquam tantam fuiſſe credidit Comitiuam Palatinam, ut nonniſi Imperatorium ſanguinem decuerit! Nec Aribo Palatinus Dux fuit Carinthiae, fuit utique *nobilis in Carinthia Princeps*, at Ducibus ſubiectus et ipſe. Hoc vero etſi negamus non deerunt Ignatio Ducatus quos in Domum Andechiſianam congerat; tanta eſt eius reuerentia in nothos Imperatorios.

„ Andechiſiani Comites ab ampliſſimis prouinciis Duces audie-
„ bant Hiſtriae, Croatiae, Dalmatiae et Meraniae, imo et Palati-
„ ni, nempe ut progenies regia ut nepotes et poſteri Arnulphi
„ Imperatoris ex fundatore ſtirpis Andechiſianae Rathboldo, ex
„ cuius, licet nothi Caeſaris filii, potentia et amplitudine prouin-
„ ciarum, eam quisque coniecturare poterit, quae Arnulpho fi-
„ lio legitimo in portionem obuenerit, ut inde non immerito ex-
„ teris Regibus ſubeſſe indignum, nec temere ſe, in reſiſtendo
„ viribus aequalem putauerit, ubi ſane hanc potentiam ex hae-
„ reditate, hos titulos a nomine patris Luitpoldi haurire non va-
„ luit, aut ſibi arrogare aequum erat. Palatinorum nomina Luit-
„ poldo antiquiora ſunt, et plane indebita, ſtirpi vero Carolinae
„ propria, et ante titulum Regis et Imperatoris in Praefectis Re-
„ gum Francorum uſitata „

Male quidem heic de nobis actum eſt quibus perſuaſum haeret iam ineunte ſeculo X° extinctos eſſe cum Ludouico Rege Ca-

Carolinos. Quod enim felix faustumque sit, Ignatio nostro tot fuerunt Carolini in Germania Proceres quot Palatinos tulit nutriuitque Baioaria, Sueuia, Lotharingia, Saxonia, Francia Rhenensis, quidni et Gallia? at ridiculum est ridere in argumento tam serio. Omnes illi Ducatus quos iactat noster in Andechisiana domo coaceruatos, unus est Ducatus Dalmatiae; adde, sodes, Croatiae *in partibus infidelium* Ducatum. Sed quam sero agnita sint sacra sanguinis Imperatorii iura accipe! vix anno 1173. Andechisianis contigit Histriae Marchionatus. Anno demum 1180. ni serius, collatus est Ducatus Dalmatiae. Palatinatum Burgundiae, (nam Palatinos non fuisse Carolinos nostros nefas dictu foret, connubii iure a°. 1191. sortiti sunt. Nihil itaque ex potentia et amplitudine prouinciarum, quas sortiti sunt Andechisiani circa illorum originem coniectare licet; pronunciare modo licet a Rathboldo notho non oriundos.

Ignosce Lector si tui oblitus sum, de Ignatio Wilhelmo plus aequo sollicitus. Redeo ad Aribonem fundatorem Seonensem a quo, ut vides, non discessi omnino.

§. III.

Probaui Aribonem nostrum IV. Frisingensem Comitem fuisse, et vixisse anno 994. cum ante et post hunc annum compareat in monumentis Frisingensibus.

Hoc eodem anno 994. obiit Wolfgangus Ratisbonensis Episcopus, tuncque etiam vixit et viribus integer fuit „ *Arbo Comes quidam ex numero fidelium fidelissimus, viroque Dei inter laicos carissimus*, ut ait Arnolfus Emmeramensis. a.

Idem

a) De S. Emm. L. II. p. 132. Canisii T. III. P. I.

Idem ſcriptor narrat caſum quo vitae periculum hoc ipſo anno ſubiit. „ *Nauis*, inquit, *in qua ferebantur bona Domini Hartwi-* „ *ci Archi Pontificis* (Salisburgenſis) ET ARBONI OPTIMI COMITIS „ *naufragium atque iacturam in Danubio perpeſſa eſt*, *ſed homines ſalui* „ *facti ſunt*. „ Ratisbonam illi vehebantur, quo ſtatim poſt Wolfgangi mortem uterque ex naufragio ſaluus euaſit.

ERBO ille COMES haud dubie idem eſt qui monaſterium Seonenſe fundauit, praeſertim cum in litteris Ottonis III. Imp. qui illud Papae Syluestro commendauit *Aeribo* dicatur Comes, non addita voce *quondam*. b. Idem euincunt litterae c. Ottonis Imperatoris anno 999. datae, quibus iubentur Monachi Seonenſes Aduocatum eligere, *ipſo aduocante* ARBONE *ac placitante*, *uſque finem vitae ſuae*. Subobſcura ſunt haec verba: ſi dicis Arbonem ipſum Aduocatum non fuiſſe Monaſterii a ſe fundati; dicam eſſe non potuiſſe, ſi Comitem agebat in pago, in quo ſitum erat Monaſterium, vetante id lege a Ludowico Seniore in Conuentu Erfurtenſi de Aduocatis promulgata: ita ſane ut ex hoc ipſo confici queat, *Arbonem* Comitem fuiſſe pagi in quo Monaſterium Seonenſe fundauit. Si aſſeris aduocatum fuiſſe Aribonem, et de electione Aduocati in id tempus ſancitum, quo Aribone carituri erant Seonenſes, non dicam ſtatim Comitem ibidem non fuiſſe, forte enim iam exſoleuerat lex Erfurtenſis, naſcetur vero ſuſpicio Aribonem ſine ſpe maſculae prolis tunc fuiſſe; nam ad mares, et ad eos ſolos ſpectabant Aduocatiae ut infra probabimus.

Hic quidem ſubſiſtere poſſem, poſtquam oſtendi, Seonenſe monaſterium fundatum fuiſſe ab *Arbone* in patrimonio quod proprium et auitum habuerat.

Oſten-

b) Hundii Metrop. Tom. III. p. 237. c) p. 238.

Oſtendi quoque *Arbonem* nobili GENEALOGIA ORTVM ET SANGVINITATIS COAGVLATIONE CONIVNCTVM FVISSE CVM HEINRICO DVCE Baioariae, quam parentelam fruſtra deriuaueris aliunde quam ex connubio Heinrici I. Ducis, Heinrici Sti aui cum Iuditha Arnulfi Ducis filia; Arnulfum enim Ducem patruelem fuiſſe conſtat Aribonis II. quem auum veneratus eſt Aribo IV. Seonenſis monaſterii fundator: Oſtendi denique Aribonem hunc IV. originem duxiſſe quin et ducere debuiſſe ab antiquis Seonenſis praedii Dominis Adelberto I. Marchione, Adelberto II. ac Aribone I. Marchione; hic, inquam, ſubſiſtere iam poſſem, poſtquam omnia conſtant et cohaerent egregie in hac Principum noſtrorum ſerie, quam ab Adalberto I. *Comite* confinii usque ad Iuditham Arnulfi Ducis filiam et Arbonem fundatorem Seonenſem usque deduxi.

Sed ſuperſunt nonnulla vel confirmanda magis vel emendanda, vel ſuperaddenda iam dictis de gente illuſtriſſima quam ab Aribone Marchione repetii, quamque pollicitus ſum alia adhuc ex parte me aggreſſurum eſſe.

Tabula XI.

Adelbertus I. Marchio Dominus Seonenſis

Adelbertus II. Comes

Aribo Marchio Dominus Seonenſis	Luitpaldus Marchio † 907.
Iſangrim — Aribo II. — Sigehard — Iacobus I. Aduocatus et nobilis Vaſallus Friſingenſis.	Arnulfus Dux Baioariae.
	Iuditha Vx. Heinricus I. Baioariae Dux
Iacobus II. Aduocatus Friſingenſis. — Aribo III. Principalis Aduocatus Friſingens. † circa 960.	Heinricus II. Dux Baioariae.
Aribo IV. Comes fundator Seonenſis a. 995.	Heinricus III. Dux Baioariae inter Imperat. II. † 1024.

Coagulatione ſanguinitatis coniuncti.

CA-

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS.

De Posteris Aribonis Marchionis qui certissimi sunt Sigibardo nempe Comite Burchusano, Botone, et Aribone Comitibus, qui omnes obierunt ineunte seculo XII. Ac primum de Sigibardo cuius pater fuit Sigibardus, mater probatur fuisse Heitza, Hadewiga, vel Hazaga, quae ex matre Eberspergensi nata, in cuius familiam inquiritur. Explicatur cognatio fere omnis Sigibardi, cuius fratres fuerunt Heinricus Episcop. Frising. et Fridericus Comes de Bilstein, eiusdem Sigibardi posteri Comites nempe de Burchusa et Scala declarantur.

§. I.

Plures Aribonis Marchionis posteros, de quibus dubitari nequit, subministrat nobis Annalista Saxo, ita enim ille ad annum 1102.

„ AERBO nobilis de Carinthia princeps et *quondam* PALATINVS
„ COMES in Bauaria HARTWICI PALATINI *Comitis* FILIVS *iam gran-*
„ *daeuus* obiit in Domino„

Idem ille ad annum 1104:

„ BOTO Comes *cognomento* Fortis, ERBONIS supradicti GERMANVS,
„ *iam plenus dierum non longe* a *Ratisbona* defunctus est. Hi duo fra-
„ tres ERBO *scilicet et* BOTO PATERNO SANGVINE NORICAE GENTIS AN-
„ TIQVISSIMAM NOBILITATEM *trahebant* ILLIVS famosi ERBONIS PO-
„ STERI, quem in venatu a Vesonta bestia confossum vulgares *ad-*

„ *hac* cantilenae resonant, HARTWICI *Comitis* PALATINI filii, qui
„ *Germanus fuit illius* SIGEHARDI, qui SIGEHARDVM *genuerat*, *quem*
„ *Ratisbonae peremptum* iam diximus. MATER ILLIS fuit (ex Viti-
„ kindo Saxonum Duce genus trahens) *nobilis* FRIDERVNA *a Retin-*
„ *go filio Botonis*, *filii Retingi itemque ex Botone nati*, *procreata*. *Quae*
„ *post mortem* HARTWICI statim *viduitatis velamine consecratur*, AD-
„ HVC ERBONE PARVVLO, Botone impraegnata POSTHVMO „

Duas hic familias discernere possumus ab Aribone FAMOSO et ANTIQVISSIMAE NOBILITATIS AVTORE adeoque a Marchione Aribone I. oriundas. Prima HARTWICVM, altera SIGIHARDVM, nobis IV. fatores agnouerunt. Ab hac exordium faciemus differendi in locum istum, quem modo recitauimus, insignem Annalistae Saxonis.

§. II.

Sigihardus, nobis V. Comes, qui anno 1104. Ratisbonae occisus est, tunc temporis adhuc fuerat viribus integer, aetate vegetus, ut indicat mors violenta quam oppetiit. Vix igitur credo eum supra sexagenarium fuisse.

Quod si ita est, pater eius Sigihardus IV. proli procreandae aptus adhuc esse anno 1034. et, ne quid urgeamus, vitam protrahere debuit usque ad medium seculum undecimum.

Sigihardus V. filius anno 1101. societatem iniit cum Vdalrico principe Boiohemo qui solium paternum appetebat, ideoque in Baioariam venerat auxilia quaesitum, quia matre *Baioaria* ortus fuerat.

Haec

Haec ſocietas belli extra fines Baioariae gerendi arguit quoque Sigihardum tunc ſenio confectum non fuiſſe.

„ Auxilium pollicentur et praeſtant, inquit Dubrauius [a] *Fri-*
„ *ſingenſis* praeſul, et *Fridericus ſororis eiusdem Praeſulis maritus*,
„ ac *Sigihardus a Sala Comes.*

Diſerte vero Coſmas Pragenſis [b] Praeſulem Friſingenſem Heinricum Sigihardi fratrem fuiſſe pronunciat. Neſcio vero an potior fides ſit Dubrauii vel Codicis Neocellenſium traditionum [c] in quo Fridericus frater Heinrici Epiſcopi vocatur *Comes de Bilnſtein.* Quod ſi ita eſt nouimus alterum Sigihardi IV. fratrem, et originem Comitum de Bilnſtein deteginus.

Ideo vero Proceres illi auxilium praeſtiterunt Vdalrico ut cognationi, qua ipſi deuincti erant, ſatisfacerent, ſiquidem *maternum genus ab illis ducebat.* At vero mater *Vdalrici* Conrado Bohemiae duce nati, Wirceburgis dicta fuit, vel Wirbirk, ut hoc nomen ſcribit Cosmas ad annum 1091. vel Virsburga ut alii malunt. Hoc vero nomen a Bohemis, Baioarici ſermonis ignaris, corruptum, idem haud dubie eſt quod in noſtris monumentis *Williperga*, *Wilburgis*, *Willipirch*, vel *Willipirica* ſcribitur, et familiare omnino fuit apud Eberſpergenſes, aeque ac illud quod filio ipſius inditum eſt nomen *Vdalricus.* Coniectura itaque eſt haud leuis, Sigehardi Comitis matrem ex Eberſpergenſi familia fuiſſe oriundam.

Hartwicus Palatinus Sigihardi a. 1104. occiſi patruus circa annum 1026. uxorem duxerat, ut coniicere eſt, utpote qui a.

 1028.

a) Hiſt. Bohem. Lib. X. p. 73.
b) ad ann. 1101.
c) Meichel. Hiſt. Friſing. l. 3. c. 5.

1028. defunctus filium puerulum reliquerit. Sigihardus itaque Sigihardi nostri pater connubium rite inire potuit circa annum 1036. paterque esse virginis Willipirg, quae Conrado Boemiae duci nupta peperit ipsi Vdalricum.

§. III.

Quod si Ebersbergensia monumenta, ab Oefelio vulgata, a. consulamus, praesto nobis in iisdem est a. 1029. Vdalricus Comes Ebersbergensis iam senio confectus, duorum filiorum qui improles obierunt, filiarum quatuor parens. Pergit Chronici Ebersbergensis autor; „ *Vdalricus nullam ex filiis suis sobolem vidit praeter unam* „ *virginem*, HADEWIGAM *vocabulo*, NEPTEM *suam* de filia WILLIPIRI- „ GA. Videri posset autor noster sub voce *ex filiis suis* filias filiosque comprehendisse. At constat omnino aliunde, *Willibirigae* quatuor ad minimum filias fuisse, *Hadmuotam* puta b. ex traditionibus Ebersbergensibus nobis notam, *Luitgardam* Werigando Comiti de Mosbach nuptam, et *Gerbergam* primam Abbatissam Geisenfeldensem, utramque in monumentis Geisenfeldensibus celebrem c. et *Hadwigen* ab autore Chronici Ebersbergensis nominatam. Aut si *Hadwiga* haec eadem fuit quae *Hadmuota*, uti quidem ex Chronicis Ebersbergensibus vetustiore ac recentiore inter se collatis tantum non constat, *quartam* dicemus alias quintam futuram, *Willipirigam*. Hanc primis votis *Werinhario* nupsisse inferius docebitur; ad secunda transiens, thorum conscendit Sigihardi nostri IV. Vidisti iam lector cur ipsi Williberigam, Ebersbergensi sanguine oriundam, desponsandam esse censeamus. Erit mox tempus locusque queis ipsi Willibirigam nostram reuera desponsatam fuisse probabimus. Mo-

F a) Tom. II. pag. 8.
b) Ap. Oefel. l. c. a. 54.
c) Ap. Hund. Metrop. T. II. pag. 245. 248.

Monuiſſe heic ſufficiat, *Willipirigam* noſtram Willipiriga Ebersbergenſi natam, patrem ſalutauiſſe Vdalſcalcum Comitem et Aduocatum principalem Friſingenſium, cui in Aduocatia, poſt aliquod temporis interuallum, ſucceſſit *Sigehardus* noſter.

Liceat paucula ſubiungere de *Heiza* ſeu *Hadmuota* quam Willipirigae primae ſororem Vdalrici Ebersbergenſis filiam, Willipirigae noſtrae materteram fuiſſe omnia ſuadent. Peperit illa marito nobis quidem ignoto, filios tres, *Gundpoldum, Meginhardum* et *Hartwicum* quibuscum illa in monumentis Friſingenſibus [a] plus vice una recitatur. Notandum vero eſt inprimis *Gundpoldum* illum Comitem, inter teſtes pactorum domeſticorum ab *Hadmuota* Eberſbergenſi eiusque fratre Adalberone initorum, [b] principem locum obtinere, principem quoque in traditionibus piis ab Adalberone Ebersbergenſi factis. [c] At vice verſa Sigehardus noſter Willipirigae maritus primas partes tuetur in traditionibus ſacris ab Heitza eiusque filiis celebratis [d] indicio haud obſcuro affinitatis.

Tabula XII.

Hartwicus Comes Salisburgenſis p. tab. XIII. — Vdalricus Comes p. tab. XX.

Children of Hartwicus: Hartwicus Palatinus Comes a. 1028. Vx. Frideruna p. tab. XIII. | Papo tab. XIV. | Sigehardus IV. Comes et Aduocatus Friſing.

Children of Vdalricus: Willipiriga Vx. Vdalſcalci | Heitza mater Gundpoldi p. tab. XX.

Daughter of Willipiriga Vx. Vdalſcalci: Willipiriga nupta 1. Wernario 2. Sigehardo IV.

Children of Sigehardus IV. and Willipiriga: Willipiriga Vx. Conradi Boemiae Ducis. | Sigehardus V. Comes a. 1104. occiſus. | Heinricus Epiſcopus Friſingenſis. | N. Fridericus de Bilnſtein.

Son of Willipiriga Vx. Conradi Boemiae Ducis: Vdalricus a. 1102. Boemiae Princeps.

§. IV.

a) Meichelb. Inſtr. 1165. 1166. 1169. 1204.
b) Trad. Ebersb. ap. Oefel. l. c. n. 54.
c) Meichelb. l. c. n. 1165 1166.
d) ibid. 1169. 1204.

§. IV.

De connubio Sigihardi IV. forte prolixius egi quam par erat, cum ex hac inquisitione id unum didicisse videamur, cur Vdalricus Boiohemus Princeps ex matre Willibirga cognatus fuerit Sigihardi 1104. occisi et Heinrici Episcopi Frisingensis. At praeterquam quod nonnulla exposuimus quae illustrandae huic antiquitati non nihil conducunt, id quoque egimus quod alio in loco agendum tamen nobis fuisset.

Sigihardo IV. patre Willipiriga matre natus Sigihardus V. ab omnibus fere scriptoribus, qui mortem eius violentam retulerunt dicitur Comes *de Burchusa*, (vel Burchausen) quod verum omnino est, quamuis constet quoque ipsum Comitem de Scala fuisse, satoremque duarum familiarum ex duobus filiis illius *Sigehardo VI.* et *Gebehardo.* Ab illo, Sigehardum puta, orti sunt Comites de *Scala*, ab hoc (Gebehardo) Comites Burchusani. Haec omnia vero diligentius inquirenda, solidius astruenda aliis relinquo, satisque mihi est Sigihardum V. in ditione sua habuisse Burchusanum tractum, ubi latifundiis praediuites fuerunt maiores Aribonis Marchionis, a quo Sigihardus, annalista teste, originem duxit.

Huc usque iterum omnia optime congruunt cum nostra sententia de Aribonis Marchionis maioribus, posterisque ac praediis.

Transimus nunc ad *Erbonem nobilem* de Carinthia *Principem* et BOTONEM qui Sigihardi patrueles fuerunt.

CAPVT





CAPVT SEPTIMVM

SYNOPSIS.

De Aribone qui Comes Palatinus fuit et postea Princeps in Carinthia; de Botone eius fratre. De Patre utriusque Hartwico Palatino Comite qui obiit circa annum 1030. *Anxia dubitatio de patre Hartwici, utrum ille fuerit aut Sigibardus aut Hartwicus Comites in Sundergowe, aut denique Aribo Comes et fundator Seonensis.*

§. I.

De Aribone V. ſcimus ex Annaliſta Saxone, qui eum Erbonem nuncupat 1º ipſum circa annum 1028. patre Hartwico, matre Frideruna natum, 2º Comitem Palatinum Bauariae fuiſſe, 3º abdicata Comitiua *nobilem de Carintbia Principem* eum euaſiſſe. 4º fratrem Botonem ſiue Bodonem, quem Fortem dixerunt, habuiſſe. Scimus praeterea ex Rapſodiis Auentini, quas citat Hundius, [a] in diplomate Heinrici IV. Imperatoris circa annum 1068. exarato teſtes recitari fratres ambos, *Aribonem Comitem de Hegnimos, Potonem Comitem de Bottnſtain.* Quicquid fecerim, reperire non potui caſtrum ullum quod *Hegnimos* diceretur, eoque recidi ut crederem Hegnimos idem eſſe quod *Incinmos*, ita ut Aribo cognomen habuerit a caſtro illic condito, ubi anno 893. Iacobus pater Aribonis III. patrimonium ſuum auxit, ſuſcepto itidem praedio ab Epiſcopo Friſingenſi [b]. Idem locus hodie Inxemos vocatur

ſitus-

a) Stammb. P. 1. p. 125. et ſ.

b) vide Sup. cap. IV. §. 1.

ſitusque illius in pago Hoſiorum, cum origine Aribonis noſtri Palatini Comitis magis, quam cum eius aut Comitatu aut Principatu congruit.

Diploma Heinrici II. a. plenam aſſerit Annaliſtae fidem nobisque indigitat Comitatum Aribonis V. Anno 1041. Heinricus Imperator dedit eccleſiae Friſingenſi „*Curtem Oſtermunding* IN PAGO SALTZGOWE *et in* COMITATV ARIBONIS PALATINI COMITIS SITAM. Ita omnino litterae Heinrici hoc anno datae. At vero villa *Oſtermunding* haud longe Burchuſa abeſt, pagus vero Saltzgowe, ut ſcimus a Saltza nomen habuit, quae omnia ſatis indicant ſitum Comitatus quem tenuit Aribo Comes Palatinus.

At enim vero hoc unum ſatis eſt ut confirmentur omnino omnia quae diximus de origine *Aribonis Marchionis* poſterisque illius, quos inter cenſendus eſt hic Aribo.

§. II.

Ab Aribone Comite Palatino pauliſper diſcedemus, ut de fratre eius *Bodone* dicamus quod in promtu maxime eſt.

Dictus fuit Comes de Bottenſtein a caſtro cui nomen ipſe ſuum indidit, et cuius partem poſtea acquiſiuit diuus Otto Epiſcopus Babenbergenſis. Situm eſt illud hodienumque exſtat in eo tractu, cuius domini fuerunt *Marchiones Franciae Orientalis*, ſiue *Baioariae* Borealis. Et reuera *Bodo* uxorem habuit Iuditham filiam Ottonis de Schweinfurt, cum vidua eſſet Cononis vel Cunradi ducis Bawariorum. a. Ex quo factum eſt ut multa in Francia Orientali praedia adipiſceretur *Bodo*, queis ditauit coenobium Thariſienſe, in

a) Hiſt. Friſing. Tom. I. p. 238.   a) Annal. Saxo. ad a. 1036.

in quo et ſepultus eſt. Obiit prope Ratisbonam ex rebus geſtis reportato cognomine *Fortis*. De eo et fratre Erbone ita, loco iam laudato, Annaliſta Saxo: b.

„ Vtrumque litteris et armis atque rebus ſatis profeciſſe con-„ ſtat. Attamen *Botonem* ſicut corpore proceriorem et elegantio-„ rem, ita rebus bellicis famoſiorem totius paene Germaniae at-„ que Italiae populus teſtatur. Pannonia vero talem illum ac tan-„ tum ſe fatetur aliquando ſenſiſſe, ut is vere de gigantibus anti-„ quis apud illos fuiſſe credatur. Non longe a Ratisbona defun-„ ctus eſt, et ad *Monaſterium Tbariſienſe*, quod ipſe ſuis opibus at-„ que praediis ditauerat, delatus, ibique eſt humatus. „

Caeterum animaduertamus Botonem, Potonem vel Bodonem, ita dictum fuiſſe a matris auo, in cuius familia nomen illud haereditarium plane fuit. Inuexit illud Frideruna Hartwici Palatini coniunx Saxonica Baioariae noſtrae: Non errabimus ergo ſi dixerimus quotiescunque Boto quis vel Poto nobis occurrit eo, quo hic noſter vixit, tempore, Aribonis fratrem haud dubie ſubintelligi debere, quod animaduertiſſe proderit nobis deinceps. Nunc vero ad utriusque fratris maiores veniendum eſt.

§. III.

Boto poſthumus anno 1104. obiit *plenus dierum*. Aribo biennio ante fatis functus eſt *iam grandaeuus*, paruulus adhuc idem quum pater moreretur.

Conſtat ergo *Hartwicum* Aribonis et Botonis patrem vivere deſiiſſe circa annum 1030. Vixit ſane viguitque anno 1025. teſte diplomate *Chunigundae Imperatricis*, a. ubi quintus teſtis ſiſtitur HARTWIC PALATINVS COMES. Aliud teſtimonium de Hartwico ha-

b) ad a. 1104.

a) Meichelbeck Hiſt. Friſing. T. I. p. 219.

habemus in Codice Tegernseensi b. a Monacho aequali scripto, in quo recensentur praedia quae Arnolfus Dux Tegernseensibus eripuerat, interque eos qui illa retinebant adhuc diserte nominatur HARTWICVS AVLICVS COMES *ut qui praedium haberet in Frickindorff* etc.

Haereditariam fuisse Palatinam Comitiuam et nunc probat exemplum Hartwici et Aribonis, et postea demonstrabimus. Veri itaque simile saltem est, Hartwici patrem illa Comitiua gauisum esse, aut ipsum haeredem fuisse viri qui eam gessisset.

Hic vero incidimus in quaestionem quam maxime ancipitem. Notus est nobis pridem a. *Hartwicus Comes Saltzgouiensis*, Reginberti filius atque successor. Memoratur hic, quem primum dicemus, Hartwicus aa. 959. 963. seqq. Diuersus autem omnino fuit ab alio *Hartwico* Comite, qui secundus nobis audiet, in cuius partim *Comitatu ad Oenum* in *Sundesgauue* situm erat praedium *Ruit* ab Ottone II. S. Emmeramnensibus a. 980. confirmatum. b. Situs hic Pagum *Salzgouue* tantum non indicat, qui pars fuit maioris Pagi *Sundergouue.* *Hartwicum* ergo II. haud iniuria successorem dicemus *Hartwici I.* filium vero nuncupabunt omnes qui nominis similitudinem in successore Hartwici I. animaduertent. Eundem hunc Hartwicum II. sistunt nobis monumenta S. Emmeramnensia a Pezio vulgata c., et quod notes velim, ter nominatur testis cum *Aribone* quodam, quem Monasterii Seonensis fundatorem dicere nihil vetat, suadent omnia, inprimis vero chartarum aetas quam maxime conueniens, utpote quae annos inter 990. et 996. vertebatur. Adde sis in donatione Frisingensi egregia, in Truhterin-ga

b) Hieron. Pez. script. rerum Austriac. Tom. 1. p. 741

a) supra Cap. 3. h. l.

b) Pez. anecd. Tom. I. Cod. Ratisbon. col. 52.

c) ibid. 109. 113. 115. 116.

ga facta circa idem tempus, teſtimonium loco principe praebere Hartwicum Comitem. d.

Haec autem cum ita ſint, cum inſuper neminem fugiat Aribonem Palatinum Comitem Hartwici Palatini filium et ipſum Comitem *in Salzgouue* fuiſſe, valida omnino erit coniectura, Hartwicum Palatinum, quem tertium vocamus, filium fuiſſe Hartwici II. nepotem Hartwici I.

At enim vero tranſuerſum ſe nobis hic opponit Vitus Arnpeckius, recentior is quidem, ſed cui fidem eo minus denegandam eſſe cenſebunt cordati omnes, quo magis conſtat ipſum tractauiſſe monumenta venerandae antiquitatis quam plurima. Is ipſe igitur Vitus Arnpeckius fundationem Seonenſis Monaſterii dum narrat, annumque fundationis 994. nos edocet, quem alias ignoraremus, Aribonem IV. Seonenſem fundatorem diſertis verbis *Comitem Palatinum* nuncupat. Atqui indubius hic Hartwici III. in Palatino Comitatu praedeceſſor, eodem plane iure, quo Hartwicus II. Salzgouienſis parens ipſius dici poterit. Quin et nomen Aribonis filio Hartwici III. natu maiori inditum ſententiae huic opitulari videtur.

Qui nobis in biuio heic haerentibus ſemitam rectam indicare poſſet, teſtem idoneum habemus nullum. Coniectura igitur res erit expedienda. Notum eſt vel tironibus, et infra lib. VIII. abunde a nobis demonſtrabitur, *Comitiuam Palatii* foemineo jure de gente una ad alteram frequenter tranlatam eſſe. Proſtant de ſolo Rhenenſi Franciae Palatinatu, ſingulis omnino ſeculis duo pluraue aſſerti noſtri exempla: totidemque fere de Palatinatu Baioariae infra producemus. Oſtendemus porro vix non indubium eſſe Aribonem IV. Pal. Com. prole maſcula caruiſſe: Vidimus denique

 Hart-

d) Mon. Friſing. Meichelb. n. 1101.

Hartwicum II. utut Comitem Salzgouiensem, apud Hosios saepiuscule commorantem et cum Aribone nostro vicibus repetitis testimonia rerum inter Hosios et in fauorem Frisingensium actarum praebentem; sufficere haec utique possunt argumenta, ut Hartwicum III. Palatinum Comitem filium fuisse dicamus Hartwici II. Comitis Salzgouiensis, Hartwico autem II. patrem tribuamus Hartwicum I. Salzgouiensem aeque Comitem; socerum vero *Aribonem* IV. Palatinum Comitem ac Seonensis Monasterii fundatorem.

Ita sane Aribo V. Hartwici III. filius ab annalista Saxone iure summo dictus est oriundus *a famoso Aribone* Marchione, quippe qui stemma paternum referebat ad Sigehardum I. Salisburgensem Comitem, Aribonis Marchionis filium secundum, maternum vero genus a Iacobo I. ducebat, quem Ariboni Marchioni natum vindicauimus quartum.

Tabula XIII.

Aribo I. Marchio.

Sigihardus Comes Salisburg. † circa 920. vid. tab. IX.	Iacobus I. Aduocatus Frising. † circa 920. tab. X.
Engelbertus I. Comes Salisburg. † ante 940.	Aribo III. Comes Aduocatus Frising. a. 955.
Reginbertus Comes Salisburg. † ante 959.	Aribo IV. Comes Palatinus Aduocatus Frising. † circa 1010.
Hartwicus I. Comes Salisburg. a. 959. 963.	N. N. nupta Hartwico II. — Aribo Aepisc. Moguntinus a. 1021. p. seq. Cap. VIII.
Hartwicus II. Comes Salisburg. a. 980. 994. Vxor N. filia et haeres Aribonis IV. Comitis Pal.	

Hartwicus III. Comes Palatinus et Salisburg. † circa 1028. Vx. Frideruna Saxonica.	Papo Comes p. tab. XIV.	Sigehardus Comes p. tab. XII.

Aribo V. Comes Palatinus et Salisburg. † 1102.	Bobo Comes † 1104.

CA-





CAPVT OCTAVVM

SYNOPSIS.

Palatina Comitiua ita haereditaria fuit, ut eam ſortiretur Aribo adhuc minorennis; ſucceſſorem itaque habuit eum qui proximus haeres fuit poſt Botonem. Is fuit Cuno, Chuono vel Conradus. Filius fuit Poponis Comitis de Rota vel Pabonis Comitis in Chiemigowe, ut alias dicitur. Popo frater fuit Hartwici Comitis Palatini, natu maior Sigibardo. De Poſteris Chuononis Comitis Palatini inquiſitio, ex qua conſtat apud foeminas dotalem fuiſſe banc Comitiuam, adeo haereditaria fuit. Recenſentur praedia Chuononis de Rota Comitis Palatini et demonſtratur penes familiam, ad quam pertinuit, fuiſſe praedia ingentia in pago Hoſiorum coniuncta cum praediis prouinciisque ad Oenum, et in Orientali Baioaria.

§. I.

Miratus ſum, cum hactenus recitata ſcriberem, Aribonem qui anno 1102. obiit, anno iam 1041. Comitem Palatinum fuiſſe, uno et ſexaginta integris annis priusquam obiret, ſedecim omnino annis poſtquam Hartvvicus Palatinus Comes interfuiſſet largitioni a Chunigunda Imperatrice factae. *Paruulus* tamen erat, Annaliſta Saxone teſte, quando obiit pater, imo bimum vix ipſum fuiſſe coniicere eſt inde, quod frater ipſius Bodo demum poſt funera patris lucem aſpexit. Fruſtra igitur diceres, illius meritis praemii loco ceſſiſſe Comitiuam Palatinam. Adeptus eſt enim eam cum vix ado-

adoleuiſſet. Haereditarius ergo fuit omnino Baioariae Palatinatus et Ariboni V. eodem iure contigit quo haeres fuit ille patris Hartwici III.

Quod ſi concedatur nobis, et negare profecto audebit nemo, qui mores et leges ſeculi contulerit cum iſtis quae modo exſecuti ſumus, fatendum erit poſt Aribonem V. Comitem Palatinum eſſe debuiſſe eum, qui haeres fuit Aribonis, ſanguine proximus.

At Boto Palatinus Comes non fuit poſt fratrem: tacuiſſet ſane id muneris a Bodone geſti neutiquam Annaliſta Saxo, quem vidimus multum fuiſſe in ipſo laudando. Silentium tamen hoc ſolidioris probationis vim non habere haud diffitebor. Sed nec ea caremus.

Scilicet in diplomate [a] quo Heinricus IV. confirmauit fundationem Monaſterii Rotenſis reperimus fundatorem illius fuiſſe *Cononem Palatinum;* At vero datum eſt illud anno 1073. quo tempore viuebant, florebantque adhuc Aribo V. et Boto. Non fuit ergo Palatinus Comes Boto, cum ea praerogatiua, viuente ipſo, inſignitus fuerit Cono.

Hoc mihi diu conſtitit alia nulla autoritate freto: verebar tamen ut ſibi fingerent nonnulli Palatinam dignitatem a Comitiua diuerſam, cum forte in manus venit Tomus I. ſcriptorum e Muſaeo Ludewigiano editorum [a]. Ibi reperi inſtrumentum quo Fridericus quidam dedit Eccleſiae Bambergenſi inter alia praedia *Ibiſam. Teſtes per aures tracti iuxta Bauarorum morem fuerunt* PALATINVS

a) Meichelb. Hiſt. Friſing. T. I. p. 264. Hund. Metrop. T. III. p. 182.

a) col. 1121. et 1122.

TINVS COMES CHOVNO ET FILIVS EIVS *N. et caeteri.* Nota quidem temporis index deest in charta. Sed praefert nomen Guntheri Bambergensis Episcopi qui anno 1060. Adalberto successit, obiit vero post triennium anno scilicet 1063.

Ergo iam a⁰ 1060. et Aribo Palatinam Comitiuam abdicauerat, et Chouno vel Cono successerat, excluso Botone Aribonis fratre haud dubio.

Diploma Heinrici nos docet anno 1073. Cononem Palatinum Comitem adhuc dum fuisse, docet nos porro nomen filii eiusdem qui Cono dictus est et ipse.

Breui mirabimur quot et quantas ditiones Cono Palatinus in tota Orientali Bauaria habuerit, quae utique arguunt, originem eius ad Marchiones Orientales gentemque Aribonis V. decessoris sui, qui praepotens fuit ibidem, esse referendam.

Huius indicium mihi videor primum reperisse in charta *Razonis* siue *Rapotonis Comitis de Diezen* c. qua dedit propinquo suo Heriberto Presbytero bona sita in *Nandosheim.* Res domestica omnino haec fuit. At testes scripti sunt CHVNO, Guntpolt, Helmperht, Etzo, Hartwich, POTO, Magnus, Kepolfus, Ruotpertus, et alii. Primo quidem hic agnoscas velim testes qui commutationi ab Heitza factae interfuerunt filiosque eius duos. 2⁰ nonnullos qui cum Hartwicis fere semper comparent 3⁰ Potonem siue Botonem nostrum Aribonis fratrem, cuius nomen in Bauaria tunc unicum fuit 4⁰ denique Chunonem hunc nostrum qui praedia habuit in pago Hosiorum.

De-

c) Meichelb. n. 1219.

Dedit poſtea Heribertus Presbyter pro anima ſua ſuique Domini Razonis, partem praedii quod ab eo acceperat, teſtis iterum *Poto* ſeu Boto fuit cum Gebolfo et Iſangrimo, viris quos ipſa nomina ad Aribonianum genus reuocant, ne dubites omnino quin et Boto noſter cum ſuis conſanguineis teſtis fuerit, et Rezoni, ut conſanguineo, bis teſtandi officium praeſtiterit.

Hanc Heriberti largitionem ante annum 1059. factam fuiſſe ſcimus ex anno mortuali Nitkeri Ep. ſub quo facta eſt.

§. II.

Reperimus iterum Cononem ſeu Cuononem noſtrum in charta qua Piligrimus Comes poſt annum 1053. dedit Eccleſiae Friſingenſi praedium Muchun; conlaudantibus CVONONE *fratre Piligrimi* et eius filio *Cuonone*, qui etiam eamdem traditionem ſub „ hac faciebant et confirmabant conditione quatenus praedium „ *Cuono* et *filius* eius vel quilibet proximus haeres poſſet id in ſu- „ am poteſtatem redigere, ſi a communi fratrum oblatione aufer- „ retur; unde ſatis liquet, Piligrimum tunc alios haeredes non habuiſſe. Primus teſtis, ut par erat, CHVONO ipſe fuit.

Nouimus igitur *fratrem* CVONONIS qui Palatinus Comes fuit et pater alterius Cuononis. Sed aetas vetat ne dicamus eum fratrem Aribonis et Botonis; pater enim iam erat Cuno cum hi vix puberes eſſent; quodſi dicamus Hartwicum III. Palatinum Comitem duas habuiſſe uxores, primam ex qua Cuonem genuerit, Saxonicam alteram ex qua nati ſint Aribo et Boto, tunc ſane Chuno, utpote primogenitus, Comitiuam Palatinam ante Aribonem adipiſci debuiſſet.

§. III.

a) 1240

§. III.

Alius igitur pater Cuononi quaerendus eſt. Hunc reperiſſe tibi videberis in diplomate a. quo Heinricus III. confirmauit fundationem Monaſterii Geiſſenfeldenſis anno 1040. Hic enim inter teſtes legitur *Chuno filius Poponis*. Duos praeter hunc teſtes notabis ibidem Magonum ſeu Magnum de Frickendorff Aduocatum Eccleſiae Ratisbonenſis et Hartwicum de Perckouen, eumdem qui Aduocatus fuit Eccleſiae Geiſſenfeldenſis quia Heizae ſeu *Hadewigae* Eberſpergenſis filius erat. b. Sed quare, inquies, *Chunonem Poponis filium* magis credemus noſtrum eſſe, quam Chunonem de Eſchenback qui eiusdem diplomatis Heinriciani teſtis fuit, aut Chunonem de Vochburg qui fundationi ipſi teſtimonium ſuum addiderat?

At vero 1º reperimus PAPONEM quendam ſeu *Poponem de* ROTA in traditione Ebersbergenſi c. Et Chuno Palatinus certo certius Dominus fuit utriusquae ROTAE et in harum altera caſtellum ſuum habuit; qui igitur *Papo a Rota* cognomen habuit is idem eſt qui POPO PATER CHVNONIS 2º tibi ſiſto chartam d. donationis ab Adalperone Eberſpergenſi et uxore eius Rihlint factae in qua teſtes ita recitantur, POPPO COMES de ROTA et FILIVS EIVS CVONRAT. Nemo neſcit *Cuonrati* et Cuononis nomina unum idemque fuiſſe. Habes igitur quod heic nobis maxime optandum erat, Popponem ſeu Paponem COMITEM de ROTA (quod *Caſtrum fuit* CVONONIS *Palatini*) et PATREM *Cuonrati*, qui idem eſt ac Cuono vel Cono noſter Palatinus.

a) Hundii Metrop. Salisb. T. II. p. 245.
b) v. ſupra Cap.
c) n. 35.
d) n. 49.

Id nos reuocat ad ultimam confirmationem quam legerim praedii RIVT ad Oenum in pago Sundergowe et in quatuor Comitatibus fiti. Diploma de hac re [a] prae fe fert nomen Heinrici Imperatoris, qui fecundus fuit, et datum eft anno 1021.

„ Huius vi Heinricus confirmat Ecclefiae Ratisbonenfi *quam-* „ *dam curtem Riute dictam in pago Cbymengowe in Comitatu Pabonis* „ *Comitis fitam* „ Succeffit igitur Pabo uni ex Comitibus quatuor in quorum *Comitatibus* an. 980. *fitus fuerat locus* Riute. At in eum Comitatum fucceffit, qui viciniffimus fuit pago Salzgowe quem rexit ARIBO Hartwici III. filius quique idem ad Oenum usque pertinuit, complexusque eft regionem in qua conditum fuerat ante aliquot annos Seonenfe coenobium.

.§. IV.

Sed ne fcrupulum tibi moueat nomen PABONIS, quamuis illud cum Poponis nomine idem effe iam pridem conftet, adi largitionem Chunigundae [b] Imperatricis, et occurret tibi feptimus teftis POPPO COMES quem ratio temporis et dignitatis in hac Comitum caterua euincit eumdem effe quem vidimus nuncupari Popponem Comitem de Rota, et patrem Cuonrati.

Adi quoque Chartam Frifingenfem [a] in qua reperies *nobilem hominem* POPPONEM qui ante annum 1039. dedit Ecclefiae Frifingenfi praedia quorum alia compofita erant *Sclauanicis Hobis*, alia in *Debrozuelt*, alia ad *Trabum* fiue *Drauum* amnem, quae omnia indicant fitum in Carinthia et in Bauaria Orientali, et in ea regione quam irrigat Trauus fluuius. Teftes largitionis fuerunt Gunpolt et Hartwic (filii Heitzae feu Hadewigae)

Non

a) Pez. Thes. Anecd. Tom. I. P. III. col. 65.

b) Hift. Frifing. p. 219.

a) n. 1212.

Non dubito quin noster idem ille sit Papo qui duxit nobilem foeminam *Hazacham* [a] cum vidua esset Piligrimi, materque trium filiorum Heimonis, Paponis et Engildeonis. Testes traditionis ab *Hazacha* et PAPONE eius ADVOCATO et CONIVGE factae fuerunt tres filii *Hazachae* iam grandes natu, et insuper Papo et Vgo filii Dietrici, qui adhuc viuebat, et testis fuerat largitionis a Poppone ipso antea factae.

Iam denique dicendum erit quo omnis haec tendat oratio. Palatinam dignitatem haereditariam plane fuisse in aprico est, atque ulterius probabitur infra. Cuono noster viuente adhuc Aribone V. Palatino adeptus est illam quam Aribo abdicauerat Comitiuam, excluso vel saltem praeterito Bodone. Coniicere ergo licebit *Poponem* ipsius patrem, cum frater esse nequierit Aribonis V, fratrem fuisse Hartvvici III. Palatini ac Sigihardi IV. ut adeoque Chuono vel Cuonradus eiusdem filius proximus utique fuerit haeres Aribonis V. Comitis Palatini post Botonem, haeresque Aribonis IV. Palatini, cuius patrimonium quoque magnam partem ad Conradum nostrum transiuit.

Vnum obstat illud, quod Cuono Botoni Aribonis V. fratri praeferri non debuit. At inde, quod Aribo V. ad Carinthiae principatum euectus Comitiuam Palatinam abdicauit, arguere fas est Botonem quoque eodem tempore alium Principatum habuisse aut in ipsa Caesaris aula dignitate aliqua praesertim bellica decoratum Comitis Palatini munia (nam officium Comitiua haec magis erat quam dignitas) obire nequiuisse.

Botone igitur aut maiora tractante, aut munia Comitiuae Palatinae detrectante, translata ea fuit ad proximum haeredem, Cuo-

a) ibid. n. 1213.

Cuononem ſcilicet cuius pater Poppo Hartvvici III. frater iam obierat.

Duos Popponis filios fuiſſe iam diximus. Alter fuit *Cuono*, alter Piligrimus Comes de quo poſtea: Nomen huic a matre Hazacha, Senioris Piligrimi vidua, inditum fuiſſe videtur, ut primi coniugis memoriam veneraretur.

§. V.

Vt vero omne quod huc usque dictum eſt magis magisque confirmemus abſoluenda eſt Cuononis hiſtoria, detegendaque eius poſteritas.

„ Cono Palatinus, ut nos docet Heinricus, *habuit* duos LIBE-
„ ROS quibus ſubſtantiam ſuam diuiſit, CONONEM II. ſcilicet et
„ IRMEGARDAM, quae, cum marito traderetur, portionem ſibi de-
„ bitam accepit, et de parte reliqua omnem calumniam legitime
„ refutauit. „ Cono II. duxit uxorem Lotharingam, paterque Cono Palatinus et nurus cum filio Conone II. conſilium inierunt fundandi Monaſterii, cui ſua omnia collaturi erant praedia, ſi ex eodem marito Conone uxor Lotharinga liberos non generaret. „Euo-
„ lutis autem aliquot diebus ad ſeruitium Regis vocatur Cono II.
„ in bello cecidit et ſic omnis haereditas ad Monaſterii ius, cui
„ traditum fuerat rediit, nam *vidua* (Cononis) *nurus* (Palatini Co-
„ mitis) ſine prole remanſerat.

Traditio igitur praediorum abſoluta et confirmata fuit ab Heinrico Caeſare anno 1073. [a]

Irme-

a) Hund. Metrop. Salisb. T. III. p. 56.

Irmegarda interim nupſerat CHVNONI *Comiti de Megling*, cuius familia a loco *Vrantbenbauſen* ſeu Frontenhauſen nomen accepit. Huius habemus teſtimonium in charta Ebersbergenſi [b] ubi dicitur *Cbuno de Megelingen*, ſequitur eum frater *eius Meginbart*. Teſtis eſt traditionis factae a Burchardo nobili homine pro requie animae fratris ſui Chonradi occiſi. Dicam alibi hunc Chonradum eumdem eſſe quem Annaliſta Saxo et alii memorant patrem fuiſſe Conradi anno 1081. occiſi, ſicque et ipſum Palatinum fuiſſe, vocant enim Conradum occiſum *filium Conradi* PALATINI COMITIS.

Chuno III. de Megelingen ſeu Vranthenhauſen [a] ex Irmengarde Palatina praeter Cuononem IV. a. 1081. occiſum unam ſuſcepit filiam *Adilbeit* ſeu *Adelbeidem*, quae, inſcio primum et poſtea inuito patre, nupſit *Marcobardo* Comiti de *Marcartſtein*, qui Chunoni infeſtus diu fuerat: quod cum aegre ferret Chuno III. „ filiam non ſolum ſponſali iure non ditauit ſed et omni patrimo- „ nio ſuo penitus exhaeredauit.

At paulo poſt Marcohardus ſauciatus cum moriturus iam iam eſſet, dedit caſtrum ſuum Adelheidi, quae nupſit iterum Vdalrico Comiti *de Pactauia* (ſeu Pitten.) tertio Berngero Comiti de Sultzbach. Vdalrico Comiti peperit unam filiam *Vtam* quae nupſit Engelberto duci de Crayburg; hic ex ea pater fuit filiorum quatuor, Bernhardi ducis Carinthiae, Engelberti Marchionis Iſtriae, Hartwici poſtea Ratisbonenſis Epiſcopi, et Rapotonis Comitis de Crayburg.

Engilbertus ille Dux idem eſt qui anno 1068. [b] Comes fuit in pago ubi ſitum eſt Monaſterium Garſenſe, cum Aduocatus eſſet *Cbuno de Meglingen.*

 Hart-

b) n. 177.
a) Hund. ubi S.

b) Idem c. l. T. II. p. 89.

Hartwicus filius Vtae et Engilberti Episcopatum Ratisbonensem adeptus est; hinc et fratres eius a scriptoribus Ratisbonensibus eodem ordine nuncupantur, quo ipsos ex historia fundationis Pamburgensis monasterii recitauimus, praeterquam quod Rapoto dicitur Comes *Artenburgensis* seu *Ortemburgensis*, ita ut procul dubio idem ille sit Comes Rapoto de Ortemburg, a quo orti sunt Comites Ortemburgenses siue Crayburgenses, qui Palatini post Schyrenses euaserunt, insigni documento communicati Ortenburgicis per foeminas iuris quo ipsi Comitiuam Palatinam adepti sunt.

Quod cum ita sit nemo erit, ut puto, qui dubitet amplius Chunonem I. Palatinum proximum haeredem fuisse Aribonis V. post Botonem. Cum vero Hartwicus III. Aribonis pater habuerit fratrem Sigihardum IV. qui pater fuit Sigihardi V. anno demum 1104. occisi; sequitur inde Popponem seu Pabonem fratrem Hartwici natu minorem fuisse, Sigihardum IV. natu minimum.

§. VI.

Per has omnes tot tantasque ambages eo deuenimus tandem ut inuicte probare possimus gentem Aribonianam magnas ditiones possedisse in pago Hosiorum, siue, ut pridem dictum est, Lycum inter Isaramque ac Glanam et Alpes, queis accesserunt praedia ingentia et Comitatus ad Oenum in Carinthia et in toto fere Orientali Baioariae Regno.

Haec omnia nos docebit diploma quo Heinricus IV. confirmat fundationem Rotensis Monasterii a Conone Palatino Comite factam, praediaque illi donata enumerantur.

1. Ro-

1. ROTA in *quo eſt Monaſterium* (locus ad Oenum ſitus et praedium ſatis amplum)
2. in Parochia *Chemering* 30 manſi.
3. *Nuiuara* et *Ashe* (apud Hoſios.)
4. ROTA *quod adiacet Glone flumini cum Eccleſiis, decimis, terminis et appendiciis ſuis*
   (Multa omitto aut minus nota mihi aut quae prolixiore inquiſitione egerent)
5. *apud Halle Patellam ſalis.*
6. *Ad valles in monte qui dicitur Ritino* (montana Riud ubi Aribo quoque bona habuit)
7. in *Carinthia* Caſtrum quod dicitur *Vrſen* et circa Caſtrum 60. manſi.
8. *iuxta Muram* fluuium FLACHSAHA.
9. in *Marchia* iuxta *Rabam* fluuium *Chuniberge.*
10. *in Oriente Breittenowe* etc.
11. iuxta Danubium verſus Vngariam *Viskabegemunde* etc.
12. in Tongowe Curia.
13. *Vltra Chambe, Coſtingen et Neaswertingen.*
14. *iuxta fluuium qui dicitur Naba Vndechesdorff.*
15. *Curia Ratisbonae.*
16. *in Sueuia Villa Eslingen.*

Hanc villam et praedia ad Nabam et ultra Chambe ſuſpicor iure dotali in domum Cuononis perueniſſe. At ne nimis morer lecto-

lectorem inftar omnium eft ROTA AD GLANAM, locus *apud* Hofios noftros celeberrimus, et a Villa INXEMOS haud longe diffitus, quam villam fufpicor magis quam afferere audeo effe caftrum Hegnemos a quo Aribo cognomen fumpfit.

Conftat igitur ingentia praedia ad Oenum in Carinthia et in Orientali Bauaria coniuncta fuiffe apud Aribonis pofteros cum agris in pago Hofiorum fitis.

Conftat caftrum *Burgili* quod Aribo IV. cognatus Heinrici Ducis, mutauit in coenobium, poftea Seonenfe dictum, patrimonium fuiffe Aribonis Marchionis et in mediis agris et ditionibus fitum, quorum diuites fuerunt Aribonis Marchionis pofteri haud dubii.

Illa vero fi conftant nemo erit, opinor, quin concedat I°. Aribonem I. Marchionem effe eum qui apud Frifingenfes laudabilis Comes dictus fuit.

2°. ac proinde Aribonem I. Marchionem oriundum fuiffe ex pago Hofiorum.

3°. Hunc Aribonem I. cuius pronepos COGNATVS fuit *Heinrici Ducis* ex *Juditha Arnulfi* Ducis filia, confanguineum utique fuiffe *Luitpaldi Marchionis*, et fratrem omnino, ut dixit vetuftus fcriptor.

4°. Cum denique Aribo Adalberti II. haeres fuerit ideo afferi debere *Luitpaldum* Marchionis Aribonis fratrem Adalberti quoque filium fuiffe.

Illa

Illa ſunt quae probanda ſuſceperam maiore deinceps induſtria imo et ſucceſſu a doctiore illuſtranda, ſed ita pro viribus tractata, ut nec plane ſpernenda ſint noſtra, nec poenitenda. Eo minus vero credidi temperandum mihi eſſe ab hac inquiſitione, quod obiter haud pauca collegi quibus et hiſtoria Baioariae et Genealogia Schyrenſium illuſtrari aliquando poterunt.

§. VII.

His vero addere velut ex abundante libet aliquam confutationem nugarum, quas multi interque eos Hundius [a] operoſe congeſſerunt, ut Ariboni IV. Seonenſis coenobii fundatori, quem absque prole maſcula defunctum eſſe nobis perſuaſum eſt, filios tribuerent quinque 1. *Rapotonem Comitem de Hohenwart* qui cum Hemma coniuge fundauit anno 1081. Monaſterium Hohenvvart, *Thierhauptam* vero ad Lycum coenobium reſtauraſſe dicitur a. 1022. cum fratre Gebehardo. 2. *Gebehardum* Epiſcopum Ratisbonenſem qui a. 997. cum fratre *Rapotone* Monaſterium Prül in ſuburbio Ratisbonenſi fundauit.

3º Fridericum cuius uxor fuit Chunigunda fundatrix Dieſſenſis Coenobii.

4º Arbonem vel Aribonem Archiepiſcopum Moguntinum ab A. 1021.- 1031. et Sigmarum Comitem de Hauſen.

De Rapottone alibi dicam; interim vero ex ſola temporis ratione cadunt omnia quae ipſi attribuuntur.

a) Stammb. P. 1. p. 23.

De Friederico longe alia est mea sententia, ut postea videbitur.

De Gebhardo I. huius nominis Episcopo, ut asserit Hundius b. non secundo, ut alii volebant, dicere nunc vacat. Constanter inque diuersis operibus asserit Hundius eum Comitem fuisse *de Hohenwart* familiae *Andechsensium*. Optime docet alioquin, ex Hermanno Contracto, Gebehardum hunc I. anno 1023. obiisse; male vero ad successorem eius Gebhardum II. refert quod de Gebhardo I. dixit Hermannus, eum *quibusdam moribus et munditiarum ornatusque consueto quodam amore famosum fuisse*, sed errorem Auentini, quem laudat, errauit Hundius.

Omnes consentiunt Gebehardum I. successorem fuisse S. Wolfgangi anno 994. defuncti. Quisquis igitur Episcopus Ratisbonensis dictus est intra annos 995. et 1022. is fuit Gebehardus noster.

At legimus in vita Heinrici II. ab Adelboldo scripta *Ottonem Ducem Carentanorum et Veronensium Comitem* missum fuisse in Italiam contra Harduinum, cui adiunctus est Otto filius Heriberti.

„ Intera, pergit ille, *Harduinus* cum Longobardis superue-
„ nit. Otto cum Teutonicis obuiam venit, fit congressio, fit pug-
„ na, fit caedes ex utraque parte grauissima, et pene Theutonico-
„ rum quamuis paucissimorum esset victoria si non impediret Ot-
„ tonis fratris Regensburgensis Episcopi fuga, illo nempe fu-
„ giente Theutonicorum acies minuitur, et iterum a multis con-
„ gressa deuincitur.

Si

b) Metrop. Tom. III. p. 82. et Tom. I. p. 130.

Si iubes omnino Epiſcopus ille Ratisbonenſis qui turpiter fugit anno 1002. frater fuit Ottonis illius qui dictus eſt filius Heriberti: ſed tunc vis inferenda eſt Adelboldo, quod nefas puto. Conſtat itaque ex ſcriptore coaeuo et qui id neſcire non potuit, Gebehardum Regensburgenſem Epiſcopum fratrem fuiſſe Ottonis illius qui Dux „ *Carentanorum*, *Comes Veronenſium*, *et filius erat Cunradi Ducis*, *qui ad fluuium Lech contra Vngarios pugnans ſub Ottone Magno Imperatore occiſus eſt*, *habuitque ex Luitgarda filia eiusdem Imperatoris*, *filium hunc de quo loquimur Ottonem.* c. Ottonis itaque huius frater fuit Gebehardus I. Epiſcopus Ratisbonenſis, cuius nomen ipſum cum origine omnino congruit.

Mirum quidem huc usque ignotos fuiſſe natales adeo illuſtres Gebhardi I. Epiſcopi Ratisbonenſis, ſed multo magis mirum, qua fiducia tot viri eruditi uno ore nuncupauerint Gebhardum filium Aribonis et fratrem Ratpotonis, niſi ex monumento quocumque illud eruerunt; at monumentum nec producitur in hanc rem ullum, nec exſtare poteſt, cum ſciamus nunc Gebhardum ex inclyta familia ducum Francorum oriundum fuiſſe.

De Aribone Archiepiſcopo Moguntino concedam libentiſſime, conſanguineum aut ex filia nepotem eum fuiſſe Aribonis fundatoris Seonenſis, cum, praeter nominis rationem, videam Chunradum Regem nonnihil conceſſiſſe *Monaſterio Sewe dicto ob interuentum ac petitionem dilectae* Coniugis ſuae videlicet Giſilae Reginae et Aribonis Moguntinae ſedis Venerabilis Archiepiſcopi a.

c) Annal. Saxo ad an. 1062.

a) Hund. Metrop. Tom. III. p. 238.

§. VIII.

Sigemarus Ariboni hac una de causa datus est, ut opinor, filius, partim quia Comes fuit ubi volebant ditiones suas habuisse Andechsenses illos fictitios a Ratholdo Notho, si Diis placet, oriundos, partim quod Aduocatus erat Monasterii Benedictoburani, ut postea fuerunt Andechsenses.

Hac aduocatia functum fuisse Sigimarum arguit charta commutationis [b] cuius vi SIGIMARVS ADVOCATVS HVIVS loci recepit Buocheim a Gotehelmo Abbate cui dedit villam Hochstatt (in Praefectura Starnbergensi) Gotahelmus Abbas obiit anno 1062. Regimen inierat anno 1032. [c]

Intra hos igitur annos vixit Sigemarus Aduocatus quem Comitem quoque fuisse certum est ex diplomate Heinrici IV. [d] qui anno 1065. Abbatiam Burun sitam esse ait in *Comitatu Sigemari Comitis*. Adeo vero non fuit Sigemarus hic filius Aribonis quod praeterea pugnat cum temporis ratione, ut e contra optime nouerimus patrem eius et matrem, quemadmodum alibi dicemus.

Operae tamen pretium est hic notare, Sigemarum hunc eumdem esse qui in traditionibus coenobii Ebersbergensis dicitur filius *Willibirgae*, hanc vero Willibirgam uxorem fuisse VDALSCALCHI II. de quo Libro VIII. agetur.

Di-

b) Chronic. B. Buran. P. II. n 5.
c) Chron. B. Bur. c. 5.
d) Hist. Frising. T. I. P. I. p. 259.

Diuerſus ab hoc fuit ille Sigemarus qui vixit anno 1085. et in cuius Comitatu in pago Huſin dicitur ſitum fuiſſe Monaſterium Hegibach a Nortperto Epiſcopo Curienſi fundatum *in ſuo proprio et baereditario agro.* a.

Sigemarus ille idem eſt qui coaeuus fuit Ratmundo Abbati Burano ante annum 1074. inſtituto, mortuo vero cum annus eſſet a Chriſto nato 1090. De hoc poſtremo Sigemaro teſtimonium habemus luculentum, ex quo conſtat quam oſcitanter aut infeliciter Hundius nonnunquam vetera inſpexerit monumenta. Ita enim ille b.

„ In vetere fundationis libro Monaſterii Burani reperitnr Co-
„ mes Adalbertus, cuius filius Sigmarus iunior tertius Aduocatus
„ Monaſterii, eius Vxor Gertrudis, filiusque Adalbertus tempo-
„ re Heinrici IV. Imperatoris. „

Ita vero ſe res habet iuxta monumenta Burana a Meichelbeckio edita. c.

Cum Heinricus IV. regnaret, Ratmundus Abbas, Sigimarus Aduocatus eſſet, vixit *nobilis homo Adalbertus nomine*, cuius nepos fuit Adalbero, filius Sigimari Comitis. Adalberti uxor Gertrudis cum Adalberone, poſt mortem Adalberti, fecit traditionem ſibi a patruo vel auunculo commendatam. *Teſtes* fuerunt *Sigimarus Comes et filius eius Albero*, incertum huc usque eſt, fueritne Adalbertus frater an ſororius Sigimari.

a) Hund. Metrop. Tom. II. p. 268.
b) Stammb. P. I. p. 24.
c) Pars ſec. n. 19.

Adhuc viuebat Ratmundus Abbas cum obiit Adalbero, et ex traditione, a. quam pro anima sua fieri iusserat, scimus fratrem illi fuisse Sigimarum patri cognominem. Sic enim in Codice Burano:

„ Sigimarus iuuenis Comes Tertius, Aduocatus noster tra-
„ didit praedium in Phrumare pro se et pro anima fratris sui Adel-
„ beronis interfecti „

Illa igitur series est horum Comitum, quae quantum differat a serie quam instituit Hundius palam est.

Sigemarus I. Aduocatus Buranus coaeuus fuit Gotahelmo Abbati qui obiit anno 1062. vixit adhuc anno 1065. Sigemarus Secundus huic successit paterque fuit Sigemari III. iuuenis et Adalberonis.


At Comitatus quem gessit Sigemarus II. anno 1085. tractus etiam in quo Sigemarus I. praedium habuit in pago Housi idem est ubi anno 1010. ut docet diploma b. Heinrici Regis Comes fuerat Adalbero Eberspergensis. Coniectura itaque legitima erit Sigimarum vel potius Vdalscalchum patrem eius unum fuisse ex cognatis illis Eberspergensium, inter quos diuisa fuit amplissima ditio huius potentissimae gentis. De Adalberone Comite quo petente Heinricus III. concessit diploma a. quod in calce habet annum 1048. infra dicetur; monuisse hic sufficiat ipsum patruum fuisse Sigemari I.

Sed

a) n. 20.
b) Meichelb. n. 1154.

a) Chron. B. Bur. p. 39.

Sed quo rectius illa omnia cohaerent eo certius est Sigimarum I. filium non fuisse Aribonis fundatoris Seonensis. Matrem veneratus est certissime Willipirgam. Coniux huius fuit Vdalscalchus II. ante Sigimarum Comes in tractu Burano, ut postea probabimus. Non fuit itaque Sigemarus filius Aribonis.



Tabula XIV.

Tabula XIV.

Comites Palatinos Baioariae ad a. usque 1080. exhibens.

Aribo III. Comes Frising. a. 955. p. tab. X. et XIII.	Reginbertus Comes Salisburgensis †. ante a. 959. p. tab. IX. et XIII.
Aribo IV. Comes Palatinus Baioariae post restauratum Palatinatum quem nouimus primus † circa 1010.	Hartwicus I. Comes Salisburg. † post 963. ante 990.
N. N. Filia Palatinatus haeres nupta Hartwico II.	Hartwicus II. Comes Salisb. A. 994. seq. nescitur an et Comes Palatinus. Vxor N. filia Aribonis IV. Palatini Comitis

Hartwicus III. Pal. Comes † circa 1028.	Popo Comes de Rota viuit a. 1021. 1040. Vx. Hazacha.	Sigehardus Comes † post 1060. p. tab. XII.

Aribo V. Pal. Comes Palat. abdicat circa a. 1060. † 1102.	Bodo Comes † 1104.	Cuono s. Conradus I. de Rota Comes Palatinus a. 1060. † post. 1073.	Piligrimus Comes.

Cuono II. occisus a 1073. vivente adhuc patre	Irmgardis uxor Cuononis III. Comitis de Meglingen et Frontenkausen et Comit. Palat.
Cuono IV. a. 1081. occisus.	Adelhaid nupta Marcardo de Marquartstein. 2. Vlrico de Pitten 3. Berengario de Sultzbach.

Vta Vxor Ducis Engelberti de Crayburg Ducis Karinthiae.

Bernhardus Dux Karinthiae	Engelbertus Marchio Istriae	Hartwicus Episcopus Ratisb.	Rapoto de Ortenberg, unde recentiores Baioariae Palatini.

LIBER

LIBER SEXTVS.

De Luitpaldo Marchione Augustae Boiorum Gentis Satore, eiusque praediis ac cum Carolingis necessitudine.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS.

Luitpaldus nepos Arnulphi Regis fit Marchio Orientalis post exauctoratum Engildeonem, cuius plerique honores in eum transferuntur. Recensentur. Infortunium Engildeonis et Hildegardis, quae neptis quoque seu potius patruelis erat Arnulfi, unum idemque fuit. Probatur hanc regiam matronam cum Engildeone ita coniunctam fuisse, ut uxor eius credi possit et debeat.

§. I.

Dicturus nunc tandem de Luitpaldo ipso Marchione Orientali, principium facere omnino debeo a laudando unico scriptore, qui certum aliquid de eius origine, primoque fortunarum

incremento memoriae prodidit. Ita ſcriptor Annalium Fuldenſium ad annum 895. Engildico Marchenſis Bajoariorum honoribus priuatus eſt, „ in cuius locum LVITPOLDVS NEPOS REGIS ſubrogatus eſt.

Si plures honores habuit Engildico et iis omnibus auctus eſt Luitpoldus; maximi noſtra intereſt nouiſſe qui fuerint illi honores.

De Marchia Orientali jam conſtat. Sed coniectura vel potius admonitio ſuperuacua non erit ſi addiderimus. „ *Engilſcalcho* illi *audaciori iuueni* qui Marchenſis in Oriente factus eo proteruiae „ deuenit, ut omnes primates ſibi infenſos faceret et iudicio eorum „ obcaecaretur, ſuffectum eſſe Engildiconem anno 893. a) „ ſicque eum non ſupra biennium Marchiae Orientali praefuiſſe. Alios eius honores nobis exhibent diplomata quae adire in promptu eſt.

§. II.

Primum ſe nobis offert diploma b) Carlomanni Regis, anno tertio regni eius datum, quo conceſſit Presbytero cuidam agrum ſitum in villa SAMVTESBACH (forte Schambach) IN PAGO *qui dicitur* TONOGEWE IN COMITATV ENGILDEONIS. Fuit igitur Engildeo *Comes in Tongaw*, cum viueret adhuc et regnaret Karlomannus, Ludouici Germanici filius.

Alterum

a) Annal. Fuld. ad a. 893.

b) Pez. Theſ. Anecd. Tom. I. Pars III. Col. 27.

Alterum diploma c. eſt Arnolfi Regis anno 890. ſcriptum de lite quae mota fuerat Monaſterio S. Emmeramenſi, et ad *quam abſoluendam iuſſit Rex ut quidam fideles ſui* agrum quendam in pago QVINZINGOWE *peragrarent* in Comitatu Hunolfi. Inter alios Inquiſitores illuc ablegatos numerabis Comites complures, quorum primus fuit ENGILDEO COMES. Id vero magis dignationem quam prouinciam Engildeonis indicat.

Melius ſe res habet cum charta a. ab Anamado nobis relicta, qua ipſe Epiſcopo Ratisbonenſi Ambrichoni dedit, quod ab Arnulfo rege acceperat *in pago Weſtermanno-Marcha nuncupato* IVXTA PROINTALA *in loco* REITINPVCH in COMITATV ENGILDEONIS COMITIS. Haec charta mire congruit cum eo, quod Lib. III°. Engildeonem filium fuiſſe diximus et ſucceſſorem *Rodoldi* Comitis vel *Hrabtoldi*, Ducis qui praefuit transactioni de praedio in Reitinpuch initae; ſed ea pars ditionis eius poſtea coniuncta fuiſſe videtur cum praefectura Ratisbonenſi, quam collatam vidimus Paboni Engildeonis patrueli.

Paulo poſt ſequitur alia charta b. qua Erinpertus quidam dedit eidem *Ambrichoni* ſuam proprietatem *in Comitatu* ENGILDEONIS COMITIS in loco qui dicebatur *Scarnasbowa*.

De ſitu pagi *Tonegowe*, cui Ratisbona Ciuitas accenſebatur, non eſt quod dicam, niſi ampliſſimum fuiſſe illum, ut mihi quidem videtur, pluresque pagos minores complexum, ſicut et alios complectebantur pagi maiores, quos *Nortgoue*, *Sundergowe*, et *Ousgowe* nuncupabant.

Rr 2 De

c) ibid. col. 33.

a) Lib. II. Trad. S. Emm. ap. Pez. ub. S. col. 281. c. 29.

b) ib. cap. 33. col. 281.

De Westermanno - Marcha nescio utrum assentiri debeam Abbati Gottwicensi, vel potius cuinam ex opinionibus illius, nam ipse sibi non constat; hunc enim pagum ait, eundem sibi videri qui *Westergowe* quoque dictus est, et pars Sundergowiae fuit, de *Westermanno* pago vero scribens hallucinatur *Reitenpuch*, locum in hoc pago situm, esse *Raitenbuech* in moderno Palatinatu superiore, prope oppida Hohenfels et Parsberg. Fateor hanc opinionem multo magis placere quam illa probari potest, quippe quae sola nominis affinitate nititur. Dicam alibi cur mihi placeat. At, si praeferenda est, habuit Engildeo Comitatum et in Nordgouia.

Fuit igitur Engildeo Comes in Donagowe, siue in pago Danubiano, fuit Comes in Nordgowia: fuit denique Marchio Orientalis, hocque honore triplici priuatus est aut priuari debuit anno 895. Cum vero Luitpaldus in eius locum suffectus dicatur, sequi videtur inde triplici honore et hunc donatum fuisse. Nec nos coniectura fallit omnino.

Obliuiscebar loci Scornashoua dicti et in Comitatu quoque Engildeonis siti, omisso pagi nomine. Gottwicensis opinatur, et recte, locum hunc hodie Schroshouen esse inter oppida Parsberg et Kalmuntz.

Sciscitemur nunc quae fuerint ditiones Luitpaldi Marchionis.

§. III.

§. III.

Primum occurrit diploma [a] Ludowici Infantis an. 901. datum, quo conceduntur agri regii in pago Weſtermann in COMITATV LVITPOLDI prope villam quae dicitur *Maetingan*. Tranſiit igitur hic pagus in ditionem Luitpaldi poſt exauctoratum Engildeonem, aut eo mortuo.

Suſpectum nonnullis fuit diploma [b] quod ſequitur ab eodem rege an. 903. datum, et in quo villa *Teorinoboua* contigua loco *Sentilabach* dicitur ſita IN PAGO NORDGEWI IN COMITATV PABONIS LVITPOLDI. Hiare hoc quidem videtur diploma: ſed non capio cur magis eiiciendus ſit e Nordgouia *Luitpaldus* quam *Pabo*, qui alium quoque Comitatum habuit in Donegowe. Credo igitur praedium *Teorinoua* ad duos Comitatus pertinuiſſe, ut *Ruita* ad quatuor Comitatus, ut alia ad plures pertinebant, et legendum hic eſſe in Comitatu PABONIS et LVITBOLDI.

Nusquam reperio Luitpaldum ditiones habuiſſe in *Donegowe*, ſed illud hac una de cauſa non eſt negandum, quia fieri potuit ut huius rei monumenta aut non extiterint aut nobis exciderint.

Quod cum ita ſit, Luitpaldus reipſa in locum Engildeonis ſubſtitutus, et omnes eius honores aut ſaltem pleroſque conſecutus eſt.

a) Codex Diplom. Ratisb. apud Pez. Vbi S. col. 38.

b) col. 38. et 39.

§. IV.

At poſtquam id dixit ſcriptor Annalium Fuldenſium ſubdit ſtatim:

„ Hildigardis filia Hludovvici Francorum Regis contra fide-„ litatem Regis agere accuſata, inde publicis honoribus depoſita, „ in Baioariae quadam inſula palude *Chiemieſe* nominata incluſa „ eſt. „

Regino non aliter rem narrat, anno tantum mutato. Ita enim ille ad annum 894. „ Per id tempus Hildegardis *filia Ludouici* „ Regis fratris Carolomanni et Caroli a quibusdam coram Arnol-„ pho accuſata, regiis poſſeſſionibus priuatur et priuata in exilium „ deſtinatur in Monaſterio puellarum quod *Chemiſſem* dicitur, ſed „ non multum poſt temporis in gratiam rediit, et ſua ex maiori „ parte recepit.

Hermannus Contractus reſtituit tempus a Fuldenſi ſcriptore indicatum, remque ita narrat ſub anno 895. „ Arnulfus *Hildigar-„ dam Ludouici Regis patrui ſui filiam, cuius maximo molimine, de-„ iecto Carolo, Rex factus* fuerat, exilio damnat.

Nemo, quem nouerim, huc usque ſuſpicatus eſt coniuncta fuiſſe infortunia *Engildeonis* et *Hildigardae*. Suſpicatus ſum iam olim, ex eo tantum, quod eodem tempore utrumque contigit; aſſerendi vero anſam ſubminiſtrat diploma [a]. Arnulfi quod in Co-

a) Falckenſtein Cod. Dipl. Nordgau. Vet n. 9.

Codice Eichſtettenſi, qui pars eſt Antiquitatum Nordgauienſium, reperi.

Sententia diplomatis illius inſignis ea eſt. Erant in pago Nordgevv in *Comitatu* CHELDIONIS Villae inter alias Pfaldorff et Gundolfing dictae, quas *Megingozus* Vaſallus Epiſcopi Erkenboldi in proprietate habuerat. Has vero villas HILDEGARDIS neptis noſtra, inquit Arnulphus, et ENGILDICHT COMES *nec non et Hago vicarius eius et Aduocatus praefatae Hildegardis fraude mali ingenii Megingozo abſtulerant.*

At anno 895. ineunte menſe Maio, Waldo Epiſcopus Friſingenſis, qui plurimum apud Regem poterat, deprecatus eſt eum, ut praedia ablata Megingozo in proprietatem, ut antea poſſederat, redderet.

„ Arnulphus tactus clementia, reminiſcens quoque infidelitatis eiusdem neptis ſuae, qua contra ſe et regnum ſuum res nouas machinari conata fuerat; hincque cum concilio et iudicio Francorum, Bauarorum, Saxonum, atque Alemannorum, omnibus, quae poſſidebat, legaliter ademptis, inter caetera amiſit ea quae Megingozo erepta fuerant. *Arnulphus*, inquam, iis rite perpenſis, *praedia praedicta quae iniuſte et fraude ingenii inuaſerat Hildegardis* ab eius dominatione retraxit, et deliberato animo Megingozo, ut antea habuit, in proprietatem reddidit.

Coniunctae fuerunt igitur fraudes Hildegardis et Engildeonis. Nam Cheldio et Engeldicht nomina ſunt corrupta, quae ad illud Engildeonis referri debent. Coniuncta vi Megingozum

ſpo-

ſpoliaverunt, eodem miniſtro uſi, Hagone nimirum, qui Vicarius Engildeonis idem et Aduocatus Hildegardis erat; Coniuncta quoque illorum poena fuit.


Dicamus audacter coniunctam quoque fortunam fuiſſe, eademque conſilia utrique, hinc et addamus Comitem et matronam regiam, quibus omnia fuerunt communia, connubio quoque coniunctos eſſe debuiſſe.

Habemus interim ex quo conficere poſſimus *Engildeonem in Nordgouia Comitem fuiſſe* illic ubi *Pfaldorf* adhuc dum exſtat, illic *etiam ubi eſt Eichſtettenſis Ciuitas*: Hunc vero ipſum *Comitatum Luitpaldo* quoque contigiſſe poſtea probabimus.

Vix mirari ſubit Hildegardam ab Arnulpho neptem nuncupatam fuiſſe, cum filia reuera eſſet Ludouici II. quem Arnulphus veneratus eſt patruum. Fuit illa patruelis Arnulphi, quem conſanguinitatis gradum, nepotis neptiſue vocabulo ſaepius deſignatum fuiſſe, in vulgus notum eſt.



CAPVT



CAPVT SECVNDVM

SYNOPSIS.

Adducuntur rationes, quibus conficitur Luitpaldum non ex matre aut patre sed ex coniuge nepotem fuisse Arnulfi regis. Exploditur omnino uxor Saxonica quae Luitpaldo data est a Gewoldo, sed sine autore. Conceditur Luitpaldi uxorem fuisse Chunegundam Sueuicam. Sed negatur ex ea natum esse Arnulfum Ducem. Huius mater fuit matrona Carolingica. Dubitatur an filia Hildigardis et Engildeonis an soror, magis placet sororem fuisse.

§. I.

Hildegardae Arnulfi Regis nepti, seu potius eius coniugi Engildeoni suffectus est Lvitpaldvs et ipse Arnvlphi nepos.

Si mores seculi illius diligenter scrutatus fueris, agnosces dignitates viris principibus ademptas ut plurimum proximis eorum haeredibus cessisse, ne scilicet familia praepotens sibi magis iniuriam, quam reo poenam infligi doleret, et ex iusta animaduersione bellum graue perduellionesque orirentur.

Nepos Arnulphi Regis fuit Luitpaldus, aut reipsa, voce nepos proprio sensu accepta, aut eodem iure nepos, quo Hildegardis Arnulfi dicta est neptis, aut denique quia Arnulphi duxerat neptem.

Arnulphi ex fratre sororeue nepotem fuisse Luitpaldum adeo non credo, ut illud quam maxime negare audeam.

1° enim nescimus an Arnulpho frater fuerit sororue, et si fuisse sciremus, vix concedi posset Arnulfo soror ea aetate nata ut anno 895. filius ipsius, Luitpaldum puta, tutandae Marchiae par esse, anno vero 908. ipsius nepos Arnulfus, Luitpaldi filius, iam pridem adoleuisse potuissent. Arnulfus quippe nasci debuit anno ad minimum 883. Luitpoldus itaque anno 860 iunior vix est dicendus. Sic autem mater Luitpaldi anno 842. aut circiter nasci debuisset, quae omnia cum Historia aeui illius vix aut ne vix quidem congruunt, quamuis non repugnent omnino.

2° Si Luitpaldus reipsa nepos Arnulphi fuisset, aut sororis eius aut fratris filius dicendus esset, tuncque profecto sciremus cur Ludouicus, filius Arnulphi Regis, Luitpaldum Marchionem *propinquum* suum compellauerit, at nesciremus cur ita nunquam salutauerit Aribonem, qui frater Luitpaldi, nec Isangrimum, qui nepos illius fuit. Superesset ut diceremus, aliam Ariboni matrem, aliam Luitpaldo fuisse; sed sine autore diceremus utique et eo magis temere, quod Adalbertus II. Comes Aribonis pater post annum 857. nusquam comparet, quo tempore soror Arnulphi si unquam habuit ullam, viro matura esse omnino non potuit.

Cauebimus igitur ne dicamus Luitpaldum Arnulfi, ex sorore plane ignota, nepotem fuisse.

§. II.

At potuit forte nepos esse eo sensu quo Hildegarda neptis, patre nempe aut matre Carolingica natus. Patre certo certius natus non fuit Carolingico. Negant id omnes huius aeui annales,

les, negant ſcriptores quotquot affirmant exſtinctum genus Carolingorum fuiſſe, cum Ludouicus Infans ſine prole obiiſſet.

Matre Carolingica naſci potuit Luitpaldus; Non enim conſtat omnium regiarum puellarum nobis nota eſſe nomina ac fata, ſed obſtat iterum quod nec Aribo frater, nec Iſangrimus, Luitpaldi nepos, propinqui Regii nuncupati fuerint.

Reſtat ergo ut dicamus, Luitpaldum matronam regiam in thoro habuiſſe, eamque neptem fuiſſe Arnulphi, ut erat Hildigardis.

Haec ſententia eo magis mihi placet quod 1º Luitpaldus nepos Arnulphi ſic eſſe potuit eo honore cum fratre et nepote non communicato.

2º Sic manet ſua autori vetuſto fides qui dixit, veteres Bauariae Duces *originem ſuam traxiſſe ab antiquis Regibus et Imperatoribus.*

3º Quo minus in abſtruſam remouemus antiquitatem et ſalebris genealogicis perfundimus originem huius parentelae, eo magis et ambitum Arnulphi Ducis excuſamus, et fidem conciliamus ſcriptoribus qui parentelae illius meminerunt.

4º Palam facimus, cur Arnulphus nepotis appellatione Luitpaldum nunquam dignatus fuerit, ſcilicet quia reapſe illius nepos non erat.

5º Deprehendimus denique qua de cauſa Ludouicus Infans eum propinquum ſemper, nunquam conſanguineum, aut patruelem aut conſobrinum nuncupauerit, nunquam vocem quodam-

modo facram mutauerit, quia nempe affinis tantum aut *propinquus* ex connubio cum matrona Regi confanguinea, erat.

§. III.

Sed fatis faciendum eft iis qui Luitpaldo duas uxores tribuunt, utramque longe diuerfam a matrona Carolingica.

Fuerunt qui unicam uxorem darent Chunegundam filiam Erchangeri Nuntii Camerae, in Allemannia, affererentque ex ea natum fuiffe Arnulphum Ducem; addebant, et recte, Chunegundam poftea nupfiffe Chunrado Regi.

Id vero omne haud fine autore dicebant, cum ob oculos haberent annales Hepidanni Sangallenfis Chronographi, qui fcripfit *Arnulphum Ducem nepotem fuiffe Nuntiorum Camerae in Allemannia Erchangeri et Bertholdi.*

At praeterquam quod Hepidanno recentiori utique et minus accurato fcriptori integra fides habenda non eft, fieri potuit ut nepotem is ofcitanter diceret, qui nouercam tantum agnouerat fororem eorum quos auunculos illius fuiffe opinabatur.

Hoc faltem fufpicari fas erat: afferere omnino debuiffent recentiores fi probe perpendiffent Arnulfum Ducem anno 907. patri fucceflorem datum, iuuentutem iam tunc induiffe, anno vero 917. quo Regi ipfe rebellauit virum fuiffe. Iam vero conftat Chunegundam, Luitpaldi viduam, anno demum 913. Cunrado Regi tunc improli nupfiffe [a]. ficque quod ridiculum eft, dicendum foret

a) Regin. Contin. ad h. a.

ret, vetulam anumque copulatum illi Regi, qui haeredes non habebat. Chunegunda enim fere quinquagenaria esse debuisset anno 913. quo Conrado I. nupsit, si mater fuisset Arnulphi Ducis.

Id animaduerterunt recentiores nonnulli originum nostrarum scrutatores, quos inter Gewoldus [a] siue id sensisset, siue alio instinctu motus, adduxit in Baioariam Adelhaidem filiam Ottonis Saxoniae Ducis, sororemque Heinrici Aucupis, eamque desponsauit Luitpaldo, matrem futuram Arnulphi et Berchtoldi Ducum. Nescio quo autore id dixerit Gewoldus, sed nuspiam apud Saxonicos scriptores ne minimum quidem vestigium huius connubii deprehendere potui. Quin et sat famosae sunt Heinrici Aucupis cum Arnolfo Duce concertationes, abunde a scriptoribus bene multis recitatae. Sed ne ullus quidem eorum est qui dixerit auunculum cum nepote bellum gessisse: Et putasne id neglecturos fuisse Monachos Annalistas, Arnulfo Duci infensissimos, quod argumentum certissimum erat quo odium ipsi compararent? Nec silentio praetereundum est illud, Heinrici Aucupis filium duxisse Iuditham Arnulfi Ducis filiam, suamque ergo, si Gewoldo fides esset seruanda, ex patruele neptem. At vero connubium hoc ex moribus seculi X. fere incestuosum fuisset. Sed quid moramur in confutanda fabula, quam improbat ipsa rei impossibilitas. Demonstrauit egregie Eccardus [b] Ottonem Saxoniae Ducem anno demum 873. connubio iunctum fuisse *Hadwigae* seu *Heilwigi*; constat praeterea ex Wittichindo Corbeiensi Heinricum Aucupem obiisse sexagenarium adeoque a. 874. natum. Haud potuisset ergo ante a. 875. in lucem edi *Adelhaidis*, illa Luitpaldi, si Diis placet, coniux, quae vero, quo pacto mater esse quiuerit Arnulfi Ducis si

a) Hund. Metrop. Salisb. T. II. p. 101. b) in notis ad Agii vitam B. Hatmuodae p. 39.

ſi minimum dicas, a. 882. nati, id mihi quidem perſpectum eſt neutiquam.

Conſtare igitur debet fabuloſum eſſe connubium Luitpaldi Marchionis cum Adelheide Saxonica Ottonis Ducis filia, et ſolam Chunegundam uxorem eius eſſe, nobis huc uſque notam. Illa tamen Arnulphi Ducis mater eſſe nequiuit; licet haud aegre faterer fuiſſe Berchtoldi, qui et Arnulpho aliquot annis ſuperſtes fuit, et nomen Berchtoldi a patruo Chunigundae accepiſſe videtur.

§. IV.

Aliunde ergo quaerenda eſt mater Arnulpho Duci, et petenda, ut puto, ex gente Carolingica. Leue forte, non tamen aſpernandum omnino, momentum noſtris addit rationibus, quod Arnulpho Duci filius, Iudithae frater fuit *Hludowicus*. Diſcimus nomen virumque ex charta Ratisbonenſi [a]: „ qua *Venerabilis pa-* „ *trona ac ſanctimonialis* IVDITHA *tradidit una cum manu* FILII SVI „ HEINRICI DVCIS *talem proprietatem qualem* FRATER EIVS HLVDVVI- „ CVS ſibi ſeruiendo in poteſtate habuit . . . eo tenore VT IPSA „ DOMINA ET FRATER EIVS HLVDVWICVS in *ſeruitium habuerant et utan-* „ *tur usque ad finem vitae ſuae* „

Arnulphum Ducem ita nuncupatum fuiſſe in gratiam Arnulphi regis haud abſurdum eſt dicere, cum nomen hocce Carolingis ſacrum quodammodo fuerit, quippe qui ad Arnulphum Metenſem Epiſcopum originem ſuam referebant, qua vero de cauſa Arnulphus uni e filiis nomen HLVDOWICI impoſuerit, niſi Ludoui- cum

a) Pez. ub. ſ. Col. 62.

cum quemcumque inter maiores habuit, non video; hoc ſaltem ideo contigiſſe ſuadent ſeculi mores, ſuadet NEPOTIS appellatio Luitpaldo data, qui, ſi neptem Arnulphi in thoro habuit, aut filiam Hludowici III. Saxoniae primum, dein et Baioariae Regis, aut ex filia neptem thoro aſciuerat.

§. V.

Arrideret mihi omnino coniectura de filia *Hildegardis* et Engildeonis Ludouici III. neptis quam Luitpoldus duxerit, et quae neptis Arnulphi ex conſobrina fuerit, niſi obſtaret temporis ratio.

Certum eſt ex Annalibus Bertinianis poſt annum demum 865. uxorem legitimam Ludouico Regi contigiſſe. Ita enim in his annalibus ad hunc annum: „ *Hludowici Germanorum Regis filius* aequiuocus contra patris *voluntatem* filiam Adalardi deſpondit, unde „ *ſatis* patris animum offendit. Pacificati tamen *ſunt* pater filiusque menſe Nouembri (ut Annales Fuldenſes perhibent) ea conditione, ut iam ultra Adalardi filiae non copularetur. „

Luidgardam igitur Brunonis et Ottonis Saxonicorum principum ſororem nonniſi poſt hunc annum duxit Ludouicus, et credere eſt duxiſſe eam aliquo poſt tempore quam patri reconciliatus eſt. Sane Ludouicus Ludouici III. et Luidgardae filius puerulus adhuc erat [a]. „ *anno* 880. *quando Ratisbonae de feneſtra cecidit* „ *et confractis ceruicibus ſtatim expirauit.*

Sed quare coniecturis indulgeo, cum conſtet ex diplomate Gandersheimenſi [b]. *poſt mortem demum Ludolphi Ducis, Brunonem et Otto-*

a) Regino ad an. 882. b) Leuckfeld Antiq. Gandersh. c. 14. p. 99.

Ottonem Duces adiuisse Ludowicum regem, ut ad eum ducerent sororem suam, quam ab iis Rex accepit.

Idem testatur Hroswita in suo Panegyrico. c. Scimus vero Ludolphum an. 869. obiisse; id quod fidem conciliare videtur omnino Gobelino Personae qui anno 19. Ludouici Imperatoris qui erat 873. aerae nostrae celebratum fuisse, ait, connubium Ludowici Regis et Luitgardae.

Sed quo serius contigit matrimonium Ludowici cum Luidgarda Saxonica, eo certius est Hildegardim, quae in deponendo Carolo Crasso, et subrogando illi Arnulpho egregiam huic operam nauauit, filiam non fuisse Luidgardae.

Certum est autem Ludowicum III. seu Iuniorem diu antequam Luitgardae coniungeretur pellice usum esse, eaque forte Adalardi filia, quae amica eius nuncupatur et quam, ex ea iam pater, legitime dotare ducereque voluit. Pellicem habuisse prole beatam docent scriptor Annalium Fuldensium et Regino.

„ Ille ad annum 880. in proelio cum Nortmannis *conserto occubuisse*, ait, HVGONEM filium Regis Hludouici.

Regino prolixius rem ita narrat: „ *Hugo*, inquit, *filius Regis* „ *ex pellice natus*, cum incautius dimicaret grauiter vulneratus, ab „ hostibus rapitur et inter aduersariorum arma recidit. Rex exi- „ stimans quod adhuc filius viuus ab inimicis seruaretur exerci- „ tum (a pugna) iubet cessare, ut quocumque pacto illum in- „ columem recipere possit (at) diluculo surgens, cum filium ex- „ stinctum reperisset nimio dolore afficitur, corpus eius in loco com-

c) cap. Reuberum.

„ compositum ad Lorisheim Monasterium imperat deferri, ibique „ tumulari.„ Haec satis superque probant Ludowicum pellice usum fuisse diu ante quam uxorem acceperit; hincque verisimile omnino mihi videtur Hildegardim ex eadem Ludouici amica natam fuisse.

Quod si nobis concedatur, facile obtinebimus Hildegardis filiam et Luitpaldo nubere et Arnulphi Ducis ex eo matrem euadere potuisse. Ludowicus sane Germanicus, quo minus anno 823. Carlomannum, anno sequente Ludowicum Iuniorem seu III. genuerit, vetat nihil. Ergo circa annum 842. adultus iam fuit Ludowicus Iunior, et ut ferebant mores illius aeui pellicem sibi asciuisse videtur, uxorem aliquando futuram si patri placeret, thoro cessuram si iusserit id pater. Omnia hic urgemus, non tamen penitus citra rationem seculi et temporis. Sic autem Hildegardis nasci potuit circa a. 844. Engildeoni nubere a. 862. et proxime sequente mater esse filiae circa a. 880. Luitpaldo nostro desponsandae: quo pacto Arnulphus 26. annum aetatis aut attigisse aut compleuisse omnino potuit, quo tempore patri successit.

Certum est Hugonem, qui in prima acie dimicauit contra Nortmannos, cum in munitionem sese recepissent, qui longe a paternis oculis in hostium manus deuenit, et patri tamen carissimus fuit, certum est, inquam, hunc acrem bellatorem supra adolescentem fuisse anno 880. quo occubuit. Si triginta anni conceduntur illi, Hildegardis, vel duobus tantum annis maior, auia esse perquam commode potuit Arnulphi Ducis, quem anno demum 886. natum dicere haud foret absurdum.

Verum enim vero aliam rationem conficiendae huius affinitatis inire possumus, dum Hildegardi et Hugoni sororem damus quae Luitpaldo nupserit, quam quidem praeter temporis rationem commendare etiam videtur *Engildeonis* patria. Boium fuisse ipsum, imo et Hosium superius dictum est; vix igitur mihi constat, quo pacto vir Boius uxorem acceperit virginem Saxonicam Ludouici III. filiam, antequam Ludouicus ipse defuncto fratre Carlomanno a. 880. Baioariae Regnum sortitus esset. Nec adeo planum est Ludouicum qui anno 865. summo in filiam *Adelardi* flagrabat amore, per viginti et quod excurrit annos ea iam tunc usum fuisse. Pronior ergo est utique coniectura qua Hildegardem circa annum 860. eius autem sororem, quam duxit deinceps Luitpaldus circa annum 861. ex filia Adelardi natas, utramque vero inter 880. et 882. annos illam Engildeoni, hanc Luitpaldo collocatas fuisse asseremus. Sic eodem prorsus iure, eodem pacto, quo Hildegardis dicta est neptis Arnulphi Regis Luitpaldus quoque eiusdem dictus est nepos; sicque subsistere omnimodo poterit nostra de uxore Luitpaldi Carolinga opinio, etiamsi euerteretur, difficile quidem illud, quicquid de connubio Engildeonis et Hildegardis exsecuti sumus.

§. VI.

Iam dixi quam solemne tunc fuerit ut honores reo adempti, proximo haeredi, qui insons erat, darentur. Omnes autem Engildeonis prouinciae, aut fere omnes, Luitpaldo collatas fuisse vidimus. Nihil praeterea arctius excogitari cum possit vinculis, quibus Hildegardis Engildeoni coniuncta erat, illa tamen, quod ma-

maxime notes velim, ob anticipatam Engildeonis haereditatem, nequaquam auerſata eſt Luitpaldum.

Auerſatam non eſſe, immo amiciſſimam fuiſſe euincit vita S^{ae} Walburgis a Wolſhardo Presbytero ſcripta [a].

„ Accidit quodam tempore, inquit ille, ut HILDEGARDA „ Domina, PACIFICI REGIS LVDOWICI FILIA orationis gratia cum „ LVITPOLDO FAMOSISSIMO COMITE ad iam dictum Monaſterium „ (Monheim cui praeerat Liubila) deueniret. (Hildegarda) „ cum *ſciret* et *crederet* multa *ibidem facta* eſſe et pene quotidie „ fieri miracula, adduxit mutum ut, ſi ſanaretur, audita aper- „ tius crederet .... LVITPOLDVS quoque, ut ſuſpicor, non di- „ ſpari deſiderio tactus commeantem ſecum detulit claudum. „ Vbi dum eadem nocte quieſcerent etc. LVITPOLDVS poſtea dicitur „ VENERABILIS COMES; duo debiles curati aſſeruntur. Tertius „ etiam curatus fuit praeſentibus HILDEGARDA et Luitpoldo „ His „ ternis, *duo* praecipue *deſiderantes* viſis miraculis redierunt ad „ ſua, iſta narrantes e plurimis „ Id contigit certo certius poſt annum 895. elapſum, nam libro III. Wolſhardus narrat miracula hoc anno facta, IV° vero, ex quo noſtra hauſimus, ea quae ſequentibus annis, quos tamen non notat, contigerunt; cum tamen praeeſſet, ut antea, Liubila, idemque Eichſtettenſis antiſtes eſſet Erchanbaldus, cui librum ſuum inſcripſit Wolſhardus.

Nemo igitur inficias ibit Hildegardim ita cum Luitpaldo coniunctam fuiſſe, ita amice vixiſſe, ut minime decuiſſet, nec ſe-

 culi

a) Acta SS. Bolland 25. Febr. Wolſhard. Mirac. S. Walb. Lib. 4. c. 1. §. 8.

culi mores tulissent, nisi Luitpaldus gener ipsius aut saltem per sororem affinis fuisset, isque ipse cuius precibus debuit illa ab exilio absolutionem et integram fere bonorum, quibus spoliata fuerat, restitutionem.

Peregrinatio alioquin longinqua non fuit si Luitpaldus, ut mihi constat, successerat Engildeoni in Comitatum, qui Eichstettense territorium aut complectebatur aut confine habebat, in Comitatum, inquam, illum cuius vicarius fuit *Hago*, idem et Aduocatus Hildegardis.

Nomen uxoris ex qua Luitpaldus Arnulphi pater fuit, nemo a me quaeret. Bertham tamen aut Iuditham aut Adelhaidem dictam fuisse suspicor. Iuditham quidem, quia unica filia Arnolphi, quam nouerimus, hoc nomen gessit, Bertham vero alia de causa mox exponenda, Adelhaydem denique, ut vel ex hoc pacto saluetur aliquantum fides *Gewoldi*, qui legit fortassis alicubi Adelhaydem eandemque Saxonicam nupsisse Luitpaldo, unde confecit ille Adelhaidem suam Ottonis Saxoniae Ducis filiam, quam Ludouico III. Saxoniae Regis natam iure meliore dicere debuisset.

Erunt forte qui mihi obiiciant silentium scriptorum coaeuorum. Sed eos rogabo utrum nouerint duas Ludouici Germanici filias quas ex amica suscepit, et si nouerunt, fateantur parum abfuisse, ut ignorarent. Fateor ipse mihi ignotas fuisse quousque euoluens Tomum II. Scriptorum Ludewigianorum [a] incidi in diploma Ludowici Regis anno 25° regni eius siue anno 850. vel 858. datum, ex quo discimus, Ludowico amicam fuisse quandam *Ibydradam quae rem proprietatis suae id est Monasterium Schwartzach Monasterio Wirzeburgensi dederat ea ratione*, pergit *Ludouicus*, *quatenus dilecta filia nostra* HILDEGARDA *ipsum Monasterium usque ad obitum suum*

a) col. 10.

„ *um haberet. Hildegarda iterum petiit ab Arno Episcopo* ut BERHTA „ SOROR SVA (altera LVDOVICI FILIA VT IPSE eam nuncupat) *idem* „ *monasterium ad dies vitae haberet.*

En tibi exemplum quo docemur nos multa nescire, et scriptorum silentio abuti, quando praesertim agitur de puellis regiis quae a matribus non reginis, natae fuerint.

Viden quoque cur suspicer Luitpaldi uxorem BERHTAM dictam fuisse, si soror fuit *Hildegardis* nostrae. Si filia, quod minus credo, Hildegardis et ipsa dici potuit.

Illa sunt fere quae de Luitpaldi maioribus et regia propinquitate inuestigare aut hallucinari potui, libenter in aliam opinionem transiturus si meliorem aut ipse excogitare, aut a quolibet alio mutuari potuissem. Nihil, ut mihi videtur, in hoc systemate pugnat aut cum historia saeculorum quae obiui, aut cum ratione temporum, aut denique cum testimonio probatissimorum scriptorum. Omnia vero cum omnibus optime mihi videntur congruere.

Ostendi Duces Baioariae post Agilolfingos antiquissimos, origine Boios, fere probaui, omnino Hosios fuisse, siue EX NOBILISSIMA GENTIS GENEALOGIA POST AGILOLFINGOS, ut legis Boicae verbis utar. Non parum lucis historiae Arnulfi Caesaris suffudisse mihi videor. Dixi qua ratione Luitpaldus eius nepos fuerit, cum non esset Aribo, Luitpaldi frater; quo pacto *idem propinquus* fuerit Ludowici Infantis, cum non esset Isangrimus, Aribonis filius. Palam feci denique, quam recte scripserit autor antiquus [a]. qui *Bauariae Duces* originem duxisse ait, ex antiquis regibus et Imperatoribus.

a) vid. Mausol. S. Emmeram. Tom. I.

Tabula XV.

Ludouicus Germanicus, Germaniae Rex †876.

CarlomannusBaioariae Rex † 880.

Ludouicus III. Saxoniae et a. 880. Baioariae Rex †882. Vx. Luitgard. Pellex. N. filia Adalardi Comitis.

Adelbertus II. Comes in Trungau † circa 860.

Arnulfus Germ. Rex et Imp. † 899. neptis eius vocatur HILDEGARDIS, consobrina NEPOS LVITPALDVS, consobrinae maritus.

Hildegardis nupta EngildeoniMarchioni a. 895. proscripto dicitur NEPTIS ARNVLPHI Regis

NN. nupta circa a. 882. LVITPALDO Marchionis Engildeonis successori, qui hinc NEPOS audit Arnulphi Regis.

Luitpaldus Marchio Vx. N. Ludov. III. filia hinc ipse auditNeposArnulfi regis, PROPINQVVS Ludovic. IV. Regis.

Aribo Marchio Carolingicae genti nullo modo coniunctus.

Ludouicus IV. Rex Carolingorum ultimus † 911. Propinquus eius fuit Luitpaldus Marchio.

Arnulphus Baioariae Dux Carolingorum sanguine per foeminas ortus.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS.

Diplomata nonnulla recenſentur, quibus Luitpaldus Marchio a Ludowico Rege propinquus compellatur.

§. I.

Dixi quo pacto mihi videatur Luitpaldus Ludowici Infantis propinquus fuiſſe, aut potius qua ratione nepos fuerit Arnulfi Regis et Imperatoris. Nullum enim adhuc dum attuli aut teſtimonium aut diploma quo conſtaret de illa propinquitate. Res adeo trita eſt ut pene refugiam operoſum magis quam difficile argumentum. Exequar tamen, ne quid omiſiſſe videar quod omittendum non fuit.

Ex nonnullis diplomatibus quae laudabo adhuc, et aliis quae iam laudaui, elicere eſt Iſangrimum, Aribonis filium, eiusdem *propinquitatis* conſortem non fuiſſe, quod, ut dicebam, maximi momenti eſt, ubi quaeritur de origine et natura huiuſce propinquitatis.

§. II.

Primum mihi diploma ſuppeditat Codex Ratisbonenſis Pezii, a. quo Ludouicus IV. Rex anno 903. quasdam res proprietatis ſuae trans-

a) Thes. Anecd. Tom. I. P. III. Col. 38. et 39.

transfudit in ius et proprietatem Tutonis Episcopi Ratisbonensis *per consensum et consilium Episcoporum*, *Venerabilium Pontificum Adalberonis et Erchinbaldi*, *imo etiam* inquit ille, *et reliquorum fidelium nostrorum* LVITBALDI scilicet PROPINQVI NOSTRI ac *Cunpoldi Comitis*.

Statim sequitur aliud diploma [b] in quo nuncupantur fideles Comites *Luitboldus*, Cunpoldus, IRINGVS, nulla facta mentione propinquitatis.

Vnicum diploma Fuldense [c] in quo Luitbaldus Comes nuncupatur, caret propinquitatis dignatione. Datum fuit XIIII. Kal. Aprilis anno 907.

§. III.

Alterum diploma subministrat mihi Gewoldus [b] inter Passauiensia monumenta. Datum fuit XIV. Kal. Februarii anno Domini 900. Ind. IV. anno vero regni Reg. Ludewici 1º „*Richarius Patauiensis scilicet Praesul per quorundam procerum nostrorum*, *Adalberonis quoque Reuerendi Antistitis ac studiosissimi Nutritoris nostri*, *et* „ *Waltonis Frisingensis Episcopi*, *nec non* LVTWALDI ILLVSTRIS COMITIS ET DILECTI PROPINQVI *nostri interuentum Regalitatis nostrae* „ *eminentiam lamentando interpellans*, *eo quod saeuiente proh dolor! paganorum impugnatione*, *quaedam pars Dioecesis suae*, *ubi S. Floriani* „ *Martyris monasterium constructum esse dignoscitur*, *ex improuiso deuastata est*, *deprecans*, *ut ciuitatem illam quam fideles nostri Regni pro* „ *tuitione patriae nouiter in ripa Onasi fluminis in proprio iam dicti martyris*, *partimque in terra* PRAEFECTVRAE TERMINALIS *statuentes construu-*

b) col. 40.

c) Shann. Trad. Fuld. n. 547.

b) Hund. Metrop. Salisb. T. I. p. 234.

„ *ſtruxerunt ad ſupradictum ſacroſanctum locum traderemus. . . . At*
„ *nos. . . decreuimus ita fieri, eamdemque ciuitatem cum omni appara-*
„ *tu munitionis ſeu utilitatis cum conuenientia* TERMINALIS COMITIS
„ *contulimus atque tradidimus.* * *Inſuper etiam quicquid ſeruus noſter qui-*
„ *dam nomine Perbart in aquilonari parte Danubii. . . in ipſa marca*
„ *tenuit, eidem Sancto perpetim firmamus.*

Hoc diploma fere integrum hac de cauſa exhibui quia terminalis ille Comes idem videtur eſſe qui Luitpaldus, eoque magis quod non nominatur.

Laudaui iam diploma Altahenſe [a] quo Ludouicus ait, admonitum ſe fuiſſe per Luitboldum, Sighartum atque Iringum Comites, caeterosque natu maiores et conſiliarios ſuos, nullo de propinquitate Luitpaldi verbo addito.

§. IV.

At inſtar fere omnium eſt optimae notae diploma quod edidit Meichelbeckius [b] in hiſtoria Friſingenſi, et cuius vi data fuit curtis Veringa Epiſcopo Friſingenſi a Ludouico Rege ut pie annueret *Interceſſioni fidelium* inquit, *noſtrorum Diotbmari* Archiepiſcopi, Zachariae Epiſcopi, Tittonis Epiſcopi, LVITBOLDI ILLUSTRIS COMITIS ET CARI PROPINQVI NOSTRI, *Sigibardi* etiam, Cundpoldi, ISANGRIMI et Meginhardi Comitum. Datum fuit anno 903.

Hoc diploma eo magis notatu dignum eſt quod non ex hallucinatione, ſed ex diſerta mentione habemus *Iſangrimum propinquitatis dignatione carentem*, ubi *Luitbaldus* et COMES ILLVSTRIS ſeorſim et CARVS PROPINQVVS nuncupatur.


Pars I. U u Of-

a) Hund. Metrop. Tom. II. p. 14. b) Part. 1. p. 151.

Offert tamen eadem Frisingensis historia [a]. aliud diploma anno 906. in quo Luipoldus non extra ordinem nec cum propinquitatis mentione nominatur.

§. V.

Qui vero ex eo quod perpetua non fuit propinquitatis mentio arguere vellet, male factam fuisse in illis litteris quas recensuimus, litigandi auidam mentem magis quam veritatis assequendae cupidam proderet. Quot sunt enim diplomata in quibus cognati et propinqui regum certissimi carent illa honesta nuncupatione? Ipse ille Conradus qui post Ludowicum Infantem regnauit quoties solo Comitis axiomate contentus fuit! quamuis Ludouicus in diplomate anecdoto, quod iam laudaui, eum nuncupet *Comitem* suum atque PROPINQVVM, constetque apud omnes fere eum Ludouici reuera propinquum fuisse. Non morabor igitur amplius in hoc argumento, nec poenitebit nonnulla omisisse in re adeo trita.



CAPVT

a) p. 151.



CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS

Tollitur dubitatio quae oriri posset ex eo quod nescimus ubi Comes fuerit Luitpaldus antequam Orientalem Marchiam adipisceretur, probaturque, salua dignitate, carere eum Comitatu potuisse. Additur porro coniectura in Alpibus Comitatum habuisse Luitpaldum, quem filius eius natu minor Berchtoldus post eum habuit, ubi praedia quoque habuerunt eius consanguinei. Coniicitur etiam Luitpaldum in Orientali Baioaria cum Aribone fratre Comitem fuisse. Asseruntur ipsi ibidem praedia. De Alberico Comite, qui pleraque sua ad Anasum et Trunnam possedit et patruelis fuit Arnulfi Ducis, quod huc usque ignoratum, ex monumentis vero anecdotis nunc primum eruitur.

§. I.

De ditionibus Luitpaldi, quas sortitus est, postquam Marchiam Orientalem Engildeoni ereptam obtinuerat, inquisitio omnis superuacanea est, ut eius originem adstruamus qualem eam fuisse contendimus. Ad eius posteros inuestigandos multo magis pertinet.

Torquebit tamen nonnullos quod non indigitauerimus ullum Comitatum cui praefuerit Luitpaldus antequam Marchiam Orientalem adipisceretur. Hanc quidem curam friuolam ac vanam pronunciare liceret utique, cum neminem lateat praenobiles tunc fuisse viros eosque late potentes, qui nec prouincias sortiti sunt un-

quam, neque Comitiuam ambierunt, utpote quae muneris magis esset, quam dignitatis index; Proceres praesertim Palatinos non poenitebat hoc titulo, quamdiu viuerent, caruisse. Inter hos enim fuerunt profecto Comites Palatini, ut et Comites stabuli. At Comitem Palatinum noui qui, dempta hac Comitiua, nonnisi Vassus Dominicus erat, adeoque nec prouinciae nec pago quidem praeerat. Talis esse potuit omnino Luitpaldus, Regio fere connubio dignus, quamuis nulli unquam Comitatui praefectus fuisset.

Palatinis proceribus dabantur praedia ingentia et ditissima aut beneficiario iure aut propria ipsis et soboli futura. Priuilegiis Comitum gaudebant iure Trustae, seu quod Antrustiones essent. Magnis praediis, numerosis clientibus plerique, natalium iure, pollebant, domique pares fere Regibus aestimabantur. Qui Trustam Regiam non ambierant (nec enim iuuabat omnes clientela etiam Regia, et prosperae adscribebant fortunae ipsi Reges, cum unus ex iis Trustam eorum non dedignaretur) illi, inquam, *liberi* erant et ita dici amabant, aut *liberae* vel *liberrimae conditionis* viri. Ii mores erant patrum nostrorum non poenitendi Germanis illis quos delineauit Tacitus.

Hosii vero Proceres, nam de iis maxime agitur, eo minus et Comitiuam et ipsam Regis Trustam ambire debuerunt, quod ex natalium praerogatiua ea dignatione, ea, ut aiebant, COMPOSITIONE fruebantur, quae eos Comitibus saltem aequaret.

At pulchre quidem excusare videbimur nonnullis vitium sententiae nostrae; dum, ne cogamur indigitare Comitatum Luitpaldi auitum, probare contendimus Comitatu eum carere potuisse. Erunt qui negabunt ulla Luitpaldi in Baioaria extare vestigia ante annum

annum quo Marchiam adeptus eſt, deſperabuntque noſtram defendi legitime poſſe opinionem, qua natales eius ad Hoſios retulimus. Nec deerunt qui, verum falſumque nullo diſcrimine habentes, velitationum tantum modo curioſi, materiam diſputandi inde deſumant.

Vtrosque oro meminerint quam parum coniecturis indulſerimus, quin et indiguerimus ubi actum eſt de maioribus Aribonis I. in utraque Baioariae parte et Comitibus et Dominis, quam validis argumentis Luitpaldum et Aribonem fratres fuiſſe demonſtrauerimus, quamque parum conſtare poſſint omnes, quotquot excogitatae fuerunt huc usque opiniones, quamdiu conſtabunt illae rationes noſtrae.

Odi profanam audaciam; volo ut a coniecturis temperetur ubi coniecturis opus non eſt, illaeque, ſi quando adhibentur, veritatis ſupplementum ſint et adminiculum, non excidium.

Vbi vero nihil ſtatui poteſt expectanda ſunt monumenta, quae adhuc deſiderantur, interimque veritas, quae ultro ſe offert amplectenda, ſanc̃teque retinenda atque fouenda.

§. II.

Has leges quae mihi ſacroſanctae ſunt non violabo, ſi coniecturis indulſero de conditione et fortuna qua Luitpaldus uſus eſt antequam Marchio euaderet.

Prima eſt, et nemini ſano poenitenda, Comitatum vel ſaltem praedia praecipua Luitpaldum illic habuiſſe, ubi alter e filiis eius, quos nouimus, Comitatum habuit, quem Engildeo non poſſederat. At Berchtoldus Dux, frater Arnulfi Ducis, Comi-

tatum ſuum habuit in Baioaria Alpina, id quod poſtea probabo. Quid vetat quo minus aſſeramus Luitpaldi Comitatum fuiſſe eum qui eius filii fuit, et filii quidem natu minoris, quia natu maiori contigerunt honores Engildeoni adempti, aut ab eo poſt fata re-relicti. Accedit his, id quod iam probaui, *Aribones* et *Iacobos* Hoſios et Friſingenſes viros, eosque Aribonis, qui frater Luitpaldi fuit, poſteros haud dubios in montanis et in Hallenſi tractu, praedia ampliſſima habuiſſe.

Si minus habemus monumenta quibus conſtet Luitpaldum illic Comitem fuiſſe, ubi fuit filius Bertholdus, tribuenda eſt ſeculo haec penuria, ſperarique adhuc poteſt eam ſubleuatum iri, ſi quando emerſerint ea, quae Brixinae, Tridenti, Salisburgi, et in aliis huiuſce tractus domibus ſacris adhuc dum latent.

§. III.

Altera coniectura nec aſpernenda eſt, Luitpaldum illic fere Comitem fuiſſe, aut ſaltem praedia non modica et beneficia habuiſſe, ubi frater eius, Aribo, et Comes fuit et Marchio; ipſum porro operam iam dudum nauaſſe egregiam tutandae patriae antequam Engildeonis limitem adipiſceretur, utpote qui cum fratre verſaretur, illicque praedia haberet ubi verſari debuit, et clientes alendi fuerunt ut hoſti ſaepe repentino commode occurreretur.

Habeo quidem in monumentis Salisburgenſibus a. LEWPOLTVM *liberum hominem* qui dedit medietatem proprietatis ſuae *ad Holzhuſſ*, ubi fere *Adalbertus* et *filius eius haeres* ſeu Aribo *tradiderunt*

a) Caniſii Lect. antiq. Tom. III. P. II. P 473.

runt quod habuerunt proprietatis. Et quamuis de aeuo huius Lewpolti et conditione diſputari queat, quia nonniſi liber homo dicitur, et largitio eius memoratur ante eam, quam fecit Adalbertus, nonnihil egiſſe mihi viſus ſum, cum hoc nomen in eo tractu reperiſſem. Hoc vero argumentum integrum relinquo, relinquendumque cenſeo quamdiu non conſtabit periiſſe omnia huius aeui monumenta apud Salisburgenſes.

§. IV.

Alia via ineunda eſt nobis, expeditque meminiſſe poſteros Aribonis *ad Oenum* et ad *Saltzam praedia habuiſſe praecipua.*

Monere praeterea debeo, quod iam plus vice una exemplis adſtruximus, aliis innumeris, ſi neceſſum foret, adſtruendum, ſcilicet ſolenne fuiſſe quotiescumque largitio fiebat in gratiam Monachorum vel Canonicorum, ut ſanciretur, *nullam fore et irritam largitionem ſimulac aut Epiſcopus aut alia perſona eam infringere vellet*, tuncque rem datam ad largitorem aut eius haeredes proximos redire debere; quae quidem lex cautelam aequitatemque ſummam prae ſe ferebat. Atqui famoſum iam eſt in his Commentariis praedium Rivt iuxta Oenum fluuium ſitum.

Id dederat *Warmunt* Comes Monachis Emmeramenſibus a. ante annum 959. quo per interuentum Michahelis Epiſcopi Ratisbonenſis Otto I. idem praedium „*noſtro*, inquit, *Regio Banno*, „ *noſtraeque poteſtatis adiumentis praedictis Monachis cum omni inte-* „ *gritate ſuper illorum annona conceſſit*, *ea tamen ratione*, inquit ite- „ rum, *ut ſi Epiſcopus eidem Monaſterio praeſidens*, *aut aliqua potens perſo-*

a) Cod. Ratisb. Col. 53.

„ *persona hanc traditionis firmitatem violenter infringere voluerit, cuncta* „ *quae tradita fuerant*, REDEANT IN IVS et POTESTATEM DOMINAE „ IVDITAE et FILII EIVS HEINRICI DVCIS SEV IPSORVM HAEREDIS „ PROXIMI. a)

Quisquis haec mature perpenderit dubitare prorsus non poterit quin Iuditha Arnulfi Ducis filia haeres fuerit *Warmundi* Comitis proxima, praesertim si Warmundum vixisse adhuc demonstrauero, quo tempore sancitum est id quod modo recitauimus.

Obstare quidem videtur, quod Iuditha fratres habuit qui Warmundo propiores quodammodo erant ex praerogatiua sexus.

At enim vero praerogatiua illa aut exigua aut nulla fuit quoties de praediis agebatur; et vero haud absimile est id connubio Heinrici fratris Regii cum Iuditha datum fuisse, ut ipsa haeres esset prae fratribus suis, quos proscriptos et exleges factos in gratiam ea lege receptos fuisse hallucinamur, ut quod Iudithae eiusque filio datum fuerat priuilegium, id ratum foret.

Nescimus vero huc usque quis fuerit aut quando vixerit ille *Warmunt Comes*. Dixit Auentinus Dynastam Wasserburgii fuisse et obiisse anno 1010. quod ex Auentino quoque exscripsit consarcinator Mausolaei Emmeramensis.

At Auentinus aut probare debuisset annum Warmundi emortualem, aut fides ipsi adhibenda omnino non fuit. Diploma Ottonis I. modo citatum iam a. 959. refert, et quod magis est leguntur in eo haec ipsissima verba: *quasdam res quas* IAM ANTEA *quidam*

a) Lib. Probat. p. III

quidam Comes nomine Warmunt illis ſupra annonam ſibi deputatam pro requie ſuae animae tradidit etc.

Vixit itaque iam et Comes fuit Warmunt ante annum 959. adeoque credat Iudaeus Apella eum non obiiſſe ante annum 1010. ſed 50. et quod excurrit annos ſuperſtitem fuiſſe confirmationi Ottonianae largitionis, quam ipſe *pro requie animae ſuae fecerat.*

Liceat tamen mihi de morte Warmundi ſollicito minus eſſe, magisque curare quando vixerit.

Laudaui iam diploma anecdotum quod penes me eſt, datumque fuit hoc ipſo anno 959. quo Otto I. Canonicis Salisburgenſibus donauit repetita vice quod iam dederat ipſis Ludowicus *locum* nempe ſui iuris Grabanastat, *per interuentum Fridarici Iuuauenſis Eccleſiae Archiepiſcopi, nec non ob petitionem fratris et Comitis Sigabardi atque aliorum*, inquit, *noſtrorum fidelium* ſcilicet Comitvm Warmvnti et Hartwici. Datum Rorae 6. *Id. Iunii* poſtridiae vero 5º ſcilicet Idus Iunii diplomate alio Rorae itidem dato Warmunti Comitis largitio confirmata eſt.

Hinc ſequitur omnino 1º Warmundum Comitem vixiſſe anno 959. 2º Warmundo iniuriam factam non fuiſſe cum praedium eius aſſertum eſt Ivdithae et eius *filio* vel *cuilibet proximo eorum haeredi*, cum pridie Otto Rex honoris gratia nominaſſet Warmvndvm in diplomate Salisburgenſibus conceſſo. 3º Warmvndvm improlem fuiſſe, et ſpe caruiſſe procreandae ſobolis, ergo 4º ſenem, 5º cum eius conſenſu Iuditham haeredis ipſius iura nactam eſſe, ſiquidem praeſens erat Rorae quo die datum fuit diploma Ottonianum; hinc fluit 6º eum reuera fuiſſe gentilem Iudithae; Addimus illum 7º Comitatum ſuum in vicinia praedii Riut non ha-

buiſſe, quandoquidem non nominatur ille inter Comites Sundergowienſes in quorum Comitatu erat hoc praedium, ſicut et in diplomate noſtro nomen ipſius non reperitur, ubi delineatur ſitus praedii GRABANASTATT *in pago Chiemichowe in Comitatibus Otacharii*, SIGAHARDI, ac Willihelmi Comitum. 8º Verum tamen Comitatum Warmundi in Salisburgenſi tractu eſſe debuiſſe conſtat inde quod cum *Hartwico* et Sigihardo petitionis *autor fuit*, *qua motus Otto conceſſit Canonicis praedium Grabanaſtatt.*

Quae cum ita ſint argumentum validiſſimum ſubminiſtrat Warmundus Comes, Arnulfi Ducis conſanguineos, adeoque et maiores, patremque praedia et Comitatus ſortitos fuiſſe ad Oenum fluuium et in Baioaria Orientali.

§. V.

Siue Luitpaldus ex Carolingis oriundus, et in Francia Occidentali natus, Baioariam primus ex familia ſua et ſolus inuiserit, ſiue Arnulfus Dux filius fuerit Arnulfi Regis, conſanguineos in Baioaria non habuit Luitpaldus, nec ullos habere potuit Arnulfus Dux, qui regia origine non gloriarentur.

Indignaretur profecto aeſtuaretque Ignatius ſi adhuc viueret, indignabuntur eius aſſeclae, ſi qui ſunt, cum praeſentient ex hoc exordio, habere me in promtu, quos addam parentelae Arnulfi Ducis priuatos viros merosue Comites. Nec id fruſtra praeſentient. Praeſto enim eſt mihi Arnulfi Ducis patruelis eiusque filius, qui Comes fuit, et niſi Comitatum ipſum, praedia ſaltem praecipua habuit in ea regione in qua profeſſus ſum Luitpaldum partem praediorum haud exiguam et forte Comi-

mitatum suum habere debuisse antequam Marchiae Orientali praeficeretur.

Audi, Lector, verba uiri maxime nobis venerandi colendique, cui multa debeo, multa debes, quicunque haec nostra approbaueris.

„ *In codice membranaceo pereleganti X. seculi et folii minoris,*[1] *qui asseruatur in Archiuo Capituli Ecclesiae metropolitanae Salisburgensis baec leguntur.*

Caput. XIII.

DE CONCAMBIO ALBRICI

Chartae, quam integram in calce operis exhibebo summa est „ Odalbertum Iuuauensem Archiepiscopum fecisse concambium cum ALBRICO Comite. *Tradidit* ALBRICVS ad GAMANARON hobam unam prope domum Dei adiacentem, *et flatum ferri quod Aruzi* dicebatur, licentiam insuper ut unusquisque famulus *domus Dei foderet* sine censu quantum posset. Econtra Odalbertus EIDEM VENERABILI VIRO ALBRICO tradidit ad *Admunton locum patellarem unum,* quem tunc IPSE ALBRICVS habuit in beneficium, et in agris et pratis tertiam partem illic iacentem. Testes per aures tracti fuerunt *Kerolt, Gotideo,* SIGIHART, NORDPERHT et *Willibelm*, qui et ipse utriusque partis fideiussor extitit.

Gamanaron mihi ignotum esse fateor, at, si e situ loci *Adamunton*, hodie Admondt dicti, eruere velimus reliqua loca quae in litteris memorantur, assequemur in eo tractu sita fuisse, qui nunc pars Styriae est, conficiemusque *Gamanaron* nomen propter uberes ferri fodinas mutatum esse in *Eisenaertzt*, quod oppidum ad

Kammer u. Attergovia ad lacum Attersee

 Aertz-

Aertzbach fluuium, ſub monte *Artzberg* ſitum eſt, haud procul ab Admontenſi Abbatia, penes quam riuus *Artzbach* confluit cum Anaſo. Notare eſt in hoc ipſo tractu et iuxta *Eiſenaertzt* caſtrum hodieque exſtare quod Leopoldſtein, incertum a quo Leopoldo, nuncupatur; non omnia enim mihi vendico.

Poſtquam ſitum praediorum quae ALBRICVS Comes ET VIR VENERABILIS dedit et recepit, ita definiuimus ut nemo dubitare queat, quin reipſa aſſecuti ſimus, nihil ſupereſt, niſi ut probemus, *Albricum* conſanguineum *fuiſſe Arnulfi Ducis*; quod ſi euincimus, conſtabit opinor 1º Arnulſum filium fuiſſe Luitpaldi Marchionis, non Arnulfi Regis quod alias probatione non indiget, 2º Luitpaldum non Carolingicum quendam exulem ſed Baioarium optimatem fuiſſe. 3º veriſſime dixiſſe Altahenſem, *Aribonem* et *Luitpaldum eodem patre natos.* 4º veriſimillimum ſaltem eſſe, id quod contendebamus, Luitpaldum, antequam Marchio euaderet praedia, ni forte Comitatum quoque, habuiſſe in Orientali Baioaria, ubi Aribo frater eius terminalem Praefecturam geſſit.

§. VI.

Audi itaque aut ſcriptorem chartae, cuius ſummam obtuli, aut eum qui ſeculo Xº codicem exarauit, in quo illa aſſeruatur.

„ *Et ut agnitioni omnibus habeatur et error penitus abſtergetur, ip-*
„ *ſe* ALBRICVS *fuit* ARNVLFI DVCIS PATRVELIS FILIVS, HEROLT
„ NVNCVPATVS.

Fruere mecum Lector, non dico induſtria ſed proſpera fortuna quae arriſit immerenti, niſi hanc conciliare potuerunt ſinceritas, animusque a praeiudiciis liber a fabulis alienus.

§. VII.

§. VII.

At videris mihi de ſententia ſcriptoris noſtri dubitare, utrum nempe *Albricus* ipſe *patruelis* fuerit Arnulfi Ducis an ex *patruele nepos*; Comma illud quod vocem *filius* ſequitur huic ſententiae quam ſtatim complexus fueram fauere aliquantum fateor. At repugnat illi omnino Grammaticae norma. Quod ſi enim is animus fuiſſet noſtri, ſcribendum erat: *Herolt* NVNCVPATI, ita ut hae voces referrentur ad PATRVELEM cuius ALBRICVS filius fuiſſet, hoc modo: *Albricus fuit Arnulfi Ducis patruelis, Herolt nuncupati, filius.*

Si addis praeterea tempus, quo factum eſt concambium illud, non dubitabis porro quin *Albricus ipſe fuerit patruelis Arnulfi Ducis.* Charta enim in haec verba definit; ACTVM AD S. GEORGIVM *anno Incarnationis Domini* DCCCCXXXI. *Die V. Kal. Iulii feliciter Amen.* Vix credere eſt patruelem Arnulfi tunc iam obiiſſe, aut Comitis, qui res ipſe ſuas curaret, patrem fuiſſe, niſi dixeris fratrem Luitpaldi, a quo originem duxit Albricus, Luitpaldo natu maiorem fuiſſe, quod dicere prorſus non audeo. Fuit itaque ALBRICVS PATRVELIS Arnulfi Ducis; filius *Albrici* HEROLT nuncupabatur.

Reſtat ut locum inſpiciamus in quo res acta fuit: *ad S. Georgium* ſcilicet, qui hodiedum dicitur S. IEORGE, aequali fere itinere a Mannſeenſi et Atterſeenſi lacubus diſtans, haud procul a Lunelacenſi. Abbatia cuius protectorem egerat Adalbertus II. Aribonis pater; nec ita magno interuallo a Traunſeenſi lacu, cui imminet locus *Traunkirchen* dictus, olim Abbatia, quam Arboni Comiti dedit Ludowicus Infans.

Vix itaque non credes oppidum Sancti Georgii sedem fuisse Albrici, aut saltem unum ex eius praediis, in quod Odalbertus se contulerat ut venerabilem Comitem inuiseret.

Non haerebo in indicandis modis omnibus, quibus illa congruunt cum sententia mea. Tanti momenti argumenta verbis debilitarem magis quam illustrarem.

At quaeris forte a me, ut aliquid dicam de patre Albrici et eius filio, reliquaque familia, si numerosior fuit. Id si quaeris, a veritate ad veritatis similitudinem transitum facias mecum oportet. Cum vero huc usque non me poenituerit hallucinationum mearum, aleam hanc denuo subire non detrecto.



CAPVT



CAPVT QVINTVM

SYNOPSIS.

Aliud de Albrico testimonium. Datur ei pater, Luitpaldo vero et Ariboni frater ALBRICVS *quidam vir potens qui tempore Arnulfi Caesaris vixit. De filio eius Herolto duplex coniectura, aut Archiepiscopum Salisburgensem fuisse qui cum filiis Arnulfi Ducis rebellauit, aut Comitem extitisse, qui ignotus omnino non est inter Hosios. Hallucinatio de origine Comitum Mospurgensium deducenda ab alio Albrico qui vixit anno* 1027. *De quodam Comite Luitpaldo qui vixit annis* 963. *et* 979. *Clauditur pars prima huius operis.*

§. I.

Alterum habemus de Albrico testimonium in litteris quae nobis subministratae sunt ex eodem codice Salisburgensi, et queis complacitationem factam esse constat inter *Odalbertum Archiepiscopum*, Weriant nobilem virum, et huius *uxorem Adalsuindam*. Dedit Weriant proprietatem suam in loco HVS ea lege, ut post obitum suum et uxoris suae Adalsuindae ac filiorum suorum Perhtoldi et Pernhardi atque filiarum suarum Hiltigart et Vuoza illa ad Ecclesiam Salisburg deuolueretur. Econtra vero Odalbertus tradidit „ *Weriando* et *Adalsuindae* coniugi suae curtem FRIESACH dictam *cum* „ *ecclesia* et *decimis ac aedificiis.*

Pacti

Pacti huius de rebus in Carinthia et in limine Orientali sitis initi primus testis fuit Albrich Comes, secundus, ut dictum est supra, Engilperht Comes: inter reliquos notamus duos *Arbeones*, unum Engilmar, (quod nomen gessit quoque vir ille qui cum Aibone Comite reddidit beneficia sua Canonicis Passauiensibus) *Irinch*, Sigihart, Diotmar. : . item Diotmar, Azo.

Nescimus quo anno res acta fuerit, sed additur statim in codice: *Postea istis testibus renouatum est, quorum nomina sunt Perbtold* Dvx, Sigihart Comes, Diotmar, Papo, Pero, Willihelm, item Perhtolt, *Hartwich*. . . Ruodperht. . . Arbeo, Diotmar, Weriant. . Otachar, Marchuuart, Herolt. . Pernhart item Otachar, Gundpold. Anno Domini DCCCCXXVIII. actum ad Karantan VII. id. et VI. id. Maii. Ex duplice diei mentione coniici posset, complacitationem factam esse pridie eius diei, quo renouata est, ita ut primum Albricus Comes vices Bertoldi Ducis forte absentis sustinuerit, deinde hoc praesente rebus se subduxerit, sicque renouationi interesse non potuerit. Quidquid horum sit, haud temere mihi suspicari videor, Weriantum cum Albrico Comite et Bertoldo Duce huius patruele, coniunctissimum fuisse quippe a Bertoldo donatum praedio haud modico, in cuius ergo gratiam uni e filiis Bertoldi nomen indidit. Addo, quod credo omnino, Heroltum, qui renouationis testis fuit eumdem esse filium Albrici Comitis Herolt nuncupatum.

Interim vero argumentum aliud habes, ex quo conficias Albricum in Orientali Baioaria et in Carinthia quoque prouinciam suam seu pagum cui praeesset sortitum fuisse.

§. II.

§. II.

Assererem perquam libenter, si per linguae Teutonicae genium asserere istud liceret, Heroltum, Keroltum, et Geroltum unum idemque nomen fuisse; sic enim sciremus cur pacti ab ipso Albrico initi primus testis fuerit Kerolt. Fuisset nempe aut filius ipse Albrici, quod tamen minus placeret, aut socer eius, aut frater, sicque constaret fere hoc nomen inuectum in hanc familiam esse per foeminam a Geroldis illis qui seculo nono vixerunt, et e quibus unus fuit Marchio Orientalis, oriundam. Adde Geroldos duo patrem et filium simul ac sine medio ante *vicarios* testes fuisse primos anno 852. cum Engilperhtus et nepos eius Kundpertus largitionem facerent Monasterio Mannseensi [a]. Actum tunc est ad Rotam, Isaram inter et Oenum. Quartus Keroltus Comes vixit anno 890. missusque fuit cum aliis Comitibus ad statuendos limites praedii ad Rotam flumen siti. Iudicium ea de re latum est in Mosapurch Regia Ciuitate, illa nempe quae caput Carinthiae fuit [b]. Coniicere ergo omnino foret viro principi, qui pater fuit Albrici nupsisse filiam huius Geroldi, et ex eo connubio natos esse Albricum Comitem, Keroltum, quem Albricus primum adhibuit testem, et forte Weriandum ipsum. Haec vero omnia cum nitantur similitudine nominum *Geroldi* ac *Heroldi*, aliis qui nominis utriusque etymon callent, diiudicanda relinquo.

a) Anamod. lib. I. c. 39.

b) Cod. Ratisb. col 33.

§. III.

Nihil vero obſtare videtur quo minus dicamus Albricum filium fuiſſe ARIBONIS Marchionis, idque nonnihil ſuadere videntur coniuncta teſtimonia et praedia. Malo tamen tertium fratrem addere Luitpaldo et Ariboni Marchionibus, qui Albricus et ipſe dictus, tuendique limitis prouinciam cum eis partitus fuerit.

Coniecturae fauet quod tunc temporis, cum nempe maxime florerent Aribo et Luitpaldus, vixerit ALBRICVS vir apud Germanos potens et qui Italiae vicinam ditionem tenuit, et Berengario contra Widonem ſemet adiunxit. Id colligimus ex laudibus Berengarii a coaeuo Poëta ſcriptis [a]. „ Bonifacium, ait, *glomeraſ-* „ *ſe aimicos ſuos*, ut et *glomerarunt Berardus* et ALBRICVS et AZO.

„ Vicinoque ſuas cogens ab limite turmas
„ Olricus, latium Hadriacis qua clauditur undis,
„ Ac labor eſt *ſaeuis gladios praetendere Abaris.*

Opportune *Albricum* et *Azonem* coniunxit Poëta, utpote quae nomina in noſtris quoque coniunguntur monumentis.

Nec deſunt hoc aeuo chartae in quibus compareat Albricus et quidem loco inſigni. Albrich primus teſtis fuit [b]. cum Ambricho Epiſcopus largitionem acciperet. Secundus fuit cum Adalfridus quidam Regis Waſſus *vir* quoque *venerabilis* daret proprietates

a) Lib. II. ap. D. M. Bouquet Recueil des Hiſt. Tom. VIII.

b) Anamod. lib. I. c. 99.

tes ſuas in Gemundin, et ad Adinhard, Ambriconi Epiſcopo anno 877. [c] *Gemundin* autem eſt *Gmünten* ad Traunium lacum.

Caetera teſtimonia omittamus ne prolixiores fiamus.

Innumera fere ſunt quibus probare in promtu foret, hoc nomen apud Hoſios gentilitium fuiſſe et Ariboni Marchioni aequalem vixiſſe nobilem virum qui *Alprich* dicebatur [d]. Reperirem quoque ſub Lantperto Epiſcopo Friſingenſi ALBRICVM *nobilem* clericum qui proprietatem habuit ad Adalhareshuſon et ad Chienperech, loca in noſtro de Hoſiis commentario celebratiſſima, ſed refugio laborem ingratum et cuius me taedet.

§. IV.

Iuuat magis quaerere, cur Heroltum Albrici Comitis filium nuncupare operae praetium duxerit is a quo ſcimus Albricum Arnulfi Ducis patruelem fuiſſe. Duplici de cauſa id facere potuit, aut quia *Heroltus* poſtmodum Archiepiſcopus Salisburgenſis euaſit, quod tamen omiſſurus fuiſſe vix videtur ſcriptor curioſus, aut quia *Heroltus* Comes poſt patrem fuit, et dignoscendo patri nonnihil conducere potuit; forte etiam adhuc vixit quo tempore ſcriberetur codex.

De Archiepiſcopo Herolto vel Herolfo qui electus eſt anno 943. cum adhuc viueret Berchtoldus Dux et patruelis Albrici, duo ſunt quae mirer.

c) ib. c. 76.

d) Meichelb. n. 864. 1067.

Primum quod dicant [a] eum Comitem de Scheurn fuiſſe, Lazius vero audacter aſſeuerauerit Arnulfo, qui Dux fuit, patre natum.

Alterum eſt quod ab Heinrico I. Duce oculis orbatus et a Ioanne XII. Pontifice depoſitus fuerit propterea quod pallio poſt excaecationem uſus ſit, praedia eccleſiae ſuae abalienauerit, et theſauros eius Paganis tribuerit. Exauctoratio illa facta eſt praeſente Ottone Imp. et 59. Pontificibus.

Gewoldus exhibet [b] decretum Iohannis P. M. quod ea omnia confirmat.

„ HEROLTVS *dudum Salisburgenſis Eccleſiae Archiepiſcopus poſt ſuo-* „ *rum oculorum amiſſionem videtur ſacrum celebrare myſterium, et, quod* „ *ridiculum eſt, pallium geſtare ſolemniter; hoc namque videri debet exe-* „ *crabile, praeſertim cum ipſe pro ſua culpa et perfidiae temeritate exo-* „ *culatus ſit, eo quod eccleſias Dei exſpoliauerit, theſaurum paganis ero-* „ *gauerit, ſeſeque eis iunxerit, in chriſtianorum necem et depraedationem,* „ *contra Dominum et piiſſimum Imperatorem ſuum ſeniorem rebellis et in-* „ *fidelis extiterit et proinde a deceſſoribus noſtris. . . omne ſacerdotale* „ *officium ſaepe ei ſit interdictum, atque electione et poſtulatione omnium* „ *paene nobilium Bauariorum ſcilicet Clericorum et Laicorum S. Romana* „ *Eccleſia Fridericum virum venerabilem et cunctis laudabilem loco eius-* „ *dem Heroldi fieri eſſeque Archiepiſcopum omnimodo decreuerit.* „ Primus decreto ſubſcripſit Iohannes, ſecundus Otto Imperator, tertius *Rodaldus* Patriarcha Aquilegenſis, ſucceſſor illius, quem Heinricus Dux male quoque mutilauerat „ Actum fuit Rauennae VII. Kal. Maii et Indictione decima, adeoque anno 967.

Illa

a) Hund. Metrop. Salisb. T. 1. p. 5. b) ibid. p. 31.

Illa cum perpendimus dubitare nulli possumus quin Heroldus cum Arnulfi Ducis filiis nepotibusque, consanguineis suis, Hungaros in Germaniam vocauerit, ipsis aliisque rebellibus stipendia dederit, caeteraque omnia perpetrauerit quorum rei fuerunt infaelices illi Schyrenses, quibuscum rebellauit.

Facinoribus itaque suis et infortunio proditur Heroldus, si minus Schyrensis, ex ea saltem familia oriundus, ex qua fuerunt ii quibus hoc cognomen posteritas dedit.

At famosior fuit Heroldus, Pontificatus et celebrior et infelicior, quo tempore codex noster exaratus est, quam ut scriptor aut vellet aut deberet, Heroltum Albrici filium, a dignitate, qua spoliatus fuerat, nuncupare.

Haec dici possunt et solide satis in primam sententiam quam proposuimus de Herolto Albrici filio, quae, si minus placet, nunquam tamen adducar ut non asseram Heroltum Archiepiscopum ex Albrici tribu fuisse, siue filius fuerit siue nepos, et alterius Herolti patruelis.

§. V.

Alteri de Herolto Alberici filio sententiae fauet testimonium Herolti anno 928. praestitum in idem pactum cuius Albricus testis fuerat, loco et modo qui clericum decuisse non videntur.

Addo in traditionibus Eberſpergenſibus a. occurrere mihi Herolt Comitem qui primus teſtis fuit cum quidam nobilis Gebolf *abnegaret ſibi unquam vendicare molam ad* MOSACHA *et praedium quod pater ſuus Dietmarus tradiderat S. Sebaſtiano pro victu ac veſtitu filii ſui Duringi.*

Tempus quidem incertum eſt, ſed vix non aſſero circa annum 960. ſcriptam eſſe chartam cum Warmund Comes et duo Aribones viuerent. b.

Saltum immodicum facere videor ab Anaſo ad Iſaram. Audaciorem paro, nam tempora coniungo longo diſtincta intervallo.

De Comitibus Moſpurgenſibus nihil quod antiquiſſimum ſit habemus, immo conſtare videtur nonniſi ſeculo undecimo familiam principem a caſtro huius nominis nuncupari coepiſſe, ſiquidem eouſque Moſpurgenſia praedium et coenobium aut ad Reges ſpectarunt, aut ab Epiſcopis Friſingenſibus poſſeſſa ſunt.

Aſſerta tandem ſunt iura eccleſiae iudicio ſolemni quod anno 1027. latum eſt, inquiſitione facta uter potiori iure Moſpurgum vendicare ſibi poſſet Rex Cunradus, an Friſingenſis Epiſcopus. c.

Inter Iudices nominatiſſimos qui hoc praedium cum veſtitura ad Friſingam pertinere in proprietatem ſacramento affirmarunt, pri-

a) n. 10.
b) Conf. n. 10. 11. 12. 13. et 14.
c) Hiſt. Friſing. Tom. 1. P. 1. p. 221. et ſeqq.

primus post Reginperthum et Egilolfum Comites est ALBRICH CVM FILIO. Is vero Albricus idem est de quo ita in actis huius Iudicii. *Postremo Dominus Antistes* ALBERICVM VASSALLVM SVVM *Aduocatum sibi cum iudicio iudicum et banno Comitis, super res supra memoratas constituit.*

Ex hoc Albrico repetere mihi videor posse originem Comitum Mospurgensium, idque tanto rectius quod Aduocatiae sine beneficiis erant nunquam, Albricus vero castrum aut condere aut nancisci illic debuit ubi incumbebat ei ut defensor esset et propugnator. Ab hoc itaque Albrico oriundus fuit haud dubie Berchtoldus ille qui de *Mosburg* fuit, ut ait Biographus Chonradi Archiepiscopi, [a] quique ab Heinrico IV. Caesare superpositus fuit Gebehardo Archiepiscopo Salisburgensi circa annum 1080. frater erat *nobilissimi Principis Burchardi nomine.*

Mirum sane est Aduocatos Mospurgenses euasisse Comites et nobilissimos principes, nisi alias habuerunt ditiones quarum ergo et Comites dicti sunt et Principes, ut plerumque fiebat.

Proximus itaque sum credenti Albricum virum Hosium et Shyrensem, si vis, Vasallum quidem fuisse Ecclesiae Frisingensis et Aduocatum Mospurgensem, at in Orientali Baioaria et Comitem fuisse et potentem virum, aut saltem ipsi filiisue haereditatem opimam consanguinitatis iure illic contigisse.

Quod

a) c. 6.

Quod si conceditur, addam ex eadem familia fuisse Starchardum vel Starchandum, et fratrem eius Werigandum, quos hostes infensissimos expertus est Gebehardus statim atque Berchtoldus ei subrogatus fuit; cum enim profligato exercitu per Carinthiam fugeret Gebhardus, a quibusdam Principibus captiuatus est, Marchione videlicet (Vdalrico) et Starchardo et fratre eius Werigando.

Duo illi fratres tota Carinthia, potentissima dominatione tunc potiebantur, nullius mortalis hominis contradictionem habentes. Sed irrumpente paulo post Bernhardo Comite funditus contriti sunt et ad nihilum redacti. Berchtoldus tamen infestauit ecclesiam Salisburgensem usque ad tempora Cunradi Archiepiscopi.

Nisi itaque fallor, Comites illi de Mosburg a. quos dicunt in Carinthia floruisse diuersi non fuerunt a nostris, nisi quod, diuisis patrimonio et familiis, alii Carinthiacas res adepti sunt, alii Mospurgensi Aduocatia, et latifundiis in pago Hosiorum auitis contenti, Comites quidem dicti sunt, sed in tractu angusto Dynastae magis fuerunt quam Comites.

Coniecturam obtuli, quae, si quid veri habet, indicat quam perpetue iuncta fuerint praedia Hosiorum cum prouinciis in Orientali Baioaria sitis. Si totum id falsum est, stabit nihilo secius sententia mea de Comite Albrico, et argumentum illud validissimum quo probaui Luitpaldi II. Marchionis qui Aribonis frater erat, familiam fere totam in Orientali Baioaria potentissimam fuisse

a) Hund. Stammb. P. I. p. 112.

fuisse, illicque, ut et in Alpibus, quaerendum esse Luitpaldi Comitatum, si habuit antequam spoliis Engildeonis ornaretur.

§. VI.

Nomini Luitpaldi Marchionis a me iam celebrato hoc tribuam, ut insalutatum non relinquam Luitpaldum Comitem qui quartus testis fuit cum Willa uxor Sigihardi, et Fridaricus Archiepiscopus simul paciscerentur circa annum 963. aut paulo serius. *Huius complacitationis sunt testes*, ita litterae, *Hartwic Comes, Otachar Comes, Meginhard Comes, Luitpald Comes, Ruodolf, Aripo* etc.

Viuebat tunc profecto Luitpaldus Austriae primus Marchio ex Babenbergica domo; at tantum Principem utique non decuisset postremus inter Comites locus.

Credo itaque Luitpaldum hunc qui adhibitus est negotiis Ecclesiae Salisburgensis et Sigihardi Comitis in Saltzgowe ex nostra quidem gente fuisse, sed a Marchione omnino diuersum.

Hoc in mente habebam cum de Luitpaldo agens dicerem, eum quidem in Donegouia Comitem fuisse, sed incertum esse utrum ad eum referendum esset id quod legimus in diplomate

d. Ottonis II. anno 979. dato, *Coenobium Tegarinseo dictum in pago Sundergoe et in Comitatu* LVITPOLDI *Comitis situm fuisse.*

De hoc Luitpoldo plura in praesens dicere aut non possumus aut non vacat, finem huic operis nostri parti primae tandem imponere gestientibus, postquam ostendimus qui fuerint *Luitpaldi Marchionis maiores, qui fratres, qui consanguinei, quod natale solum, quae praedia auita, quae prima sedes, quae fortunae incrementa, quo demum iure et qua ratione audierit nepos Arnulfi Regis et Imperatoris*, Ludouici vero Infantis et Carolingorum *in Germania ultimi, carus et dilectus propinquus.*

Si finis huiusce partis finem quoque imponere deberet operi nostro uniuerso, vix quisquam socordiae nos accusauerit, qui in Bauaria aduenae, id adumbrauimus quod ante nos tentarunt pauci; nemo fidem nos non exsoluisse dicere, citra iniuriam, posset, cum id omne pro viribus praestiterimus quod olim polliciti eramus.

At nos urgent fata, quibus praecipites agimur, et, inuita forsitan Minerua, ad Luitpaldi Marchionis posteros transitum facimus, illos prosecuturi, si fas est, quousque ad Ottonem illum deuenerimus, qui iure postliminii recuperauit Baioariae Ducatum.

Si

d) Hund. Metrop. Salisb. T. III. p. 273.

Si in hoc argumento labimur, condonent id Lectores humanae conditioni, cuius eſt limites ſibi datos non nouiſſe, viribus nimium credere, et vota ſpemque in immenſum concipere.



Tabula XVI.

Stemma Luitpaldi Marchiònis

Alprakt Comes Hoſius circa 790.

Adelbertus I. Comes et Marchio † 822.

Luitpaldus Comes Hoſius † 837. p. tab. VIII.

Adelbertus II. Comes Trungou. usque 855.

Aribo Comes in Trungau et Marchio † circa 900.

Vide tab. IX. X. XI. XIII.

Luitpaldus Marchio Sator gentis Auguſtae Baioaricae † 907. Vx. N. filia Lud. III. Germ. Regis. Tab. XV.

Arnulphus Dux Baioariae cuius patruelis Albericus II.

Bertholdus Dux

Albericus Comes circa a. 900.

Albericus II. Comes patruelis Arnulfi Ducis a. 931.

Tabula

Tabula XVII.

Luitpaldi Marchionis, Boicae Domus Satoris, Parentes & Agnatos sistens.

Adelbertus I. Comes in Trungau a. 802. Marchio Oriental. circa 810. † ante 822. frater Luitpaldi Comitis Frisingensis de quo tab. I. II. III. VIII.

Adalbertus II. Comes in Trungau Dominus Seonensis 855.

Aribo Comes in Trungau, Marchio Oriental. 880 † circa 900.

Luitpaldus Marchio Orientalis, Sator Aug. gentis Boicae † 907. Vx. N. filia Ludouici III. German. Regis.

Albericus Comes circa A. 900.

Isangrinus Marchio † 907.

Aribo II. Comes Frising. 908. † circa 920.

Iacobus I. Comes et Aduocatus Frising. circa 900 - 910.

Sigehardus I. Comes Salisburg. a. 908. † circa 920.

Arnulphus Dux Baioar. gentis Augustae Sator patruelis Alberici II. vid. Part. II.

Bertholdus Dux Baioar.

Albericus II. Comes patruelis Arnulfi Ducis.

Iacobus II. Aduocatus et nobilis Vassallus Ecclesiae Frising.

Aribo III. Principalis Aduocatus primusque Vassall. Frising. 955.

Engelbertus I. Comes Salisburg. a. 928. † ante 940.

Sigehardus III. † ante a. 930.

Herioltus AEpisc. Salisburgens.

Reginbertus Comes Salisburgens. a. 940.

Sigehardus III. Vx. Willa 931 - 963.

Engelbertus II. 931.

Norbertus I. 931.

Fridericus AEps. Salisburg. † 990.

Aribo IV. Aduocatus Frising. Comes Palatinus Baioariae † circa 1010.

Hartwicus I. Comes Salisburgens. 959. 963.

Engelbertus III. Comes 963.

Norbertus Comes.

N. N. nupta Hartwico II. Com. Salisb.

Hartwicus II. Comes Salisburgens. 980. 994. seq. Vx. N. filia et haeres Aribonis IV. Comitis Palatini.

Hartwicus III. Pal. Comes et ad Trunnam † circa 1028. Vx. Frideruna Witekindea.

Popo Comes Salisburg. et de Rota 1021 - 1040. Vx. Hazacha.

Sigehardus IV. Comes † post 1054. Vx. Willipiriga.

Aribo V. Comes Palatin. abdicat. ante 1060 † 1102.

Bodo Fortis dictus de Potenstein † 1104.

Cono s. Conradus de Rota Comes Palat. 1060. † post 1073.

Pilgrimus Comes

Sigehardus V. a. 1104. occis. Sator Comitum de Scala et de Burghausen.

Heinricus Epsc. Frising. † 1036.

Fridericus de Bilstein.


Willipiriga nupta Conrado Boemiae Duci.

Cuono II. ante patris mortem a. 1073. occisus.

Irmgardis Vx. Conradi III. de Meglingen et Frontenhausen Comit. Palat. circa 1080.

Cuono IV. A. 1083. occisus.

Adelheyd nupta 1. Marquardo de Marquartstein. 2. Vlrico de Pitten. 3. Berengario de Sulzbach.




Index primae partis.

Cente-

Leopol-

Ruper-

Willehel-



Errata primae partis.

pag. 8. lin. 24. poſt illis adde *teſtium* cateruis
pag. 9. lin. 2. leg. Allershaufen
antepen. toll. vocem *illis*
— 13. lin. 1. leg. chartis
— — — 21. leg. *iam*
— 19. lin. 14. lege *facta*
— — lin. 24. leg. *Hunſin quoque*
— 20. lin. 4. pro *dici* lege *elici*
— 29. lin. 11. leg. *obſeruanda*
— 32. lin. 12. leg. occurrit *teſtis* tradit.
— 34. antepen. lege *Comitibus*
— 40. lin. 10. lege *a quo* profectus
— 41. lin. 9. leg. *quae*
— 42. lin. 18. leg. vetabit
— 44. lin. 7. leg. latifundia
— 47. lin. 8. leg. probet
— — lin. 21. leg. fuerant
— 48. lin. 12. leg. *Orendile*
— — lin. 17. leg. Orendil
— 49. lin. 4. leg. hi teſtes
— 52. lin. 13. leg. *prole prolem* genitura etc.
— 54. lin. 19. leg. habuiſſe
— 61. lin. 5. leg. Lector
— 63. lin. 17. leg. auxit quoque: Nam
— — lin. 20. leg. negabit
— 68. lin. 2. leg. Emmeranenſi
— 69. lin. 22. leg. Saxonum

pag. 72. lin. ult. leg. negabunt
— 74. lin. 20. del. Am
— 76. lin. 14. leg. ad illud
— — lin. 22. leg. qui ſedem. del. *anno*
— 78. lin. 14. leg. quo
— 81. lin. 16. leg. Adalbertus *Secundus*
— 82. lin. 16. leg. et ſi recte hallucinamur a Luitpaldo quoque etc.
— 85. lin. 20. leg. Trongue
— 87. lin. 1. leg. creverunt
— 89. lin. 7. leg. Chezilo
— 94. lin. 23. leg. ex filio Hadumaro
— 95. lin. 10. leg. ditio ducum
— 96. lin. 12. leg. cuidam
— — lin. 14. leg. profitetur
— — lin. 20. leg. iterum
— 100. lin. 4. leg. quod opinor
— 103. lin. 13. leg. conceſſum
— 106. lin. 5. leg. NAARN
— 108. lin. 13. leg. quem
— — lin. 16. leg. conflictando
— 113. lin. 19. leg. aut Arbonem
— — lin. 20. leg. aut ſe ipſos
— 120. tit. Lib. III.
— 127. lin. 13. leg. Erneſtus *ille Dux vel Marchio*, haud interrupta phraſi

pag. 133. lin. 6. leg. pellice
— 134. lin. 5. leg. opinioni meae
— 136. antep. leg. Marchio Francorum.
— 137. lin. 17. leg. Folcfeld
— 140. lin. 19. potius Poapo, leg. alius Poapo
— — lin. 12. Poauo, leg. Poapo
— 147. lin. 23. loquebantur, leg. ſcribebantur
— 151. lin. 3. leg. conſtet
— 152. lin. 5. leg. Wetereiba
— 153. lin. 14. leg. fratris de *eo*
— 158. lin. 9. leg. retro ferri
— 159. lin. 12. del. Luitpaldi
— 178. lin. 16. leg. Eilica
— 188. lin. 3. leg. caeſis

pag. 192. lin. 10. del. *eius*
— 196. lin. 8. v. tab. 7.
— 198. lin. 14. leg. Folcfeld
— 199. lin. 18. leg. excipiendi quidem *erunt*
— 200. lin. 11. l. Adalperэti
— 206. lin. 11. leg. emergere *videmus*
— 207. lin. 2. leg. cui, cum etc.
— — lin. 16. leg. Tuonoghoue
— — lin. 18. leg. Paponis IV.
— 239. antep. leg. in loco dicto Furt
— 285. lin. 6. leg. Chiemigoue
— 315. lin. 13. leg. vetuſto
— 318. lin. 18. leg. haberent

ORIGINES
BOICAE DOMVS.

TOMVS SECVNDVS.

ORIGINES
BOICAE DOMVS.

TOMVS SECVNDVS.



NORIMBERGAE,

APVD

IOAN. GEORG. LOCHNERVM,

cIↄ Iↄ cc LXIV.



PARS SECVNDA

De Posteris Luitpaldi Marchionis, Boiorum Gentis Augustae SATORIS.

LIBER SEPTIMVS.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS.

De Marchia Luitpaldi eiusque ultimis fatis. Defenditur contra Hermannum Contractum pietas illius in Adelbertum Bambergensem. An Dux fuerit unquam disquiritur. Fundatio castri SCHEYREN *Arnolfo Luitpaldi filio adscripta paucis perstringitur.*

§. I.



De Luitpaldi Marchionis rebus gestis scripserunt et scribent alii. Historiae, ut professi iam sumus, elementa congerimus, historiam non scribimus.

De limite, quem tutatus eſt Luitpaldus, nonnihil elici poteſt ex Annalibus Fuldenſibus, [a] ubi de proeliis ſermo eſt queis Vngaros in Baioariam irruentes profligauit eiecitque Luitpaldus.

„ *Quaedam pars exercitus (Vngarorum) de aquilonari parte Da-* „ *nubii fluminis, partem illam deuaſtando irrupere.*

„ *Quod ut* LVITPALDO COMITI *compertum foret moleſte hoc pa-* „ *tiendum ferens contra exiiſſe cum quibusdam Primoribus Baiowariorum,* „ *uno tantum Richario Patauienſis ſedis Epiſcopo comitante* VLTRA DANV- „ BIVM *eos inſequendum ſe tranſpoſuit, conſertoque illico cum illis praelio,* „ *nobiliter dimicatum eſt ſed nobilius triumphatum. . . laeti poſt tantam* „ *victoriam ad ſocios unde venerant regreſſi ſunt, et citiſſime in id ipſum* „ *tempus pro tuitione illorum Regni validiſſimam urbem in* LITTORE ANESI „ FLVMINIS *muro obpoſuerunt, quo peracto, unusquisque redierunt in* „ *ſua* „

Nihil aptius congruere poterat cum diplomate illo Patauienſi quod excerpſimus de urbe ad *Anaſum recens condita* et Epiſcopo Patauienſi data. Confirmat quoque Annaliſta Fuldenſis ea quae eruere videbamur ex eodem diplomate, ſcilicet urbem illam nouam in *praefectura terminali ipſius Luitpaldi* conditam fuiſſe, hancque ſiue Praefecturam, ſiue Marcam ad utramque Danubii ripam tractum illum amplexam eſſe, in quo potentiſſimus olim fuerat Wilihelmus Marchiae Comes, cui ſucceſſerunt Willihelmus II. et Engiiscalchus fratres.

§. II.

Luitpaldus fortiter, ut omnia geſſerat, occubuit ſexto vel 30º die menſis Iunii anno 907. ut Meichelbeckius eruit [a] ex monu-

a) Ad ann. 900.

a) Hiſt. Friſing. Lib. II. c. 6.

numentis Frisingensibus, quae ad Vtonem Episcopum, cum eo occisum, pertinent.

Quas partes fouerit Luitpaldus, cum dissidia Praesulum et Camerae nunciorum in apertum bellum erupissent, faueritne Adalberto Bambergensi, consanguineo suo, an Hattoni factionis sacrae Principi, qui quaereret, neminem huc usque vidi aut audiui. Quis tamen credat Luitpaldum aut tam parui res patriae domesticas fecisse ut neutri parti fauerit aut tam parui factum fuisse, ut a neutra sit prensatus?

Quaestionem hanc non absoluam omnino; at tanti momenti est ut intactam relinquere religioni sit.

Eadem causa fuit Principum, qui in Alamannia Nunciorum Camerae munia sustinuerunt, quae Adalberti Bambergensis in Francia Orientali fuit. Cum igitur sciamus Luitpaldum Marchionem secundis votis duxisse sororem Erchangeri et Bertholdi, Camerae in Alemannia nunciorum, dubium fere non est quin eam factionem maxime probauerit, cuius capita erant, hinc Adalbertus consanguineus illius, illinc affines Bertholdus et Erchangerus. Verum enim vero Ludouico quoque Regi per uxorem cognatione iunctum vidimus Luitpaldum. Illum itaque medium se posuisse crederem nuntios inter et Praesules, qui apud Ludowicum maxima autoritate pollebant, suaque ipsum autoritate continuisse utrosque; quo consilio factum est, ut quamdiu uixerit noster minus seuere animaduersum sit in Adalbertum eiusue fratres nec res ipsorum utcunque conuulsae, penitus euersae fuerint, ut ipso fatis functo, euersas uidimus atque conculcatas.

De Arnulfo eius filio, cui arctior cum Ludowico Rege propinquitas erat, et qui praeterea nouercam tolerabat Chunigundam, illam cuius connubio pater Alemanniae nuntiis deuinctus fuit, pronunciare vix aut ne vix quidem audeo. It tantum constat Luitpaldum Marchionem pariter et Arnulphum Ducem ita fere animatos fuisse in clerum, ut erant Bertholdus et Adelbertus; hinc et nullas exstare litteras quibus celebrentur sacrae alterutrius largitiones; quin potius totos in eo esse Monachos illius aeui, ut Arnulfum tantum non diris deuoueant, *Malum*, et si quid ultra iniuriarum excogitari poterat, cognominatum. At vero consilia a ditandis ecclesiis aliena, summa et caput fuerunt dissensionum intestinarum, quae sub Ludouico IV. et Conrado I. Germaniae haud multo minus quam funestae fuerunt.

Ita tamen sentire potuit Arnulfus postquam rerum potitus erat; aliter sensisse quamdiu vixerat Ludowicus, cuius haereditatem opimam ambientis maxime intererat Praesulum animos sibi utcunque deuincere et arctiorem iusto Conradi cum illis amicitiam, parem simulando, debilitare.

At quicquid in hoc argumentum disseruerimus nihil egisse videbimur quamdiu salua stabit autoritas Hermanni Contracti, cuius de Luitpaldi in Adalbertum Bambergensem animo effata mox referemus.

Si tempora recte contulerimus, postquam probauimus Adalbertum Bambergensem aut mense Decembri anni 907. aut anno sequente, ab Hattone Moguntino illaqueatum, ingentem animam efflauisse, abolebimus notam, quam magnanimo Luitpaldo inussisse videtur Hermannus dum anno 907. inquit, „ Adalpertus, „ cum praedia eius, utpote rebellantis, a Ludowico Rege vasta-

„ ren-

„ rentur et castrum oppugnaretur perfidia , ut fama est Hattonis „ Archiepiscopi et CVIVSDAM LVITPALDI , de quibus plurimum „ confidebat , ad Ludowicum Regem spe pactionis adductus de- „ collari iussus est. ·Baioarii cum Vngariis commissa pugna victi „ sunt. 908. Vngarii Saxoniam et Turingiam late vastant. Luit- „ paldus occisus est. „

Quidam ille *Luitpaldus* Hermanno vix dubie idem erat, quem anno 908. occisum tradit. At vero iam errauit vehementer Hermannus cum Adalbertum de Hattone plurimum confidisse narraret. Iuranti credidit Adelbertus, *de eo non confidebat*. Secus erat de *Luitpaldo*, si hic noster fuisset, nam consanguinei erant.

Verum enim vero mirabuntur utique plures *quemdam Luitpaldum* heic nuncupari quem scriptor idem an. 898. Luitpaldum Marchionem diserte nominauit. Mirabuntur etiam seiungi cladem Baioariorum ab Vngariis caesorum et *mortem Luitpaldi*, cuius caedes maxima pars illius cladis fuit, et Germaniam saeuo hosti patefecit. Si quis tamen ex iis conficere vellet Luitpaldum anno 908. occisum, Hermanno teste, diuersum fuisse a Luitpaldo Marchione, erraret is, opinor, egregie; non enim tanti erat mors viri, alias ignoti, ut eam sollicite notaret Annalista. At si Luitpaldus occisus an. 908. idem est qui Marchio noster, Hermannus Contractus sub *Luitpaldo illo quodam* haud dubie intellexit Luitpaldum nostrum a. 908. si diis placet, occisum.

Non excusandus est igitur Hermannus, imo triplicis, quod minimum est, erroris heic accusandus. 1º Adalberti Bambergensis necem inter et cladem Baioariorum sex septemue menses

effluxerunt, siquidem illa mense Iunio a. 907. contigit, Adalbertus vero deceptus et capite plexus est aut mense Decembri eiusdem anni, aut anno demum proxime secuto.

2º Luitpaldi caedes coniuncta fuit cum clade Baioariorum, adeoque obiit ille integris sex mensibus antequam perfidia Hattonis deluderetur Adalbertus.

3ºi Fieri potuit et debuit forte ut de *Luitpaldo plurimum confideret Adalbertus*, ut de consanguineo, fieri non potuit ut a Luitpaldo aut sex mensibus, aut integro anno et quod excurrebat antea occiso, deluderetur.

Quin et suspicor Ludowicum Regem, superstite Luitpaldo, multum laborasse in pacandis sedandisque turbis, atque comitia frequenter conuocasse ut arma, antequam in flammas bellum erumperet, componerentur; occiso vero Luitpaldo Regis amico, et Adalberti consanguineo, hostes Adalberti adeo praeualuisse, ut Adalbertus detestanda perfidia delusus capite tandem multaretur, sicque eodem ferme tempore nudaretur *defensoribus Marchia Regni utraque*, ut queritur Luitprandus. Postquam enim ille a. caedem Germanorum ab Vngariis perpetratam horumque in Baioariam, Sueuiam, Franciam, grassationes et mortem Adalberti Bambergensis retulit; „paucis vero, inquit, b. interpositis annis, „ cum nullus esset qui in Orientali ac Australi plaga Hungaris re- „ sisteret, ne quid inexpertum his esset Italiam quoque tenta- „ runt „

Haec Luitprandi querela eo verior est quod Adalbertus et Heinricus fratres *Marchiones* fuerunt *Orientalis Franciae*, si diplomati-

a) Luitp. Lib. II. c. 2. 3. b) c. 4.

mati credimus ab Eckhardo vulgato; ſed credamus oportet, cum Adelbertus patre natus fuerit, qui idem officium adminiſtrauerat, eademque dignitas Adalberti poſteris reddita ſit cum praediis auitis familiae potentiſſimae.

At alio quoque iure ad nos pertinere videtur diploma illud ex chartario vetuſto, ut Eckhardus ait, erutum et anno 903. *Tharaſſe* datum (Tharaſſa, hodie *Teris*, unum e caſtris fuit quibus ſe tutatus eſt Adalbertus:) Inter Comites ad quorum interceſſionem Rudolfus Epiſcopus Wirceburgenſis obtinuit ut Eccleſiae ſuae darentur praedia eximia *Adalberti* et *Heinrici* MARCHIONVM, praeter Chuonradum, Kebelhardum, Adalbertum, Burcardum et Odalricum, nuncupatur Arnolfus, quem ſequuntur Luitfredus, Burcardus, et Eranfredus. Nuſpiam heic legitur Luitpaldus quod mihi quidem exoptatiſſimum accedit. Vnus Arnolfus male me haberet niſi conſtaret mihi diuerſum eſſe hunc ab Arnulfo Luitpaldi filio; quo enim iure Burcardo Sueuiae Comiti poſtponendus fuerit, ſi regia affinitas praerogatiuam nuncupationis dedit non video. Neque ſuſpicari poſſem cur Burcardo Thuringiae Marchioni et Luitfredo ac Eranfredo, ſuperſtite adhuc patre, fuerit praeponendus? Aut enim aetatis ergo aut dignitatis Arnulphus aliis praepoſitus aliis poſtpoſitus eſt. Si aetatis habitam rationem dicas, ille ſane locus non decebat Luitpaldi filium, qui prouectior aetate quam alter e Burcardis eſſe non potuit. Si dignitatem ſpectes, utrumque Burcardum ſequi debuit, utpote qui ambo aut duces aut Marchiones erant, cum ipſe aut nullum adhuc magiſtratum gereret, quod magis credo, aut ſupra Comitem non eſſet.

Ar-

Arnolphum quidem reperisse mihi videor inter Fuldensis tractus proceres. Sed, quicquid sit, in ista monimentorum penuria nemo, opinor, censum a me exiget omnium qui tunc temporis floruerunt, regni primatum. Si quis tamen pertinacius institerit non morabor, quin Arnulfus interfuisse dicatur conuentui optimatum, ubi de resarciendis damnis ab Adalberto et Heinrico Wurceburgensibus illatis actum, nil vero quod capitale foret, in Albertum ipsum nec rogatum est nec pronunciatum.

§. II.

Vulgaris opinio est, Arnulfum aut Luitpaldo Duci in ducatu suffectum fuisse, aut post funera patris mox ducem creatum.

Primus opinioni ansam dedit Reginonis continuator [a] aut potius Regino ipse. „ *Bauari* cum Hungaris congressi multa cae„ de prostrati sunt, in qua congressione *Luitbaldus Dux* occisus „ est, cui FILIVS SVVS ARNVLPHVS IN DVCATV successit. „

Eadem fere habet Otto Frisingensis: [b] „ Vngari commisso „ cum Baioariis bello *Ducem eorum* LEOPOLDVM ARNOLFI DVCIS „ patrem occidunt „ Ita et alii plerique medii aeui scriptores.

Verum enim vero praeterquam quod Duces eo aeuo dicti sunt plures qui non nisi Marchiones fuerunt (sic *Poppo* et *Burcardus* Thuringorum Marchiones seu Comites nonnunquam Ducis elogio superbiunt, siue ipse quoque Luitpaldus noster in plurimis monimentis Comes, *illustris Comes*, tantum dicitur et ea adhuc aetate, ut, si Dux fuit unquam, anno demum quo obiit et post mensem Martium ad hanc dignitatem euehi debuerit; quid quod si Arnolphum patri in *Ducatu* successisse omnino contendas, ducem fuisse illico post patris caedem inde constaret.

At

a) ad a. 907.

b) Chron. L. 6. c. 15

At vero alia omnia docet diploma Ludouici Regis Erchembaldo Episcopo Eystetensi concessum [a]. ubi adhuc anno 908. coenobium Eystetense siue urbs Eychstetensis sita dicitur in PAGO NORDCOVE in COMITATV ARNOLPHI.

Cum autem certum sit omnino I° Engildeonis Comitatum et *pagum Westermann* in maiori pago Nortgowe situm ad Eystettense usque suburbium patuisse imo ipsam quoque urbem comprehendisse, 2° hunc pagum omnem cum Comitatu Engildeonis ad Luitpaldum translatum fuisse, 3ⁱ° Luitpaldo in eo successisse Arnolphum nostrum, dubium non est quin Arnolphus ille Eichstettensis idem sit qui noster, qui ergo Comitatum paternum iam anno 908. administrauerit.

At credin Ducis titulum omittendum fuisse in hoc diplomate, si iam tunc Arnolphus Dux fuisset cum libera potestate?

Accedam igitur asserenti nec Luitpaldum unquam nec Arnolphum ipsum statim post mortem patris Duces reuera extitisse, sed utrumque Boicis exercitibus limitique Orientali cum imperio militari praefuisse: ita ut ipsos scriptores nostri Duces exercituum vocauerunt, non aeque Duces prouinciarum.

§. III.


Alia aeque vulgaris opinio est, castrum Scheyrn siue Scyram ab Arnolpho Caesare extructum cessisse Arnolpho Luitpaldi filio, aut ab Arnulfo Duce conditum posteris relictum fuisse, quod profecto negare nolim quamdiu non constat, castrum illud non pertinuisse ad posteros Arnolphi; sed quod addunt Arnulphum

a) Codex Eychst. ap. Falckenst. Antiq. Nortgav. n. 11.

Ducem iam Comitem in Scheyrn audiuisse, id ego gratis concesfero nunquam.

Concederem tamen, si quid statuendum foret in hoc argumento, Arnulfum Ducem castrum Schyrense eo apparatu condidisse ut arcem domesticam posteris relinqueret quo Ratisbonae moenia auxit, ut urbem ornaret caput totius gentis et Regni Baioarici futuram.

Scilicet discimus ab Arnolfo S. Emmeramnensi a. *Monasterium Beatissimi Martyris Emmerammi*, *quod prius extra fuerat*, *coepisse intra muros esse Ratisbonensium ciuitatis quos* ARNOLFVS *Dux*, *inter* OPTIMATES OPERE DIVISO, cito *construxerat* SVB REGE HEINRICO.



CAPVT

a) Lib. I. c. 7. ap. Canis.



CAPVT SECVNDVM

SYNOPSIS.

Arnulphum et Bertholdum utrumqne Baioariae Ducem fratres, filiosque fuisse Luitpaldi Marchionis probatur. Probatur quoque Ducatui coniunctim praefuisse. An Bertholdus uxorem unquam duxerit, disquiritur. Alia de Bertholdo, qui improlis obiit.

§. I.

Luitpaldum patrem fuisse duorum filiorum apud omnes constat qui antiquitatis lenones esse nolunt.

Arnulfus natu maior neptem Arnulfi Caesaris Ludouici III. Saxoniae Regis filiam matrem salutauit.

Bertholdum siue Bertolfum alterum Luitpaldi filium prodit Witichindus, qui instar omnium est, dum eum Arnulfi Ducis fratrem compellat. Superius dictum est qua de causa lubens concedam eum natum fuisse Chunigunda, altera Luitpaldi coniuge.

Plures Luitpaldi filios huc usque nusquam reperi, nec diuinatione solida assequi potui. Haud officeret tamen illis silentium scriptorum nisi validiore argumento cohiberer a danda Luitpaldo sobole numerosiore.

Credideram aliquando in hanc intrudi posse imo debere *Eberhardum et Heinricum* Comites (de Hirsberg) quibus interuenien-

tibus Conradus Rex anno 919. confirmauit Walafrido Epiſcopo Eichſtettenſi priuilegium Ludowici Regis, Erchembaldo Epiſcopo conceſſum, in quo coenobium Eyſtett ſitum dictum eſt in Comitatu Arnolphi II.

Hallucinabar enim Comitatum Eyſtettenſem ad hos Comites delatum fuiſſe quod cohaeredes eſſent *Arnulfi Ducis*, indeque Comites de Hirſchberg perpetuos Aduocatos Eccleſiae Eychſtettenſis euaſiſſe.

Sed poſtquam perpendi nulla lege Aduocatos Eccleſiarum inſtitui debuiſſe Comites in quorum illae pago ſitae erant, hoc qualecumque argumentum concidit, eoque redii, ut affirmarem duos tantummodo filios tribuendos eſſe Luitpaldo. Quod ut obtineam ſepono in praeſens ea quae de Arnulfo Duce eiusque filiis prolixe dicturus ſum, et ad BERCHTOLDVM Ducem minus celebrem per ſaltum tranſeo, ſpe mactus, paucula quae de ipſo extant monumenta utcunque probatura eſſe Arnulfum Comitatus ſuos aut plane non abdicaſſe aut ſaltem abdicare non debuiſſe, poſtquam Ducatum Baioariae adeptus eſt.

§. II.

Berchtoldum fratrem fuiſſe Arnulfi conſtat iam ex Witichindi teſtimonio, conſtabit mox ex ipſius Berchtoldi litteris.

Vtrum Comes fuerit, et ubi Comitatum ſuum praediaque habuerit quaerenti ſubminiſtrabo ex Meichelbeckii ampla ſupellectile [a] diploma Heinrici Regis anno 931. ſcriptum, quo Heinricus reſtituit Wolframo Epiſcopo praedium a S. Corbiniano quon-

a) Hiſt. Friſing. Lib. III. c. I.

quondam emptum et eatenus *iniuſte ablatum*. Hoc eſt *Maies* et *Chorzes*, et *Chaeines* in pago VENVSTA in *Comitatu* BERCHTOLDI.

In pago *Venuſta* ergo Comes fuit frater Arnulphi, ſcilicet in *montano illo tractu* quem nunc TYROLIM nuncupamus.

Ne quis tamen cauſetur temere nos aſſeruiſſe hanc cartam Bertholdo Arnulphi Ducis fratri, litteras ipſius *Bertholti* hac de re ex Meichelbeckio integras referemus [b].

„ BERTHOLDVS diuina fauente Clementia Dux, Rudperto et „ Merolto noſtris fidelibus. Cognoscere vos volumus quod *di-* „ *lectiſſimus frater noſter Arnolphus*, *una* NOBISCVM rogatu Wolfra- „ mi Epiſcopi parochiam, ubi Sanctus Corbinianus requieſcit, „ cum noſtris fidelibus conuenimus, ibique inuictiſſimus frater „ noſter pro remedio animae ſuae quasdam res eiusdem eccleſi- „ ae quondam iniuſte ablatas, cum conſilio ſuorum fidelium re- „ laxauit.

„ Nos vero conſultu iam dicti fratris noſtri caeterorumque „ fidelium noſtrorum precibus Epiſcopi annuentes propri- „ etatem Corbiniani ad MAIES et CHORZES quam iniuſte ab- „ latam eſſe conſtat, in manus Epiſcopi poteſtatiue remiſimus; „ quapropter praecipiendo vobis iubemus, ut ſicut gratiam no- „ ſtram habere velitis (nuntiis Epiſcopi praedictam proprietatem „ reſignetis.)

Si quis vero eas cum Heinrici Regis diplomate contulerit vix credet ſcriptas alio tempore quam quo Wolframus a Rege obtinuit eam ipſam reſtitutionem, quam fieri iuſſit Bertholdus. Ex ipſis vero litteris colligi poſſe videtur ſcriptas eſſe Arnolpho adhuc

b) ib. p. 154.

adhuc ſuperſtite, id eſt, quod tardiſſimum foret anno 931. Hinc autem conſtaret, *Arnolphum* et *Berchtoldum* fratres Ducatum Baioariae ſimul rexiſſe, quod nemo, ni fallor, ante nos dicere auſus eſt.

§. III.

Itane ergo ad hanc dignitatem euectus fuit Arnolphus ut titulum ſaltem honoresque cum fratre communes haberet, et tota quaſi familia reipſa ducalis eſſet? Huic ſuſpicioni, niſi coniecturam dicere velimus, vires addunt, ea quae poſt mortem Arnolphi contigerunt. Ita enim Witichindus a. „ *Defunctus* eſt ARNOLPHVS „ Baioariorum Dux et filii eius in *ſuperbiam elati* REGIS iuſſu con„ tempſerunt ire in Comitatum. „

Mirum profecto eſt, Arnolphi filios, quotquot fuerunt, *omnes elatos fuiſſe in ſuperbiam*, *omnes ire ad aulam* recuſaſſe, omnes denique rebellaſſe. Si unus enim Eberhardus, qui natu maior inter ipſos erat, Ducatum obtinuerat aut obtinere geſtiebat, quae cauſa fuit cur natu minores ſuperbirent et Regem adire dedignarentur? Adde quod Reginonis Continuator ad annum 938. FILIOS ait, DVCIS ARNOLPHI *ambitione Ducatus Regi rebellaſſe*, *quos debellatum iuiſſe in Bauariam Ottonem Regem.*

Omnium igitur fuit haec ambitio, omnium eadem contumacia. At quo pacto contingere id potuiſſet non video, niſi omnes et ſinguli eorum Duces eſſe voluiſſent, iure natalium ſuffragiisque populorum ſuffulti, ſpreta Regis autoritate?

a) Lib. II.

Ita tamen, opinor, ambiuisse eos Ducatum, ut summa rerum penes natu maiorem maneret, quo inconsulto nihil decernere debuerint minores in prouinciis quae sibi committi postulabant.

Communicati eiusmodi regiminis vestigia habemus haud obscura in litteris Bertholti Ducis modo descriptis. Exemplum habebant filii Arnolphi in legibus quas Ludouicus Pius filiis suis dicta uerat; quibus fretus Lotharius Monarcham agens a fratribus petiit ut suam Maiestatem comiter colerent. Ita fere Baioaria ipsa recta fuerat ab Agilolfingis Ducibus, cui genti solenne fuit fratres quotquot essent, Duces salutare, imo superstite adhuc patre Duce.

His rite perpensis constat mihi communem Ducatum fuisse Arnolpho et Bertholdo, communem quoque filiis Arnolphi et patruo futurum nisi vetuisset Otto, offensus contemptu, quem ut pateretur e dignitate sua non erat.

§. IV.

Eo usque hallucinando rationes meas deduxeram, cum venerandus summe Princeps senatus sacri Salisburgensis mecum benigne communicauit Litteras, pacti inter Weriantum et Odalbertum Archiepiscopum initi testes. En tibi Lector ipsissima earum verba.

„ Tradidit *predictus Vueriant* cum Adalsuinda uxore sua in
„ manus Odalberti Archiepiscopi et Aduocati sui Reginperti pro-
„ prietatem suam quam in loco Hus dicto, *traditione* ARNVLFI ET
„ PERTHOLDI DVCVM accepit.

Haec

Haec traditio facta est procul dubio ante annum 928. siquidem hoc anno Weriant eamdem proprietatem dedit Odalberto. At quaestio iam non vertitur in eo ut dicamus quo tempore obierit Arnulfus. Habes enim traditionem unam a duobus simul ducibus factam.

Adde quod iam ex eadem charta exscripsi: Postea istis testibus renouatum est quorum nomina sunt; PERTHTOLD Dux, *Sigibart* Comes etc. anno Domini DCCCCXXVIII. actum ad Karantan VII. id. et 17 id. Maii.

Extra controuersiam igitur est Arnulfum et Berchtoldum Duces simul et collegas fuisse. Quod postquam adepti sumus asserere audemus 1° non plurium quam duorum filiorum patrem fuisse Luitpaldum 2° Ducatum geri cum Comitatu potuisse, quando quidem Berchtoldus Comitatum adhuc habuit anno 931. ut ex diplomate Heinrici Regis patet, in quo nunc aduertas oro *Nomini* BERCHTOLDI nullum additum fuisse titulum ut solebat, siue id negligentia acciderit, siue Heinricus Rex in actis publicis agnoscere noluerit praerogatiuam Ducatus, quam sibi vindicabat *Berchtoldus* consentiente fratre Arnulpho, penes quem tamen summa rerum fuisse videtur.

At si fatendum quod res est, diploma hoc Heinrici debilitat omnino coniecturas quas diplomati Ludowici Infantis superstruximus de tempore quo Arnulfus Dux euasit. Arnulfi enim nomini nec tunc ullus additus fuit titulus, qui adeoque de Comitatu aeque vocari potuit ut postea Berchtoldus nuncupatus est quamuis Ducatum iam adeptus fuisset. Sed de hoc iterum paulo post.

§. V.

§. V.

Poſt mortem Arnulfi Ducatus Baioariae deuenit ad Eberhardum eius filium natu maiorem. Sed debellatis fugatisque filiis Arnulfi perduellionis reis omnibus Otto Imp. iuſſit ut Berchtoldus ſolus Baioariae praeeſſet. Id teſtantur omnes coaeui et poſteriores ſcriptores. Conſentiunt plerique anno 938. contigiſſe.

Tunc fere autumo Heinricum Ottonis Regis fratrem defectionem ab ipſo molientem duxiſſe Iuditham filiam Arnolfi Ducis foeminam egregiae formae et ſingularis prudentiae [a]. Conſtat enim huius connubii gratia Heinricum Baioariis iam commendatum fuiſſe diu antequam Ducatum accepiſſet. At toto, quod eius euectionem anteuertit, tempore aut longe a Baioaria bellum geſſit, aut exul in Lotharingia deguit, aut carceri mancipatus fuit, aut toto regno exulauit; ergo diu antequam Ducatum adeptus eſt Iuditham coniugem habere debuit.

Vtrum vero Bertholdus Dux unquam Coniugem duxerit, mihi non conſtat omnino. In hoc argumentum inſignis eſt locus Conradi Vrſpergenſis, et Annaliſtae Saxonis [b]. „ BERTHOLDVS, in„ quiunt, BAIOARIORVM DVX ARNOLDI DVCIS FRATER, toto co„ namine fauebat regis partibus (cum ab eo defeciſſent et ferali „ bello eum fatigarent Giſelbertus et Eberhardus Duces) volens „ itaque Rex ut quemadmodum tribulationis praeteritae, ita et „ laetitiae praeſentis fieret particeps, ſequenti ſtatim die, ut de „ morte aduerſariorum audiuit, directis nunciis ei aperuit, ET

a) Witikind. Lib. II. Annal. Sax. ad a. 944.
b) Annal. ad a. 942.

„ CVM CONIVGALI CONNVBIO MINIME TENEBATVR in augmentum „ laetitiae demandauit ſub iuramento, ut, ſi ſororem ſuam, ſci- „ licet GISELBERTI VIDVAM poſſet habere, EAM CONIVGIO illi copu- „ laret, ſi vero hoc minus procederet, filiam ipſius Giſelberti ex „ eadem ſorore ſua genitam, quam penes ſe habebat, fere iam „ NVBILEM, ei iungeret. Quo audito BERTHOLDVS immenſo eſt „ gaudio affectus *elegitque* nondum NVBILEM FILIAM POTIVS EXSPEC- „ TARE, quam MATREM, QVAE IAM NVPSERAT, tollere. „

Reginonis Continuator refert connubium Giſilberti cum Gerberga ad annum 929. his verbis „ *Giſalbertus Dux Gerbergam filiam Heinrici Regis duxit uxorem* „ filia igitur Gerbergae ante annum 930. naſci vix potuit, unde ſequitur eam non ſupra aetatis annum decimum et ſeptimum fuiſſe anno 947. quo obiit Bertholdus, ſi credimus Hermanno Contracto, Monacho Hamerslebienſi, a. et Cunrado Vrſpergenſi. At ſi quis mauult Annaliſtae Saxoni, Reginonis Continuatori et Chronographo Saxoni credere *Bertaldus ſeu Bertholdus* obiit anno 945. quo eius ſponſa 15. annos demum nata erat.

Litem dirimere poſſet omnino charta Friſingenſis b. a me iam laudata in qua notatur annus 10. Ottonis Regis ſub Duce *Peraltoldo*, ſi additus non eſſet annus 948. aerae noſtrae. Hic error vel in anno regni Ottonis verſatur vel in anno aerae vulgaris. Anno enim 936. electus eſt Otto. Abſolutus eſt ergo X^us Ottonis annus 946. Quicquid vero ſit certo inde conſtat *Bertholdum* vitam protraxiſſe in annum usque aerae vulgaris 947. adeoque erraſſe eos qui eum anno iam 945. obiiſſe tradunt, alii, quales ſunt Sigebertus

a) in vita Ottonis.

b) Meichelb. n. 1030.

tus Gemblacensis, et Albericus, malunt anno 949. rebus humanis valedixisse Bertholdum. Recentiores omitto quorum aliis hic annus, aliis 948. magis placet. At quamuis vel maxime pronuntiemus Berchtoldum obiisse anno demum 948. vix tamen matura viro erat filia Gerbergae et Giselberti. Hanc dictam fuisse Willetrudin affirmat Bruschius [a] ubi Pergenii, seu coenobii Pergen haud procul Neoburgo ad Danubium siti, historiam texit. Contendit praeterea Willitrudin reuera nupsisse Bertholdo, qui tamen improlis obierit, additque, cum bona eius in fiscum redacta fuissent, praedia non modica retinuisse viduam Willetrudem in Sultzgouia videlicet, et Nordgouia circa Heersburgum; quod quidem cum nostris mire congruit coniecturis. Si enim ita se res habet, possedit praedia Bertholdus in meditullio Comitatus *Wusterman.*


At vix crederem Bertholdi praedia auita in fiscum redacta fuisse etiamsi id asseueraret autor coaeuus et fide dignus; multo minus credam cum desint eiusmodi monimenta.

Vt enim taceam fuisse Bertholdo nepotes, qui tunc ciuitatis iure gaudebant, et exhaeredari per legem non poterant, Iuditha saltem Heinrici uxor, cui, cuiusque haeredibus vindicata fuit *largitio* illa *praedii Riutani a Warmundo Comite facta*, Iuditha, inquam, exclusis, si ita libet, fratribus haeres utique legitima Bertholdi omnem eius haereditatem adepta fuisset. Concedam tamen beneficia, quae Bertholdus habuit, ad regem rediisse, indeque Ottonem aucupatum fuisse occasionem largitionis opimae faciendae, aut regii in Baioaria fisci apprime augendi. Sed nunquam concesfero


a) Chronol. Monast. Germ. voc. Pergen.

ſero gratis praedia Bertholdi auita ad ipſius conſanguineos non tranſiuiſſe.

Verum enim uero Bruſchius noſter praeterquam quod ipſe ſibi non conſtat, is non eſt cui absque vindice credamus, et forte aliquando continget nobis abrupte negare quicquid fere de illa Willitrude et de fundatione Monaſterii Pergenſis hariolatus eſt.



CAPVT



CAPVT TERTIVM

SYNOPSIS

De filiis Arnulphi Ducis in compendio agitur. Quatuor eorum recitantur, filiae duae. De Eberardo nonnulla adduntur quae fata ipsius ultima illustrant. De Hermanno remissiue. Ludouicus in transitu salutatur. Vt et salutantur Iuditha eiusque soror, ambae Arnulphi Ducis filiae.

§. I.

Quicquid sit de connubio Bertholdi Ducis, certum fere est filios ab eo procreatos non fuisse, proindeque nos de eius sobole anxios esse non debere.

Securi igitur redeamus ad Arnolphum ipsius fratrem, qui Ducatum quo anno auspicatus fuerit, dubitauimus. At haec dubitatio parui admodum momenti foret si constaret ipsum anno 908. aut paulo post Ducatum adeptum esse.

Suadere illud videntur duae chartae a Meichelbeckio publici iuris factae. Prima est eadem illa *Cwonis* siue *Chunonis Chorepiscopi* quam laudauimus cum de Aribone et Sigihardo Comitibus ageremus [a]. in qua maxime insignis nunc est nota temporis quam praefert scilicet annus 2. Episcopi Dracholfi idibus Sept. aerae nostrae 908.

 At

a) n. 982.

At confirmauit illam Arnolphus Dux litteris b. quarum hic eſt prologus „ ARNOLPHVS diuina ordinante prouidentia DVX „ BAIOARIORVM et etiam ADIACENTIVM regionum omnibus Epi- „ ſcopis Comitibus et REGNI HVIVS PRINCIPIBVS „

Nota temporis in hac poſteriore deeſt, ſed hauriri poſſe veroſimile eſt ex charta ſuperiore cum pacti confirmatio poſt pactum quidem ipſum, ſed ſpatio temporis non longo, ſcribi debuiſſe videatur.

Quod ſi vero litteras Arnolphi diligentius inſpiciamus et cum charta Cowonis conferamus deprehendemus actum fuiſſe de re, quae nonniſi Regis autoritate conſtare potuerit, quandoquidem Chorepiſcopus Cowo remiſit Eccleſiae Friſingenſi *Abbatiolam Moſapurg quam Rex ſibi complacitauerat.* Atqui quod a Rege collatum fuerat, autore demum rege transferre fas erat in alium. Adde litteras Arnolphi veſtigia parum ambigua exhibere autoritatis illius ſingularis qua et epiſcopis ius dicere et Epiſcopatus conferre ſolebat Arnulphus: *Regnum* denique Arnolphi, quamuis ambigue hac voce utatur ipſe, aut rebellantem aut regno qualicumque potitum ſub Heinrico Ducem indicat, eoque magis quod litterae de quibus hic agitur a Friſingenſibus in *aerarium* fuerunt *relatae.*

Arbitramur igitur Arnolphum, poſtquam cum Heinrico Rege pacem ſanxiſſet, illas ſcribi iuſſiſſe.

At rogabis cur pactum *Cowonis* tunc demum confirmarit Arnulphus? Aut cur id a Ludowico Rege non fuerit confirmatum?

Si

b) n. 983.

Si ſtatim poſt patris mortem vel regnante adhuc Ludowico Baioariam optimo iure rexit Arnulphus pactum anno 908. initum confirmare, ſin illico, non ita tamen ſero debuit. Quod vero non confirmauerit illud Ludowicus, in cauſa forte fuerunt parum culta in Baioaria ipſius Maieſtas, poſt Adalbertum foede occiſum, et animi Boiorum fere omnium ad res nouas conuerſi. Arnulphus tamen viribus quam autoritate magis pollebat; et iuſtitium fere ubique prae tumultu erat.

Inter adiacentes regiones quarum ſe Ducem ſcripſit Arnolfus cenſenda eſt procul dubio Carinthia in qua ius dixit Berchtoldus.

Illa in praeſentia proponere animus fuit, nam aſſeuerare in re tam obſcura audacioris eſſet.

§. II.

Mortuo Arnolpho, nam res ab eo geſtas domi militiaeque dicere propoſiti mei non eſt, quatuor eius filii Ducatum affectarunt, ut iam probaui quantum probari poteſt. Totidem filios fuiſſe Arnulfi nunc oſtendere operae pretium erit.

Plures fuiſſe Witikindus [a] ſatis indicat, cum ait FILIOS ARNOLFI *ad Comitatum venire contempſiſſe.* Tres minimum fuiſſe idem ſcriptor et ex eo Annaliſta Saxo docent [b] cum de rebellante Liudolfo ſcribentes mentionem iniiciunt de *Arnolpho*, Arnolphi filio, deque eius fratribus. At quatuor ſaltem fuiſſe ex hoc ipſo coniicere eſt quod EBERHARDVS nec Princeps defectionis, nec perinde particeps eiusdem fuerit, et ARNOLPHVS tamen CVM FRATRIBVS defecerit.

Poſt-

a) Lib. II.

b) Annal. ad. an. 953.

Postquam enim Witikindus et Annalista Reinsburgum a Liudolpho occupatum, expulsamque cum filiis Iuditham fuisse narrauerunt;

„ ARNOLPHVS, inquiunt, FILIVS ARNOLDI DVCIS CVM FRA„ TRIBVS hoc consilium machinatus est, eo quod Heinricus pa„ tris eorum regno subrogaretur, ipse autem honore patrio pri„ uatus esset.

Eberhardum natu maiorem Arnulfi filium Ducem a Summo Pontifice salutatum fuisse testantur Litterae [a] Leonis VII. Papae ad Episcopos et Comites Boios scriptae, his inter alia verbis „Prae„ ter haec EBERHARDO DVCI BAWARIORVM nostra autoritate iniun„ gimus ut praefato Gerhardo Archiepiscopo (Laureacensi) in „ omnibus auxilium praestet, ut suae ecclesiae status et rectitudo „ ac proprius vigor ad integrum culmen et priscum decorem suo „ IVVAMINE valeat peruenire, si Dei indulgentia et Sancti Petri „ etiam, *suorum delictorum* a nobis vult accipere remissionem„ Delicta illa Eberardi mihi displicent; nisi enim filio crimini versum quod pater deliquerat in ecclesias, vix capio quid sibi voluerit Leo cum de delictis Eberardi verbum faceret. Scriptae enim fuerunt illae litterae intra annum 937. scilicet, si verum est Isingrimum Ratisbonensem qui in iis nuncupatur anno 926. Episcopum creatum, undecim tantum annis Episcopatu functum fuisse. Illa in animo habebam cum dicerem post mortem Arnolfi summam rerum ad Eberhardum pertinuisse.

§. III.

a) Hund. Metrop. Salisb. T. 1. p. 35.

§. III.

Arnolphus ſecundo genitus videtur fuiſſe cum ſolus e fratribus a Witikindo nuncupetur, utpote qui maxime infenſus erat intruſo Duci.

Hermannum fratrem Arnolphi luculenter nobis ſubminiſtrat Biographus S. Vdalrici [a] apud Velſerum, cum docet ipſum Hermannum captum fuiſſe in proelio quo victus eſt Arnulphus, ſauciatus vero Adalbertus Comes.

Ludowicum Iudithae, quae nupſit Heinrico Ottonis I. fratri, germanum, atque adeo Arnolphi Ducis filium eruimus iam ſupra ex charta Ratisbonenſi.

Conſtat igitur omnino quatuor fuiſſe filios Arnulphi Ducis, niſi plures fuerunt.

§. IV.

De Eberhardo, qui natu maior fuit, dicturus eram cum animaduerti nihil de eo apud ſcriptores reperiri, Tollnerumque et alios recentiores qui in eius vita deſcribenda copioſi ſunt, Eberhardo Comiti Palatino, qui Conradi Regis frater fuit, ſubtraxiſſe id omne quod in vitam eius congeſſerunt.

a) c. 10.

Nihil ergo quod ad ipſum Eberhardum certo pertineat habemus praeter litteras Leonis Papae et haec verba ſcriptoris qui Chronicon Reginonis continuauit:

„ An. 938, *filii Ducis* Arnolphi ambitione Ducatus Regi re-
„ bellarunt, quos ipſe debellaturus in Bauariam ibat, ſed non
„ ut voluit, eos pacificare valens reuertitur. . . . iterumque
„ Rex in Bauariam reuertens, omnes ſibi ſubdidit, et Eber-
„ hardvm Arnolphi filivm plus aliis rebellem in exilium mi-
„ ſit „

Tollnerus nobilis utique rerum Palatinarum ſcriptor poſtquam Eberhardum a. 954. in urbe Ratisbonenſi ad deditionem coactum fuiſſe narrauit, et in Sueuiam relegatum, ipſum illic Dynaſtam Ebersbergenſem egiſſe, et in caſtro Ebersbergenſi obiiſſe, neſcio quo autore, ſubiungit.

Id tamen in gratiam Tollneri addere debeo Ratisbonenſem obſidionem quam Eberhardus ſuſtinuiſſe dicitur, non eamdem illam eſſe qua Arnolfus Iunior a. 953. et ſeq. oppugnatus eſt. At ſi eadem non fuit neſcire me fateor unde ſua hauſerit Tollnerus.

Hermannus quidem Contractus, ut de aliis taceam quos iam laudaui, ait, anno 938. Ottonem denuo cum exercitu Noricos inuaſiſſe, omnesque praeter *Arnolphum* Arnolphi Ducis filium, ſubiugauiſſe.

Iisdem fere verbis eadem repetit Annalista Saxo, in hoc tantum ab Hermanno discrepans quod ille omnia ad annum 939. referat.

„ Anno, inquit, 939. Otto Rex Bawarios iterum aggressus
„ omnes sibi subdidit praeter unum filium Arnoldi.

Constat igitur Eberhardum a. 939. in ordinem redactum fuisse sed de obsidione Ratisbonensi non aeque constat. Certum est exilio mulctatum fuisse, quo exul abierit nescire malo, quam Tollnero et Auentino plus aequo credere.

Ab exilio nunquam reuocatum fuisse vix probabile mihi videtur. Negare tamen quae tot viri nobiles, recentiores quidem, uno ore affirmant, audax facinus videretur, si minus ostendere possem Eberardum de exilio reducem in Baioaria deguisse.

Nec profecto deest mihi iis circiter temporibus in Baioaria *Eberhardus* Comes, qui titulus esse debuit exauctorati Ducis. Sed cauendum ne Eberhardus ille ex Ebersbergensibus Baioariorum Comitibus fuerit, nosque adeo errorem erremus isti similem quo Tollnerum laborasse autumo cum ex Eberhardo Ebers-pergensi, Boico quidem, sed praediorum in Sueuia diuite, creauit Eberardum suum Dynastam de Ebersperg in Sueuia, ab Eberhardo nostro, si diis placet, haud diuersum.

En tibi Lector series Comitum Ebersbergensium in Baioaria iuxta historiam ab Oefelio editam.

Sigkardus Comes obiit 9. die Octobris anno 906. successit filius *Ratholdus*, qui pater fuit *Eberhardi* et *Adalberonis* obiitque iam senex anno 919.

Eberhardus castrum Ebersbergense sortitus uxorem non habuit obiitque anno 949.

Successit ipsi *Adalbero* frater, cuius uxor Leutgardis, ex qua filios octo suscepit. Octauum VDALRICVS Episcopus qui anno 924. *Augustanus Praesul renuntiatus fuerat*, *de sacro baptismatis fonte leuauit*, *et aequiuocum sibi fecit*. Solus hic patri superstes eidem successit. Quo anno obierit Adalbero, rerumque potitus sit Vdalricus, tacet historicus Ebersbergensis. Sed constat aliunde Vdalricum iam anno 970. Eberspergensi ditioni praefuisse, cum hoc anno ecclesiam Eberspergensem consecrari curaverit. Duxit Vdalricus Richardem sororem Marquardi Marchionis de Carinthia ex qua suscepit *Adalberonem* et *Eberhardum* filios, Willibirgam et alias tres filias. Vdalricus obiit valde senex anno 1029. Sed iam dudum filii rerum potiti erant Comitesque audiebant, quo tempore obiit pater veteranus et emeritus senex; ipsi vero non obierunt ante annum 1037.

Haec sufficiunt ut asserere possimus ex Eberspergensi hac domo neutiquam fuisse Eberhardum quemcunque post annum 949. in Baioaria nostra reperimus. Sed monere debeo errorem in historia Ebersbergensi circa aeram esse debere aut Eberhardum defunctum iam fuisse, cum Hungari ad Lycum profligarentur.

In-

Inspiciamus nunc monumenta nostra Frisingensia, a. In iis praesto est *Eparbart* seu *Eberbardus Comes* testis primus cum Aripone et Vogone, cum Lantperti Episcopatus iam ad finem vergeret, adeoque paulo ante 957. cum Ratoldus adhuc esset Archiaduocatus.

Sed concedamus hunc *Eparbartum* Comitem aliumque, qui testis fuit largitionis b. ab Adalperone Comite factae cum adhuc Lantbertus Fpiscopus, Ratoldus Aduocatus essent, diuersos non esse ab Eberhardo I. Eberspergensi, Ratoldi Marchionis Carinthiae filio, certum erit saltem coaeuum hunc non fuisse Abrahamo Episcopo Frisingensi, qui praeesse coepit anno 957. anno 994. desiit.

Iam vero cum Aripo Comes largitionem illam ad Wirmam faceret de qua nos alibi, Ecclesiae praeerat Abrahamus, Aduocati munus sustinebat Papo. Primus tamen largitionis testis recitatur Eparhart Comes, secundus vero Ratolt.

Hic est ille Eberhardus quem eumdem cum exauctorato Duce fuisse tantisper credam, donec meliora probauerit quisquam. Magis enim arridet Eberhardum in patrio solo et Comitis vice fungentem apud suos senuisse quam in exilio apud Sueuos Dynastia undecumque comparata obscuras exuuias deposuisse.

D 3 Quod

a) n. 1048. b) n. 1076.

Quod cum ita fit, aut esse mihi videatur, non dubito fere ad hunc Baiorum Primatem, olimque Ducem referre haec verba Annalistae Saxonis:

„ Anno Dominicae incarnationis 966. . . EBERHARDVS COMES „ obiit. „ Ita ut et annum emortualem huius principis viri nouisse mihi videar.

Improlem obiisse non magis opinor quam exulem. Sed de eius posteris dicere in praesentia non vacat.

§. V.

De Hermanno Eberhardi fratre alii aut diligentiores nobis, aut otiosiores scribant.

Nec de Ludowico plura dicere placeret praeterquam et vixisse eum et adoleuisse. Sed scrupulum mouere videtur, nec prorsus immerito, locus insignis libri II. quem de S. Emmeramo scripsit Arnolfus a. Narrat ibi Brunonem „ Heinrici II. Imp. fratrem „ *sub occasione iuris* haereditarii tentasse sibi vendicare curtem quae „ vulgo dicebatur *Enterhof*, (eadem haud dubie quae Eitarahoue „ dicitur in traditione Ratisbonensi b. exqua Ludouicum hunc „ erui) quod AVIA eius IVDITHA NORICI REGNI videlicet DVCISSA „ *S. Emmerammo* pro se suisque filiis HVLDVWICO atque *Henrico* „ velut Regalem fiscum tradidit, eo scilicet tenore ut, si Episco- „ pus

a) Canis. Lect. ant. Tom. III. Pars. I. p. 147.

b) Bern. Pez. Thesaur. Anecd. T. I. P. III. col. 62.

„ pus vel aliqua potens persona eamdem curtem usurparet, statim „ in ius haeredum filiorum reuerteretur. „ Haec clausula in Codice Ratisbonensi non occurrit, sed solemnis fere fuit; at credere malo bis traditionem praedii eiusdem factam fuisse, vice nempe altera post mortem Ludowici fratris Iudithae, quae eiusdem nominis filium habuisse videtur, aut errasse Arnoldum, quam dicere, adeo peccasse eum, qui Codicem Ratisbonensem congessit, ut bis, et disertis verbis Ludouicum Iudithae fratrem nuncupauerit, qui filius fuisset.

§. VI.


Arnolfus maiori molimine nobis exagitandus erit. Sed priusquam ad eum veniamus, morem gerere consuetudini debemus, et sobolem Arnolphi Ducis, quae sequioris sexus fuit, a limine saltem salutare.

De Iuditha quidem iam dixi, nec plura dicere in animo habeo, nisi ut asseram illam non fuisse unicam Arnolphi filiam, quod tamen affirmasse nonnullos video, tanta prurigo est decidendi, ubi dubitare tantum licet. Sed ne dubitationi quidem hic locus est, cum testem habeamus Witikindum qui instar multorum esse potest. „ Heinricus, inquit ille, [a] frater *Ottonis I.* et Dux *Bawariae* „ fidelis erat amicis, ita ut mediocris substantiae militem CONIVGIS SVAE SORORIS MATRIMONIO HONORARET, socium sibi atque „ amicum faceret. „

Con-

a) Lib. II.

Coniux Heinrici unica, ipſique ſuperſtes fuit *Iuditha*. Haec igitur habuit *ſororem* quae militi mediocris ſubſtantiae nupſit. Nomen utriusque huc usque latet.



CAPVT

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS.

De Arnulfo II. Arnulfi Ducis filio proferuntur nonnulla. Wernherus Schirensis, quem filium ipsi tribuunt recentiores Aug. gentis Boicae satorem, profligatur. Bertoldus haud dubius Arnulfi II. filius e tenebris protractus salutatur AVTOR GENTIS AVGVSTAE.

§. I.

Superest Arnolphus II. Arnolphi Ducis filius quem illustrasse non pigeat. Nomen eius, quod patris quoque erat, varie scriptum est. Arnoldus enim, Arnolt, Arnolphus et Arnulphus indistincte nuncupatur.

Solus, ut mihi videtur S. Vdalrici Biographus [a] nos docet carum fuisse illum Heinrico Duci Comitemque Palatinum audiuisse.

„ *Cum inquit, filius eius (Ottonis I. Liutolfus) cum uniuersis quos*
„ *congregare potuerat, et resistere niteretur, atque extorrem Regalis po-*
„ *tentiae agere moliretur*, HEINRICVS DVX *commendata ciuitate Ratis-*
„ *bona totaque regione Noricorum Arnolfo Palatino Comiti et caeteris in-*
„ *super* FIDELIBVS *suis perrexit ad Regem. Moram autem illo faciente*
„ PRAEFATVS ARNOLFVS *cum multitudine populi, fraudulenter Ratisbo-*

a) c. 10.

„ *nam cum caeteris urbibus, et cum frequentia populorum et cum omnibus*
„ *quibus potuit, Liutolfi potestati subegit.* „

De Arnoldo quoque luculentum habemus testimonium in vita Brunonis Archiepiscopi Coloniensis a coaeuo Ruotgero scripta. a. Postquam enim egit de defectione Liutolfi „ *quem mouit, inquit* „ *ille, anxietas et metus elegantissimorum Comitum, qui nisi illius impiae* „ *coniurationis labe essent infecti, ornatus et iucunditas esse possent Imperatoriae dignitati; ac ne quid penitus sine fraude fieret cum* ARNOLDO *strenuo inprimis viro, cui summa rerum per idem tempus in Bauuariorum terra commissa fuit, secretius pollicitationibus infinitis, commemorando insuper odium vetus egerunt ut se primum, deinde urbem praeclaram, postremo totum illud regnum Henrico Duci* PERIVRVS *abdicaret, tantum sibi roboris inter eos inuidia et odium vendicauit.* „

Ex iis quae supra diximus elucescit, quaenam fuerint pollicitationes illae infinitae quibus Liudolfus Arnoldum, ut ab Heinrico deficeret, impulit. At ex hoc elicere forsan possumus, EBERHARDVM cuius potissimum ius erat in Ducatum paternum, in exilio tunc latuisse, aut minus potentem fuisse quam ut eius opera praeprimis indigeret Liutolphus.

Arnoldus, cum Imperator ex Baioaria re infecta discessisset Augustam quoque urbem occupauit, spoliauitque, et milites Vdalrici Episcopi nonnullos in Baioariam secum abduxit, Vdalricus vero Augustam urbem, in quam redierat, tutari desperans, in castrum Menchingen secessit, eoque supellectilem omnem comportauit-animum eius legationibus tentat Arnolphus at incassum.

„ Tunc

a) Scriptor. Bruns. Leibnit. n. 22. c. 16.

„ Tunc praefatus [a] ARNOLFVS, FILIVS ARNOLFI DVCIS, con„ gregata multitudine eorum infauſtorum qui ante Auguſtam ci„ uitatem depraedati ſunt, et aliorum, in quorum tunc confide„ bat adiutorium, voluit obſeſſo caſtello venerandum epiſcopum „ vi coactum cum ſuis ditioni ſubdere Liutolfi.

Cladem *ab Arnolpho* tunc acceptam iam memorauimus. At inuictus animo uir, cum Otto Ratisbonae obſidionem minaretur, in ipſam ſe mox contulit, eamque eodem tutatus eſt animo quo omnia hucusque geſſerat; ſed cum eruptionem in hoſtes feciſſet ſtatim in articulo tumultus occiſus eſt. Ita Biographus S. Vdalrici: [b]

Iuxta alios [c] „ a tertia hora usque in nonam acriter pugna„ tum eſt ante portam urbis, (quam tentauerat Gero apud Saxo„ nes vir praecipuus) ubi equo cadente ASCENSOR ARNOLPHVS ar„ mis exutus, illicoque telis perfoſſus occubuit. „

Id contigit anno 954. cum Vngari Germaniam iam vaſtaſſent, et vaſtare iterum pararent, fraude Liudolphi et Conradi Ducum acciti, ut quidem aſſerit Ruotgerus. [d] Poſtquam enim Arnoldum ab iis corruptum fuiſſe retulit. „ *Simul Vngros*, *addit*, *antiquam pes*„ *tem Patriae ſollicitabant*, *ut regnum in ſe ipſum diuiſum inuaderent*, „ *arbitrantes hoc modo ſibi ſollicitudinem qua premebantur aut penitus adi*„ *mi*, *aut aliquatenus minui poſſe*.

a) Vit. S. Vdalr.
b) c. 12.

c) Annal. Saxo ad a. 954.
d) Vita Brunon. AEp. Colon. ap. Leibnit. l. c.

§. II.

Ottonis tamen gratiam iam recuperauerant Liutolfus et Cunradus, quum Augusta ab Vngaris obsessa fuit et ad Lycum pugnatum est.

At si medii aeui scriptoribus fides habenda foret surrexerat iam tunc *Arnolphi* nostri ex ossibus ultor qui factionem iam iam ruentem ut sustentaret, iussus forte a Cunrado et Liudolfo, Vngaros sedibus suis exciuit, iisque viae ducem se obtulit. Hac de re verba sunt Ottonis Frisingensis notatu dignissima: a. „ Huius maxime concussionis, inquit, AVCTOR FVISSE EX BAIOARIA QVIDAM „ SCIRENSIS Comes memoratur, qui tamen perfidiae suae poenas „ soluens, dum Vngaros incaute eductos morti exposuisset, ab „ eis tanquam traditor necatus est.

Nomen miseri quod tacuit Otto, reuelauisse videtur Conradus Schirensis seculi XIII. iam adulti autor, qui de Schyrensibus Principibus Geneographiam ita fere exorditur. b.

„ *Inter hos quidam* WERNHERVS COMES *fuit*, *qui Vngaros temporibus S. Vdalrici in campo Lici dimicaturus aduersus Imperatorem* „ *Othonem qui Magnus dicebatur*, *apud Augustam duxit*; *quia hunc* „ *idem Imperator rebus et patria proscripserat*. . . *ipse autem Comes auxilio S. Vdalrici euasit periculum*, *quia hunc de lauacro sacro susceperat*. „

Idem paulo post addit de castro Schyrensi „ ut fertur ETIAM „ ARNOLDVS DVX BAVARIAE qui Monasteria destruxit et reditus „ eorum militibus diuisit; primus hunc montem habitabilem fecit.

Vix

a) Chronic. l. VI. c. 20. b) Sect. IV.

Vix igitur negari potest Wernherum, si unquam vixit aliquis id nominis Comes Schyrensis, originem duxisse ab Arnolfo Duce.

Verum enim vero heic omnino me angit quod in vita Vdalrici ne nomen quidem Wernheri reperiam usquam; et si Wernerus ille is fuit Arnulfi II. filius qui sancto praesuli vitam debuit, diuersus sane est a Comite Schirensi quem Otto Frisingensis ab Vngaris occisum perhibet. Atqui Schirensis ille Comes ab Vngaris caesus sator fuit certissimus Schirensium eorum, ad quos origines suas refert gens Augusta Baioariorum. Quod ergo pace omnium scriptorum recentiorum dixerim Wernerus Arnolphi II. Palatini filius quidem esse potuit quandoquidem Schyrensibus eum accenset Conradus; sed nihil vetat quo minus illum patre Eberhardo etiam aut Hermanno, aut alio quolibet natum dicamus.

§. III.

Quicquid in Wernhero desideratur de Arnolphi alio eoque certiore filio aut abundat, aut negari nequit.

Euolue mecum vitam S. Vdalrici a coaeuo fere scriptore delineatam, et lege sodes, quae de obsidione Augustae urbis narrat vir non illiteratus.

„ Interim (dum Vngari in muros iam impetum facerent)
„ cum interius exteriusque parati essent ad bellum PERCHTOLFVS
„ FILIVS ARNOLPHI de castello RISINESPVRCH *venit ad Regem Vngrorum, adnuntians ei aduentum gloriosi Regis (Ottonis,) qui ut haec audiuit suum classicum omni exercitui notum clangere praecepit, de cuius sonitu exercitus totus pugnam ciuitatis omisit.*

Habes filium Arnolfi Berchtolfvm siue Bertholdum, habes infelicem principem qui patriam prodebat hosti immani, ut sic tandem dignitates familiae ademptas recuperaret; habes virum Regi Vngarorum iam notum utpote socium itineris inde ab Vngariae finibus, qui vero cum Augusta urbs obsideretur in *Castellum* se contulerat exploratum, ecquid Rex Germaniae moliretur. Celer dein aduolat, nuncius aduentantis Ottonis, in castris Vngarorum *illum praestolatur*, proelio interest, tandemque poenas luit infortunii magis quam flagitii.

Nihil de Wernhero simile dici potest, qui nec ab Vngaris occisus est, nec, quod sciamus, in castris Vngarorum versatus. Non ideo tamen repudiabo plane *Wernherum*; id solum, quod quidem nostra quam maxime interest, contendo, Berchtolfvm Arnolfi filivm evm esse quem celebrat Otto Frisingensis, frustraque oppositum huic iri *Conradum Schyrensem*, cui deerant omnino monumenta coenobii sui domestica circa rem originibus Schyrensibus longe vetustiorem, quemque haud dubie autoritate immensum superat Otto Frisingensis.

Satis sit nobis in praesentia detexisse filium Arnolphi II. Palatini, nepotem vero indubium Arnolphi I. Ducis.

Vtrum Arnolphus hic quem secundum nuncupabimus et ipse Dux fuerit ambigi vix potest, cum sciamus ipsum ea lege Liudolpho adhaesisse, ut ducatus paternns ipsi restitueretur; sciamus quoque illum rerum in Bauaria longe lateque potitum fuisse. Noli ergo mirari, Lector, hunc Ducis titulum ipsi tribui, ut volunt, a Monacho Sangallensi, immo diserte tribui ab Hermanno Contracto, nisi mendo laborat turpi Canisianum exemplar ad

a.

a. 953. „ ARNOLFVS filius ARNOLPHI *quondam Dux* NORICORVM
„ partibus se Liutolfi contra Regem iungens, Augustensem ur-
„ bem, episcopatumque depraedatur.

Animaduerte tamen Arnulphum II. iam ante hunc annum ducatu excidere debuisse, si lectionem Canisianam stare velis, adeoque eum tunc primum Ducem audiuisse cum summa rerum esset penes fratrem Eberardum. De Arnolfi II. uxore sollicitus magis non ero quam fui de matre ipsius. Despero nempe hanc rem tractando nitescere posse antequam monumenta detecta fuerint, mihi quidem huc usque ignota.

In causa est forte tantae penuriae Luitpaldinorum nostrorum paululum auersus a struendis coenobiis locupletandisque praesulibus animus, qui Bambergensium quoque fuit. Paucos enim utrique, parceque, dum res ipsorum maxime florerent, ditarunt Praesules, raros opibus bearunt Monachos, quin potius feralibus Arnolfo Duci exprobrantur verbis coenobia praediis spoliata, patrimonia sanctorum usurpata, dilapidata.

§. IV.

Huc usque nostra omnia cohaerent optime, texuimusque seriem Principum virorum perpetuam in qua nihil hiat, nihil titubat.

Ab Alprato primo, aut si mauis ab Adalberto I. Comite confinii usque ad Luitpaldum Marchionem adeo munita sunt, et tuta omnia, ut nihil illi operis nostri parti timeamus.

De

De Luitpaldo Marchione ita disseruimus, ut quamuis tritum magis esset argumentum, non poeniteat denuo tractauisse. Idem dicere audemus de Arnulfo Duce Luitpaldi filio, atque de quatuor filiis Arnolfi.

Arnulfum tamen II. maxime illustrauimus, quia pater fuit Berchtoldi a quo asserimus oriundos fuisse Schyrenses eos qui Ducatum Baioariae recuperarunt.

Iam vero tenebras subito densissimas et salebrosum adeo iter offendimus, ut evadere fere desperemus. Desunt scriptores coaeui, desunt monumenta, aut, si sint aliqua, ita sane sunt comparata, ut ex eis seriem genealogicam conficere quae certa sit, supra vires humani ingenii collocatum esse videatur.

Discessimus iam a sententia Conradi Schyrensis siue Philosophi, ut nuncupant, cuius autoritas eo minus ex aeuo quo scripsit metienda est, quod certum sit ipsum monumentis antiquis caruisse eaque duntaxat arripuisse quae in promtu erant. Veneraturi tamen fuissemus eius canitiem, nisi vetuisset Ottonis Frisingensis multo maior autoritas, quae, quanta sit in his rebus, neminem latere puto.

Cum igitur a limine impegerimus in illum Conradum quem maxime secuti et male etiam interpretati sunt recentiores, quid superest nisi ut incerta omnia et obscura timeamus. Non enim ii sumus qui verba facere et magna minari contenti aniles fabulas obtrudamus lectoribus errorem apud alios, fastidium plaerisque generaturas.

At

At aggreſſi hoc opus circumſpicere debemus qua tandem euadere poſſimus omniaque ſubſidia accerſere quibus ſuffulti, ſi minus certa, ſaltem veriſimilia, et quae nauſeam non moueant, lectoribus ſubminiſtremus.

Hoc interim conſtat a Berchtoldo filio Arnolphi Palatini Comitis, nepote Arnoldi Ducis oriundos eſſe Schyrenſes noſtros, quorum ſeriem certam, ſi, quam altiſſime fieri poteſt, repetimus, deueniemus ad fundatorem Vſenhouenſis Coenobii OTTONEM qui ipſe filius fuit Ottonis Comitis et Hazachae Comitiſſae.

§. V.

Ille vero Vſenhouenſis fundator ſecum fert ipſe Inſigne quoddam, ſeu caracterem, quo agnoſci poſſe videntur eius maiores. Conradus enim Schyrenſis [a], verbis tamen Henrici V. Imperatoris, rem affirmat, quae maximi momenti eſt ad firmandam Hoſiacam originem et inueſtigandam ſeriem Principum in quos inquirimus; ſcilicet FVNDATORES Monaſterii *Vſenhouen* iuxta fluuium Glanam ſiti „ *Praefatum locum communem inter ſe a parentibus, uti pluribus „ patuit, eatenus habuiſſe in prouincia ſcilicet Norica, in pago Vſenhouen „ iuxta fluuium qui dicitur Glana in Comitatu Vſen, quod Vſenhouen an„ tiquitus et caſtrum Glanecke, modo autem mons S. Petri nuncupatur.*

§. VI.

Alterum quod elicio ex rationibus meis, erit, ut Comitatus aut ſaltem praedia habuerint ad Oenum, et in Orientali Baioaria, beneficia vero ab Epiſcopis huius tractus praeſertim vero ab Archiepiſcopo Salisburgenſi.

a) Sect. III.

Quamuis enim proſcripti fuerint poſteri Arnolfi Ducis nunquam a me obtinebo ut credam exutos eos magis fuiſſe praediis et ditionibus auitis, quam exuti fuerunt illis temporibus tot alii perduelles atque proſcripti Principes, quibus praedia nunquam non reſtituta fuerunt. Arnulfus ipſe antea rebellis quanta autoritate gauiſus deinceps eſt in Baioaria, quae tota eius fidei commendata fuit? Conradus Dux et ingratus et rebellis filios reliquit Duces et Principes potentiſſimos.

Addam porro cum praediis in pago Hoſiorum et in Orientali Baioaria coniuncta eſſe debuiſſe penes Schyrenſium Maiores praedia et Comitatus aut ſaltem amplas ditiones *in tractu Eichſtettenſi* et in ea regione quae nunc Tyrolis dicitur.

Illae ſunt notae quibus agnoſcendos credo poſteros Luitpaldi Marchionis et Arnulfi Ducis. Emergunt enim ex eo quod diximus et probauimus de praediis et prouinciis quibus potiti ſunt illi Schyrenſium ſatores.

§. VII.

Addit alia duo inſignia Auentinus [a] dum Arnulphum II. et Hermannum Eberhardi Ducis fratres curatores templi Fiuxinenſis et Praefectos Praetorio Baioariae ab Ottone declaratos fuiſſe tradit, aut, ut minus ambitioſe rem dicamus, Aduocatos Eccleſiae Friſingenſis et Comites Palatinos creatos fuiſſe.

Praefectura Praetorio, ſeu Comitiua Palatii, ſi Auentino credimus res et tempora miſcenti, tum maxima dignitas ſecundum Regulum erat, quod, quam verum ſit, videant qui monimenta vetera ſaltem a limine ſalutarunt.

Quod

a) Lib. IV.

Quod vero dicit de Aduocatia Ecclesiae Frisingensis non facile credent ii qui sciunt eiusmodi officia ex lege quidem haereditaria fuisse plerumque, ex priuilegiis autem, quibus maxime donabantur Ecclesiae Episcopales, a Praesulibus conferri consueuisse seu sponte libera, seu ex usu recepto, nunquam vero, illo praesertim aeuo, a Regum nutu pependisse.

Cum vero Schyrenses quo tempore notissimi sunt reuera et Aduocati fuerint Ecclesiae Frisingensis, et Comites Palatini Baioariae, operae pretium erit in veteres Aduocatos et Palatinos inquirere, ne quid desit his Commentariis.

Quos pigebit harum excursionum rogamus ut perpendant, quam in tali argumento adminicula quaelibet contemnenda non sint, et quam bene de republica mereatur is, qui morum legumque mobile spectaculum cum historia Principum coniunxerit.



Tabula XVIII.

Luitpaldus Marchio † 907.


Arnulfus Dux Baioariae † 937. | Bertholdus Dux Baioariae † circa 947.

Eberardus Dux Baioariae. | Arnolfus II. dictus Comes Palatinus Baioariae † 954. | Hermannus, Ludouicus. | Iudith. Vx. Heinrici I. Baioariorum Ducis

Bertholdus Comes 955–976

Otto Comes Schirensis Hazachae maritus. 1040

LIBER



LIBER OCTAVVS.

Aduocatia Ecclesiae Frisingensis Arnulfi Ducis posteris ab Auentino ante seculi XI. medium male vindicata.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS.

De successione in Aduocatias generatim praemittuntur nonnulla. De Reginperbto Hosio, Alprabti coaetaneo, et, uti videtur, antiquiorum aduocatorum Frisingensium Satore. Horum series ab a. 830. *repetita, ad Vdalscalcum usque annumque* 1020. *deducitur, singulorumque parentes, quantum fieri poterat, indicantur.*

§. I.

Non contigit mihi legere priuilegium, legemue cuius vi Episcopi Frisingenses liberam habuerint potestatem eligendi sibi Aduocatos. Licet vero hoc iure gauisi sint olim, quod maxime credo, modeste eo usos esse illos constat, cum oportunitati, fauori, autoritati, potentiaeque Principum, qui aut nocere ipsis aut prodesse maxime poterant seruire debuerint. Nescio an errem,

ſed mihi videor deprehendiſſe 1º quoties nouus Epiſcopus creatus eſt, toties nouum Aduocatum ſummae rerum praefectum fuiſſe. 2º ad unum forte ſpectauiſſe Aduocati ſummi titulum, honores et emolumenta, ſed cum Aduocato huiuscemodi ſummo ſeu Principali fratres eſſent, illos quotquot fere erant eius aut vices ſupleuiſſe, aut collegas fuiſſe. Id ſaltem contigiſſe videtur Schyrenſibus. 3º ex una praeſertim eademque familia deſumi ſueuiſſe Aduocatos, niſi forte Epiſcopus quisquam eum Aduocatum retineret, quo uſus quisque fuerat antequam ferulam adipiſceretur. Tandem 4º illum olim nec Aduocatum fuiſſe unquam nec eſſe potuiſſe ad cuius Praefecturam vel quaeſturam pertinerent eccleſia quae defendenda erat, vel res de quibus agebatur.

Plura de Aduocatis Eccleſiarum diſſerere prolixius foret et a propoſito noſtro prorſus alienum. Non poſſumus tamen quin oculis lectorum ſubiiciamus duo monimenta quae huc pertinent, alterum ex diplomate, ex hiſtoria alterum deſumptum.

Diploma a) quo Heinricus IV. fundationem Rotenſis Monaſterii a Conone Palatino factam regia autoritate muniuit, ſequentia refert notatu digniſſima: „ *Cono obtinuit quoque Monaſterio liberam* ABBATIS ELECTIONEM ET VT ADVOCATVM NON HABEANT, NISI QVEM VELINT, QVIA IAM LEGITIMA ADVOCATORVM SVCCESSIO CESSAVERAT, *mortuo ſine liberis filio, et ad filios filiae illius non pertinebat.* „

Haec Aduocatos quos maiores ſeu principales nuncupabant concernunt. De aliis minoribuſue Aduocatis, quos nouiſſe quoque

a) Hiſt. Friſing. p. 264.

que noſtra magni intereſt, fuſe tractauerimus cum ex uita S. Vdalrici b. excerpſerimus id quod ſequitur:

Horum qui in ſuo (Vdalrici) Epiſcopatu proprietates habebant, quisquis religioſorum propter amorem Chriſti Eccleſiam componere cupiebat, et cum conceſſa licentia ab eodem ſancto Epiſcopo, eam aedificauerat, conſecrationemque habili tempore ab eo fieri flagitauit, aptiſſime unius cuiusque petitioni praebuit aſſenſum, ſi confeſtim ille conſecratae eccleſiae legitimam dotem in terris et mancipiis in manum eius Celſitudinis dare non differat in conſpectu ciuium ſuorum et teſtium veridicorum, ne poſtea geſtae rei veritas offuſcaretur, ea etiam ratione ut aliis circumiacentibus eccleſiis iura earum in nullis rebus propter nouam illam minuerentur, conſecrationeque peracta, doteque contradita, comprobato illic presbytero altaris procurationem commendauit, et Eccleſiae ADVOCATIONEM FIRMITER LEGITIMO HAEREDI *panno impoſito commendauit.* „

Addamus denique 1°. Epiſcopum, in ſua quemque Dioeceſi omnium rerum ad Eccleſiam pertinentium ſummam procurationem geſſiſſe, nihilque citra eius autoritatem mutari potuiſſe, 2°. Epiſcopum ipſum in eiusmodi negotiis ſine Aduocato, ad quem res vel ager ſpectabat, nihil prorſus facere legitime potuiſſe.

Hinc facile conficiemus tot Aduocatos fere Epiſcopis aſtare debuiſſe quot Eccleſiae in Dioeceſi ipſorum erant, et probe diſtinguemus peculiares illos peculiarium Eccleſiarum Aduocatos, ſeu loci quoque procuratores laicos ab Aduocato Principali qui unus totusque in eo erat, ut cathedrali Eccleſiae proſpiceret, largitiones *ad altare ſummum factas* ut dicebant, ſuſciperet, et mutationes quae in iis fiebant, autoritate ſua firmaret.

At

b) c. 7.

At ex diplomate Heinrici aliisque monimentis conficiemus quoque munus Aduocatorum fiue Principalium fiue peculiarium haereditarium plerumque fuiffe et ad eos iure pertinuiffe, qui *legitimi baeredes* fundatoris erant.

§. II.

Frifinga urbs ad pagum Hofiorum procul dubio fpectabat. Inde eft quod Comites quotquot eorum in hoc pago praecipui fuerunt, inprimis vero Luitpaldus I. et Ratoltus I. lites Frifingae diremerunt, iusque pro tribunali dixerunt. Ergo ad Hofios, in quorum agro fundata fuerat Frifingenfis Ecclefia, recte pertinuiffe affirmaueris procurationem eius fiue tutelam.

Cum igitur viderimus [a] plurimos de Hofis fimul conueniffe ut Ecclefiae Frifingenfi vendicarent largitionem, quam irritare volebat is ipfe qui fecerat illam, recte cenfuimus non fine caufa nomen Hoforum fpecialiter in litteris, quae de illa lite confcriptae funt, ufurpatum fuiffe. Ipforum quippe erat Ecclefiam domefticam quodammodo tutari. In illa vero lite quae tanto cum ftrepitu peracta eft *Pilgrim Aduocatus fuit Ecclefiae Frifingenfis*, et iure pronunciare poffumus *Principalem Aduocatum* fuiffe cum de praedio ingente ab Ecclefia avellendo aut penes eam conferuando fuerit quaefitum, ipfeque *largitor*, qui Aduocatus rei donatae effe debuiffet, Ecclefiam impetierit et Epifcopo placitum condixerit.

§. III.

Primus omnium quos nouerimus, et quem ex ordine teftandi credamus Aduocatum Frifingenfem egiffe eft Reginpertus [b] cuius

a) Meichelb. Inft. n. 661. b) N. 4. et 11.

ius genitrix *Ackilinda*, a. Parentes (siue cognati siue consanguinei) Otilo et Croso; fratres Irminfridus et Dauid fuerunt, quique praedia habuit b. „ Scarantiam solitudinem agrosque in Vallenen-„ sium pago siue in valle Oeni et montibus vicinis, extra montes „ vero in Schlehdorff, Hosaheim, Pollinga, Pasinga, Greuolfin-„ ga, Kisinga, portionem quoque suam in pago Rotahgauuue in „ villa Curtana, pagum desertum Walhogoi cum lacu subiacente, „ et piscationem in Isara viciniam. „ Diues agri scilicet fuit in Alpibus et sub Alpibus qua fluere incipit Isara, circa Augustam, et in territorio Frisingensi, inter Isaram quoque et Oenum qua fluit Rota fluuius. Vixit vero anno 763.

Dubium tamen videtur, an sub Tassilone et antequam Baioaria in Francicam prouinciam fuerit redacta Aduocatos iam habuerint Ecclesiae Boicae quales seculo IX. et sqq. ipsis fuisse palam est. Nec ego Reginpertum in partes vocaui, quod Aduocatis eum Frisingensibus accenserem, sed ut ostenderem quam longe dissita et ampla praedia possederit Vir Hosius, haud dubie inter maiores Adalhareshusanorum nostrorum referendus: pater fortassis auunsue alterius Reginperti qui pater Piligrimi fuit et Aduocatum fere perpetuum egit Ecclesiae Frisingensis, quin et successorem habuit, superstes adhuc, Piligrimum celebrem illum qui adfuit Erchamberto Episcopo anno 848. cum plurimi de Hosis in subsidium eius aduolaruut. c.

Altius non repetam seriem Aduocatorum Frisingensium, quae ante Reginperhtum Piligrimi nostri patrem incerta est omnino, nec multum ad rationes meas conductura foret, nisi ostendere for-

 sitan

a) n. 12.
b) n. 10.
c) n. 661.

ſitan velimus! omnes quotquot fere fuerunt, Aduocatos, aut Adalhareshuſanos ipſos aut cum eis coniunctos, aut ſaltem in pago Hoſiorum terrarum diuites fuiſſe.

Frequentiſſimus eſt anno 848. Piligrimus in obeundo Aduocati munere. a. Cum res magni momenti tractantur, diciturque diſerte ADVOCATVS EPISCOPI, ideoque ab his, tum viro, tum anno exordium facere opportunum duxi annalium Friſingenſis Aduocatiae. Nuncupaui tamen et *Reginperthum*, quia Aduocatus aeque certiſſimus et in rebus maximi momenti verſatus eſt ante Piligrimum. b. Quin immo de nullo Aduocato luculentius quidquam reperies, quam quod exhibent litterae ſequentes anno 828. conſcriptae. c.

„ Cunctis patenter conſtat, quod quidam vir, nomine Hitto, „ omnem adquiſitionem vel mallationem quam habuit inquirendum ad DOMVM S. MARIAE AD FRIGISINGAS contra ADVOCATVM „ DOMVI IPSIVS nomine REGINPERHT hoc firmiter contraplacitabat; „ ut nulla occaſione hoc amplius inquietare vel frangere potuiſ- „ ſet vel poteſtatem habuiſſet, ſed inconuulſum et confirmatum „ in aeuum permanſiſſet. Iſti ſunt qui hoc viderunt et audierunt: „ REGINPERHT, PILIGRIM, Odolt etc. hoc factum eſt ad Frigiſingas „ in VIIII. Kal. Iunias anno Hludowici Imperatoris 16. Ind. VI. an- „ no Incarn. Domini DCCCXXVIII.

Anno 841. *Reginperht* Aduocatus adhuc ipſius Eccleſiae fuit. d. Secus vero anno proxime ſecuto, uti quidem ex inuerſo ordine

a) n. 655.
b) n. 470.
c) n. 535.
d) n. 613.

dine testandi [a] colligo. Primi enim testes nominantur Piligrim, Reginperht etc. Quid quod parum abest quin Piligrimum hunc et Reginpertum, Reginperthi I. filios et successores fuisse autumem. Piligrimus I. sane diserte Aduocatus dicitur [b] anno 843. Vna cum patre autem anno iam 830. occurrit quo traditionem ad altare S. Mariae simul *susceperunt* ADVOCATI S. MARIAE REGINPERHT ET PILIGRIM (pater nempe filiusque) et *ipsi testes et alii quam plurimi*. Nimius autem forem si cartas omnes quibus Piligrim Aduocatus dicitur [c] hic recitare vellem.

§. III.

Anno 849. vel circiter Piligrimo successit Reginpertus illius frater [d] cuius tamen vices nonnunquam supleuit *Odoltus* fratrum tertius, ut coniicere est ex ordine testandi. [e]

Quasi vero Aduocatorum munus cum Episcopi cuiusque vita cessasset, sub Annone Episcopo nullum reperio ex tribus illis, quales saltem fuisse puto, fratribus. *Heimbertus* autem si ex monumentorum copia colligendum est aliquid *Aduocatus principalis* sub hoc, quem diximus, Annone Episcopo fuit. Sexies enim Aduocati officium obiuit [f] cum bis tantum obierint ii qui post Heimbertum frequentissimi sunt, Hruodperthus scilicet et Luitprandus.

Idem Heimbertus semel Aduocatus legitur sub *Arnoldo* saepius sub *Waldone*, ita ut pertingat ad ea usque tempora, queis succede-

a) n. 619.
b) 624. & 625.
c) 637. 655.
d) 666.
e) 664. 697.
f) 708. 731 760. 766. 770. 818.

cedere ipsi potuit Iacobus I. Aribonis Marchionis filius qui haud dubie Aduocati Principalis munia sustinuit.

De Heimberto id unum adhuc notabo nomen eius adeo frequentari apud Hosios ut dubium non sit, quin eximium inter Principes huius pagi locum occupauerit.

De Iacobo I. satis superque actum est Libro V. ubi coniectura haud friuola assecuti sumus ipsum filium Aribonis I. Marchionis fuisse, patremque Aribonis III.

Aduocatus Principalis esse desiit Iacobus I. simulac Waldo e vita excessit. Successorem eius inter plures qui Aduocati sub Dracholfo Episcopo vocantur eo difficilius distingues quod raro fiat et frigide prorsus de omnibus mentio. Calculum tamen aut *Reginperhto* aut *Kepolfo* cuidam prae aliis adiicerem, illi quidem nomen Aduocatorum antiquiorum referenti; huic vero, utpote fratri *Isangrimi de Nertinga*, cuius cohaeres fuit Aribo III. Iacobi I. filius.

Sub Wolframo Episcopo dubia fere non est Aduocatia *Reginperhti*, frequens tamen Kepolfi mentio, frequentior *Ratolti*. Sed cum omnes chartae, quae ad Wolframi Episcopatum pertinent, careant nota temporis definire non possumus utrum tempore eodem id munus gesserint, an Kepolfo Reginbertus, huic Ratoltus successerit.

De Ratolto cessat dubitatio omnis sub Lantberto Episcopo, praeterquam enim quod ita frequens est, ut omnia fere solus occupet, habemus chartam sub hoc Episcopo conscriptam a. in qua diserte *Archiaduocatus* nuncupatur.

Ex

a) 1041. b. 448 num. MXLI

Ex hoc ambitioso satis titulo facile colliges virum Principem fuisse Ratoltum, saepiuscule enim id dignationis accedit officiis quod proprium est viris officia administrantibus. Recte itaque mihi videor coniecisse hunc vel Ratoltum vel Ratolfum eumdem fuisse qui Comes in Sundergowe vocatus est anno 959.

Quamdiu non constabit de origine, vita et anno funebri Sancti *Ratti* vel *Rassonis* qui coenobium Werdense ad Ambronem fundasse annoque 958. obiisse dicitur, vix non assero Rathum illum esse hunc ipsum Ratoldum nostrum, qui Comitatum in Sundergowe gessit et post annum demum 959. fatis functus est, postquam aliquod temporis ante Aduocatiam Frisingensem abdicasset.

At memini me dicere Ratoldi Aduocati patrem fuisse Rodoltum vel Ratoldum Ministrum Regalem, auum Ratoldum Ducem. Erunt forte quos offendat hallucinatio quae cum ratione temporis parum congruere videtur. Ratoldus enim Dux nasci debuit quod tardissimum est a. 810. obiisse vero post annum 875. constat. Vix igitur credi potest nepotem ipsius nonnisi post annum 959. viuere desiisse.

Inficias ego non ibo mirum esse saltem illud quod inter caeteros Ratoldi Ducis nepotes vix unus post annum 909. adhuc fuerit superstes. At morte violenta perierunt omnes, vegeti adhuc diu et viuaces nisi fata obstitissent.

Concedamus itaque Rodoltum II. Ministrum Regalem natum esse Ratoldo iam senescenti, Adalberto Bambergensi nepoti fere aequalem, Ratoltum III. autem Archiaduocatum genuisse cum 40.

 ipse

ipſe iam ageret annum. Quod ſi ita fieri potuit, et quis neget potuiſſe? facile Ratoldus III. vitam protrahere potuit ultra annum 959.

§. III.

Ratoldus III. Aduocati officium depoſuiſſe videtur eodem fere tempore quo obiit S. Lantbertus Epiſcopus Friſingenſis anno nempe 957.

„ Ante hunc annum occurrit [a] nobis Papo vir egregiae dig-
„ nitatis cum inter omnes Principales *vaſallos* quorum *conſilio et*
„ *conſultu* utebatur Epiſcopus Friſingenſis et in tota *Principalitate*
„ primum locum obtinuerit praelatus *Kotascalbo* (qui Comes fuit)
„ *Wettini* (qui et ipſe Comes fuit) *Dietribo*, et ipſi, ut opinor,
„ Comiti et Iacobo II. Aribonis III. fratri.

Idem ni fallor *nobilis vir* dedit [b] *Lantperto Epiſcopo et Aduocato eius Ratolto talem proprietatem qualem ſuus pater Piligrim in poteſtate et tutamine habuerat i ı loco Omaras.*

Dedit quoque in *Piparpah* praedium, recipit vero in *Walkeresboua*, ſollicitus haud dubie augendi agri in tractu Hoſiorum.

Idem quoque *Papo* praedia habuit in Alamuntinga et in Dienga, et curioſus fuit augendae ditionis in *Pritilinpah* et in Pirapalzinga [c].

At utrumque nomen Piligrimi nempe et Paponis eius filii reuocat nos ad familiam illam Adalhareshuſanam unde prodiit gens in-

a) 1037.
b) 1039.
c) 1077.

integra Principum heroumque. Meminimus etiam Piligrimi illius Reginperti filii, qui ante centum fere annos Archiaduocatus fuerat.

Dabone plus iusto coniecturae si dixero Piligrimum illum patrem Paponis eumdem esse qui Comes fuit ante annum 937. [a] et in cuius Comitatu sita fuit *Smidabeimma* eumdem quoque in cuius Comitatu fuit *Friero marca*, [b] ubi villa *Helffendorf*, quique adhuc viuebat anno 951.

Non omittam anno iam 955. PAPONEM nostrum dedisse Frisingensibus praedium in Mosaha et recepisse in Plidmuoteswanc [c] sub *Duce Heinrico* et *Comite Aribone*, tuncque illum nonnisi *nobilem virum* dictum esse quod nimirum pater eius adhuc viuebat. Quorsum illa pertineant statim expediam.

Nulla sunt vestigia prolis quam genuerit aut superstitem reliquerit RATOLTVS *Archiaduocatus* et Comes in *Sundergowe*, qualem eum fuisse iam dixi. Exstat vero indicium qualecumque nexus quo *Papo* deuinctus fuit familiae in qua Ratolti nomen gentilitium fuit. Cum enim *Ratoldus nobilis Diaconus* daret seruos Lantberto Episcopo et Aduocato eius RATOLDO, Aduocatus eius fuit PAPO [d] quod officium erat fratris, aut, si frater deesset, proximi consanguinei, cum largitor nobilis sacris deuotus esset.

Idem *Ratoldus* [e] postea *nobilis presbyter* praedium habuit in *Puosinga* obiitque anno 1009. quamuis enim Diaconus fuerit ante annum 957. potuit infra septuagenarium esse quo tempore obiit.

Hoc

a) n. 1016.
b) Hund. Metrop. T. I. p. 152.
c) Meichelb. n. 1032.
d) n. 1084.
e) n. 10,0.

Hoc vero constat *Ratoldum* illum qui obiit anno 1009. *ex Frisingensi castello natum nobili genere et honesta familia*, ut sunt verba Rotuli Benedicto Burani. a. Regimberto Rectori Monasterii Benedicto Burani successisse anno 997. suoque coenobio contulisse praedia quae habuit, Firholzen et Minsing et Wachrein.

Contulerat b. vero antea *per manum Aduocati nec non Germani sui Dietrici in urbe Frisinga post annum* 994. *praesentibus quam plurimis, consentientibusque consanguineis suis omne quod tempore Abrabae Episcopi* cum praedio suo commutauerat, usum tamen sibi retinuerat *et cognatis suis duobus* IACOB *et Taginoni, ea lege ut* IACOB *qui propinquior esset iure consanguinitatis primus succederet quando ad dignitatem Presbyterii perueniret*, mortuo vel nolenti succederet Tagino.

Incertum est quid optauerit Iacobus. At Tagino anno 1009. successit Ratoldo in Abbatiam Benedictoburanam, paulo post ab Heinrico Imperatore, cui percarus erat, Ecclesiae Magdeburgensi praeficiendus.

De hoc adeas velim Chronicon Benedictoburanum c. ubi reperies, rudes huius coenobii Monachos credidisse olim Taginonem Moguntinae Ecclesiae praefectum fuisse. Quod tamen arguit eos sua ex scriptoribus Saxonicis non hausisse, a quibus meliora didicissent. At delusi sunt, ut videtur, mutilo Codice, in quo MAGVNTINVM legerunt, ubi veteres MAGDEBVRGENSEM scripserant.

Cum vero constet Taginonem, iubente fere Heinrico Imperatore, apud Boios diu versato, intrusum magis quam electum fuisse

a) Meichelb. Hist. Frising. T. I. P. I. p. 202.
b) ib. p. 201.
c) Meichelb. Chron. Benedb. p. 32. et seqq.

fuiſſe anno 1004. quemadmodum fuſe nos docent Dietmarus Merſeburgenſis et Annaliſta Saxo, ſequitur peccare Chronologiam Benedictoburanam et Ratoldum obiiſſe hoc ipſo anno 1004. vel proxime elapſo. Sex enim fere menſes praefuit Tagino Abbatiae.

Mirare interim mecum tres Abbates continuam eiusdem coenobii Praefecturam geſſiſſe, qui aut conſanguinei certe erant, aut ſaltem nominetenus et praediorum ergo ad familiam Adalhareshuſanam et ad Friſingenſes Aduocatos pertinebant. Vt vero ſcias quantum id faueat rationibus noſtris, monendus es Taginoni ſucceſſiſſe Adalberonem filium Reginberti Abbatis uxorati; Adalberoni *Regimbertum.*

Ratoldus dederat praedium ſuum Eccleſiae Friſingenſi *praeſentibus quamplurimis conſulentibusque conſanguineis ſuis.* Hi primum profecto locum occuparunt inter teſtes traditionis; *Vdaſcalb Comes*, *Tagini* et *Vdalscalb*, *Pezili*, *Aripo*, *Arnio*, *Vdalrich*, *Dietrich.* Id contigit, ut ex teſtimoniis elicio, cum ad finem vergeret Abrahami regimen.

Cur vero Dietricus fratris Ratoldi Aduocatus non fuerit, Papo vero hoc officium praeſtiterit, hallucinari ſi debeo, dicam Dietricum id praeſtare non debuiſſe, cum adeſſet frater natu maior, poſtea vero id praeſtitiſſe cum aut abeſſet aut iam obiiſſet Papo.

Fratrem Ratoldo, ut vides, aſſero Paponem idque omnia mihi ſuadent, tres vero fratres, Ratoldum nempe, Paponem et Dietricum ex ſorore vel filia *Ratoldi Archi Aduocati* ortos eſſe cre-

do, ideoque hoc nomen in familiam Piligrimi, qui pater fuit Paponis haud dubius, translatum fuisse.

§. IV.

Illa omnia praefatus sum forte prolixius, ne mireris PAPONEM in Aduocatiam Frisingensem successisse Ratoldo Archiaduocato cum Abrahamus Episcopus esset.

At vides in sola Ratoldi Presbyteri familia coniuncta esse omnia fere nomina quae Aduocatis Frisingensibus dicata vidisti hactenus; *Ratoldum*, *Iacobum*, *Piligrimum*, *Reginbpertum* etiam.

In prima tamen charta quam habeamus sub Abrahamo Episcopo conscriptam, PAPO Aduocatum non agit Ecclesiae vel Episcopi, sed *Vodalscalchus* hoc officium implet. At hanc ipsam chartam Ratoldus Presbyter conscribi iusserat in fidem traditionis a se ipso factae. Non potuit igitur Papo, si frater eius fuit Aduocatum *Ecclesiae* agere, immo ex hoc ipso haurimus nouum argumentum arctissimae consanguinitatis.

Sed ne quid nobis desit testes huius largitionis ii sunt, *Aripo* Comes, *Arnis* Comes, *Wisil* (idem qui supra Pezili dictus fuit) *Papo*, *Vodalscalh*, Dietrih, *Vodalscalch*, *Vodalrich*; iidem, inquam, omnes praeter Paponem, qui in altera charta sub Episcopo Gotescalcho confecta nobis occurrerunt.

§. V.

Nouerat hunc *Paponem* Auentinus ex monumentis Frisingensibus, eumque Schyrensi sanguine cretum esse audacter affirmat, siqui-

ſiquidem paullo ante, neſcio quo autore, pronuntiauerat Schyrenſes aduocatos perpetuos ſiue curatores Eccleſiae Friſingenſis fuiſſe. At cum difficile fuiſſet hunc Paponem in ſeriem Schyrenſium, qualem eam ſibi finxerat ipſe, collocare, virum quem omiſiſſe omnino nolebat, a limine tantum ſalutauit.

Aliam de Papone ſententiam amplexi ſumus ut vides, diximusque filium eum fuiſſe Piligrimi Comitis, fratrem Ratolti Presbyteri et Dietrici qui Comes quoque fuit, ut docent traditiones Emmeramenſes, patrem vero Vdalscalci, Piligrimi et Paponis Comitum.

Si temporis ratio argumentum ſuppeditat validum Papo noſter Aduocatus Friſingenſis Aduocatus quoque fuit Tegernſeenſium.

Teſtis erit Anonymus Monachus Tigurinus in hiſtoria S. Quirini a. qui de *Hartwico Abbate benedicto ab Abrahamo Epiſcopo Friſingenſi* ſcribens ait :

Hunc Poppo *Comes iſtius loci tunc Aduocatus adduxit in Tegernſee* 4. *Id. Iunii anno* 978.

Suſpicor tamen errorem eſſe aut in hoc Hiſtoriae Tegernſeenſis loco, aut in diplomate ex quo deſumpta ſunt pleraque de Hartwico. Hoc enim datum fuit 4. Idus Iunii anno Dominicae Incarnationis 979. Ind. VI. anno vero regni Secundi Ottonis XIV. Imperii autem 2º

 Ha-

a) Oefel. T. II. p. 68.

b) Hund. Metrop. Salisburg. T. II. p. 279.

Habemus interim Popponem vel Paponem qui hoc aeuo Aduocatus fuit Ecclesiae Tegernseensis, quod simul ac scimus filios eius haud aegre reperiemus. Fuerunt illi Vdalscalcus, Piligrimus et Papo Comites. De Vdalscalco inferius agetur.

Piligrimum *Aduocati* filium fuisse indicat cortis Warngau quam Piligrimus Comes *usque ad annum* 1009. *in beneficium habuit*, et quae ad idem Monasterium antea dotaliter pertinuerat ut docent litterae Heinrici II. qui eamdem Cortem restituit Abbatiae c. His adde Chronicon Tegernseense apud Pezium : d.

Curtis in Werengaw anno 1009. *a fratribus* COMITIBVS POPPONE et PILGRIMO, *qui eam ex rapina Ducis Arnolphi in beneficium possederant, datur Monasterio.*

Eadem docet Epistola e. Eberhardi Abbatis qui ante annum 1003. questus est apud Heinricum Regem de *Poppone* et *Piligrimo* fratre eius, *eo quod locum suum quemdam* ad lacum situm, sibi in haereditatem vendicassent. Aduocatus Tegernseensis qui tunc temporis fuit dictus est *Sigebardus*, iussu Heinrici III. Baioariae Ducis electus.

Piligrimus ille Comes f. idem est cuius coniugem Hazacham iam viduam, duxit *Poppo* de *Rota*, postquam ex Piligrimo mater fuisset *Heimonis* (vel Heimberti) *Paponis* et *Engildiconis*. Haec fra-

c) Hund. ibid T. III. p. 280.
d) Pez. Anecd. T. III. P. III. Chron. Mon. Tegernf. c. 4.
e) Idem T. VI. Codex Diplomat. n. 32 ep. II.
f) Meichelb. n. 1213

fratrum trias reperitur in traditione a matre facta, cum Papo iam esset Aduocatus et maritus Hazachae.

„ Huius rei testes fuerunt *insuper* et statim post Hazachae filios *Papo* et *Vgo* fili Dietrici: eiusdem nempe qui frater erat Ratolti Presbyteri et Paponis Aduocati. Praedia ad *Scestilarum* sita erant, ubi olim Reginbertus, primus omnium quos nouimus, Aduocatus, diues agri fuerat, Altmannus vero Comes in cuius manus ea dedit Hazacha, tunc agrum et ipse ibidem habebat. Haec omnia acta sunt post annum 1009. quo adhuc vixisse videtur Piligrimus Comes.

Diximus Hazacham ad Eberspergensem Domum pertinuisse. *Babo* ergo et *Engildio* eius filii iidem, ne dubita, sunt qui testes fundationis Geisenfeldensis [a] ab Eberhardo Eberspergensi factae leguntur anno 1037.

Restat ut nonnulla de *Babone* de *Scheirn* dicamus, qui eidem fundationi interfuit testis.

Coniectura esset haud absurda Babonem hunc unum e nostris Paponibus esse qui alter alterius patrueles fuerunt. Sed elementis quae sufficiant caret huc usque haec coniectura.

Satis ergo iam diximus de Papone Archi Aduocato qui officium id gessit tempore Abrahami Episcopi, cuiusque iam suspica-

a) Hund. T. II. p. 245.

camur Abrahamo adhuc superstite, successorem fuisse Vodalscalchum Comitem, eundemque ipsius filium.

§. VI.

At priusquam ad hunc transeam nonnulla dicenda supersunt de Aduocatia Tegernseensi, aliaque praefari incumbit *de Helmpertho* Aduocato Frisingensi.

Monui Sigihardum iussu Heinrici III. Ducis more regis et Imperatoris electum fuisse Aduocatum Tegernseensem. At si Papo obiit ante Abrahamum aut vacauit aliquantisper aduocatia, aut ante Sigihardum alius fuit Paponis successor.

Hunc vero reperisse mihi videor in Instrumento Frisingensi, a) vi cuius mutatio facta est Abbatiam inter et Episcopium quamque pro Tegernseensibus cum *Helmperto Aduocato Ecclesiae Frisingensis* celebrauit *Vogo Tegernseensis Ecclesiae Aduocatus*, qui dedit et recepit.

Nemo, opinor, mihi succensebit si dixero hunc *Vogonem* filium fuisse quem nouimus Dietrici, nepotem vero Paponis siue Popponis Aduocati. Quod si nobis conceditur eo magis constabit Paponem utramque Frisingensem scilicet et Tegernseensem gessisse aduocatiam.

At

a) 1129.

At ex eodem instrumento aliud elicimus quod maioris momenti est. Non sine causa notaui *Vogonem* pro Tegernseensibus *dedisse* et *repecisse*. Secus enim contigit ex parte Frisingensium „ *Helmperhtus quidem Frisingensis Ecclesiae Aduocatus*, „ *quosdam eiusdem Ecclesiae seruos tradidit Vogoni. At e contra ab* „ *eodem iam dicto Vogone mancipia quatuor* VODALSCALCH ad ALTARE „ S. MARIAE FRIGISINGVN EXISTENDVM RECEPIT.

Constat itaque duos reuera eodem tempore fuisse Aduocatos Ecclesiae Frisingensis sub Gotescalco Episcopo. *Helmperhtus* sane Aduocatus Ecclesiae aut Episcopi frequentissime dicitur sub hoc Episcopo, immo frequentior est ipso Vodalscalcho, quamuis hic quoque infrequens non sit.

Coniicio itaque diuisam fuisse Aduocatiam, qua de causa nescio: nisi forte Helmperhtus frater fuit Gotescalchi episcopi; quod suadet omnino charta quae aliunde quoque memoranda est nobis.

Exhibet a. nobilem foeminam Perachsuint quae per *manum Aduocati sui Herirant in praesentia etiam mariti sui* HELMPERHTI „ dat proprietatem suam in Herisuindohusa in manum Episcopi et Aduocati sui *Helmperhti ad altare S. Mariae*, ut ad id pertineat post obitum VITAE SVAE ET FILIORVM EIVS GOTESCALCHI et HELMPERHTI.

a) 1133.

Nisi

Nisi tres fingas Helmperhtos, idem qui fuit Aduocatus ecclesiae maritus quoque fuit largitricis. Nouimus ergo filios Helmperhti, nouimusque coniugem; ex nomine vero Gotescalchi uni e filiis dato coniicio Helmperhtum proxime coniunctum fuisse eum Episcopo eiusdem nominis.

Hic idem Helmperhtus est, aut saltem ex eadem familia prodiit is, quem nobis exhibet in Codice S. Emmeramnensi [a]. *traditio Helmperti Comitis* „ *quidam vir nobilis*, ita litterae ipsae, *nomine* „ *Helmpreth cum manu et petitione cognati sui Gotescalchi tradidit prae-* „ *dium quoddam nomine Tanheim*, *quod tunc possederat ipse Gotescalch*, „ *et medietatem praedii in Sulagan.* Testes Hartwic, Engilman, „ Helmpreht, Pabo etc.

Tradidit quoque postea praedictus *Gotescalch* praedium apud Entesdorf, testes fere omnes diuersi praeter Helmperhtum. Vltimus omnium *Peringen*, qui adfuit quoque concambio ab uxore Helmperhti facto. Adde [b]. traditionem aliam qua Gotescalchus illustris miles testibus Adalperone et *Helmperhto* dedit praedia *in Slata et Wolfmatasaba* pro duobus filiis suis, quos ad monasticam vitam obtulit.

Ad hanc, inquam, familiam pertinuisse videtur Gotescalchus Episcopus, indeque factum credo, ut Helmperhtus qui eius Aduocatus iam fuerat cum simplex adhuc clericus esset, Aduocatiam Ecclesiae Frisingensis sub ipso Episcopo particus sit cum Vodalscalcho.

Ad

a) c. 105. b) c. 89.

Ad hunc virum nunc tandem veniendum eſt, in eoque immorandum eo diutius quod ſucceſſorem habuiſſe videatur unum e noſtris principibus.



Tabula XIX.

Aduocati Frisingenses.

Reginperhtus I. Aduocat. Fris. a. 763.

Reginperhtus II. Aduocat. Fris. a. adhuc 830.

Piligrim I. Aduocatus Frisingens. usq. 848. — Reginperhtus III. a. 849. seqq.

Piligrimus II. a. 937. — Reginpehrtus IV. Aduocatus circa a. 950.

Papo I. A. Aduocatus A. 959. sqq. 978. — Ratoldus Abbas Buranus † 1005. — Dietricus Comes.

Vdalscalcus I. v. tab. XX. — Babo II. de Sheizen a. 1037. — Pilgrimus III. Vx. Hazacha Ebersperigensis. — Papo III. circa 1015. — Vogo circa 1015.

Heimo, Papo IV. a. 1037. Engildeo a. 1037.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM

SYNOPSIS.

De Vdalscalco I. Archiaduocato Frisingensi eiusque connubio cum Willipiriga Ebersbergensi. In familiam ab ipsis procreatam inquiritur.

§. I.

Vodalscalchum Frisingensis Ecclesiae Aduocatum fuisse nemo non affirmabit qui Frisingensia huius aeui monumenta etiam leuiter inspexerit. Praeter innumeras fere chartas quibus hoc titulo donatur, habemus instrumenta nonnulla de iis rebus quae agi ab alio non poterant legitime quam ab Archiaduocato. Primum, quod laudabo a. confectum fuit de mutatione quam pepigerunt Egilbertus Episcopus Gotescalchi successor et Arnoldus Abbas S. Stephani. Tradidit Episcopus sua cum manu *Aduocati sui Oudalscalchi*, itemque Arnoldus Abbas CVM MANV EIVSDEM OVDALSCALCHI ADVOCATI; scilicet supremus erat Aduocatus Vdalscalcus, sub cuius tutela aeque florebant Abbatia S. Stephani et Altare Beatae Mariae Frisingensis.

Sed ne putes Oudalscalchum Abbatiae magis quam Episcopii Aduocatum fuisse offero commutationem b. aliam inter eosdem Praesules initam, et in qua conficienda Episcopus dedit per ma-

 num

a) Meichelb. Hist. Frising. Tom. I. P. I. p. 213.

b) ibid. p. 214.

num *Aduocati sui Oudalscalchi*, Abbas vero per manum Aduocati sui (specialis) *Isangrimi*. Offero denique tertiam eorundem ope Aduocatorum celebratam commutationem ac donationem qua eumdem Abbatem prosecutus est Episcopus *cum manu Oudalscalchi* ADVOCATI.

Non minoris momenti est quod cum Chunigunda Imperatrix Praestariam suam ingentem faceret cum Egilberto Episcopo, adessentque omnes Comites *et Proceres Baioariae Prouinciae* praedia sua Imperatrix tradiderit in manum Engilberti et Aduocati sui VODALSCALCHI. a.

Dubitationem vero omnem tollit quod in illa inquisitione b. quae anno 1027. instituta est magno cum strepitu de Abbatia *Mosaburg* inter Chunradum Imperatorem et Egilbertum Episcopum res acta fuerit inter *defensores utriusque partis*, VODALSCALCHVM scilicet Frisingensis Ecclesiae Aduocatum et Geroldum Imperatoris *nihilominus Aduocatum*. Postquam vero Abbatia Episcopo asserta fuisset *Comes Adalbero in cuius Comitatu sita erat per Aduocatum Venerabilis Episcopi Vodalscalchum ut mos erat rogatus, banno consueto praedium idem Frisingensi stabiliuit Ecclesiae*.

Instar omnium denique est Instrumentum c. quo notum fit „ „ qualiter VODALSCALCH ADVOCATVS SANCTAE FRICISINGENSIS Ec- „ clesiae in loco qui rustice vocatur Grueba (aliquot iugera dedit Gebehardo Episcopo Ratisbonensi, recepit vero ab eo et Aduocato eius Hartwico curtile in Radasbona) „ eo vero pacto ut si

a) ib. p. 219.
b) p. 221.
c) Meichelb. Instrum. n. 1172.

„ fi quis hoc concambium disrumpere et interdicere voluerit ipfe „ ADVOCATVS VODALSCALCH vel alius Aduocatus in loco ipfius „ pofitus legaliter et poteftatiue ftabiliat.

Addam diploma [a] quo Cunradus Imperator anno 1031. confirmauit. concambium Egilberti, *qui cum confenfu et laudatione fidelium et cum manu* SVI NOMINATISSIMI VSCALCI COMITIS *curtem in Hafelpach* dederat.

Ex illo diplomate Conradi fatis fuperque liquet *Vfcalcum* feu *Vodalfcalchum*, qui Aduocatus fuit Ecclefiae Frifingenfis *Nominatiffimus*, Comitis quoque apellatione fuperbiiffe. De titulorum aggeratione laudabo chartam [b] qua dicitur traditio facta Praefulii, Egilberto *fcilicet in manum Aduocati fui Comitis* VODALSCALCHI, reddita vero alia praedia a Pontifice PER MANVM ADVOCATI SVI VODALSCALCHI COMITIS. Alias quoque Vodalfcalcus Aduocatum et testem loco, quo decebat agens, Comes dictus fuit. Sed ea quae hactenus adduximus inftar omnium effe debent, ut conftet Vodalscalchum Aduocatum COMITEM quoque fuiffe, quamuis in plerisque monumentis hoc titulo non donetur.

§. II.

Praedia nonnulla haud minus quam *Comitatus* Vodalscalchi Comitis, nam plures habuit, affequi in promtu eft.

Vscalcum in *Nortgawe* Comitatum habuiffe probat diploma [c] Heinrici II. de anno 1003. quo dedit villas nonnullas Gotescalco Epifcopo cum omnibus earumdem villarum pertinentiis fiue

a) n. 1198.
b) 1174.
c) Hift. Frifing. p. 198.

in Nortgawe ſub VSCALCI Comitatu ſiue in Donachgawe ſub defenſione Rouperti Comitis ſitis.

Quis fuerit ille Comitatus et ubi ſitus ut diceremus, indagandus eſſet ſitus locorum quae in diplomate nuncupantur *Heſingae* ſcilicet iuxta fluuium *Drubenaba* ſitae, Scaralowae, *Beſingae* et vici *Fridingae*, quod mihi huc uſque non contigit.

De alio Vdalſcalchi Comitatu certiores ſumus. Viuebat adhuc Gotescalchus Epiſcopus cum facta eſt a. „ *Commutatio inter Gotescalchum Epiſcopum* et VODALSCALCHVM COMITEM. *Dedit namque praedictus Comes in loco Gartberisriot nuncupato quicquid proprietatis habuit e contra vero Epiſcopus eidem nobili viro* VODALSCALCHO de rebus eccleſiae in loco SOTANASINGA dicto atque „ in proxime iacentibus locis ad Helidgereshuſun pertingentibus ſub EIVSDEM COMITIS POTESTATE tunc temporis *in beneficium detentis aequam menſuram in proprium retradidit.* Teſtes *Tagini*, *Iſangrim*, *Papo*, *Etib etc.* Iidem qui teſtes fuerant cum *Altmannus* vaſallus et nobilis vir Friſingenſis, daret bona in Guntperhtesdorf, reciperet in Michaheliscella. b. *Helidgereshuſun* hodie eſt *Hilkershauſen* ad *Ilmam* haud longe a Tannern. Ibi ergo *Vodalscalchus* Comes pagum rexit pluraque beneficia habuit et praedia.

De Altmanno iam notauimus eumdem et Comitem et vaſallum fuiſſe; addemus et Vicedominum Friſingenſem atque Capituli Aduocatum a.

Vo-

a)Meichelb. Inſtr. n. 1139.
b) 1138.

a) 1159. 1175.

Vodalscalchum porro audiuimus et Aribonem illuſtres viros vocatos. [b] Nec abſurdum fortaſſis foret eundem Aduocatum quoque *Eccleſiae Tridentinae* nuncupare. Vixit ſane tunc temporis Aduocatus Tridentimus Vſcalcus [c]

Praedia Vodalscalchi noſtri haud modica nouimus ex litteris [d] quibus *Vodalscalch* Comes „ in manus Epiſcopi et Aduocati ſui „ Ariponis de ſua proprietate dedit in locis videlicet ſic dictis ad „ S. *Mihelesckirichum* Eccleſiam unam etc. inſuper etiam ad *Satanalingun* et *Cartheresriot* et *Fretmaringum*, et *Wacreina*, et *Tetinhuſa* etc. partem quoque decimae quam ipſe in eccleſia ad Fretmaringa retinebat, e contra Ven. Antiſtes retradidit eidem „ Vodalscalcho Comiti in loco Mosaha. Teſtes Gerolt, Aripo, item Gerolt, Perahtolt etc. Omnes loci hac in charta „ nuncupati exſtant hodienum quoque in agro Friſingenſi, qui „ pars fuit pagi Hoſiorum.

De Wacreina operae pretium erit notaſſe, ibi praedium habuiſſe etiam Ratoltum nobilem de caſtro Friſingenſi et Abbatem Benedicto *Buranum*, quem diximus fratrem fuiſſe Paponis Archi Aduocati, cui ſucceſſit Vodalscalchus.

Meliora de *Vodalscalchi* ditione ſuppeditat diploma [e] Chunradi II. Imperatoris quo dedit Egilberto Epiſcopo *curtem* Enilingvm ſitam *in Comitatu Vdalscalci* Comitis.

Haec curtis, hodie Ainling dicta, ſita eſt in tractu Aichenſi haud longe ab Acha fluuio; illic itaque patuit Comitatus Vodalſcal-

b) 1169.
c 1171.
d) 1205.
e) Hiſt. Friſing. p. 229.

calchi, amplexusque esse videtur totum illum tractum qui ab Hildkershausen oppido usque ad Lycum amnem extenditur.

§. III.

In hunc terrarum angulum delati non possumus non relegere quicquid recentiores congesserunt de monasterio Chiebach vel Kuebah, in eiusdem nominis vico medio fere itinere inter Schrobenhausen et Aicha sito.

Fundationem huius Parthenonis Bruschius adscribit Comitibus Wittelspacensibus, factamque ait anno 1108. Negat ista Hundius [a]. Tametsi, inquit, hoc verum est quod Witelspacenses exstincta stirpe fundatorum, facti sunt Aduocati huius monasterii tanquam vicini. Fundatum et dotatum est anno 1011. secundum Auentinum et sequens diploma fundationis ab Alberone Comite de Sempt et Ebersperg in honorem S. Magni Confessoris, cumque paullo post incendio periisset ab VDESCALCO COMITE, FRATRE FVNDATORIS EIVSQVE CONIVGE WILBIRGI denuo instauratum esse ibidem legitur.

Diploma Heinrici II. Imperatoris ambiguum non est „ Quidam, inquit, fidelium *nostrorum* Comes officio nomine *Adalbero* „ *quoddam* Monasterium puellarum . . . in loco nomine Chuebach in Comitatu *Herzbusa* de praedio et collaborato suo *fundauit*, et in nostram potestatem *libertandi* gratia transfudit et „ suae suorum *proprietati* ac potestati deinceps in futurum eo tenore abalienauit quatenus idem ipse praefatus Comes Adalbero *ius Aduocati legitimum* omnibus diebus vitae suae in eodem „ tan-

a) Metrop. Salisb. T. II. p. 171.

„ tantum monasterio retineat, post *obitum* vero suum idem mo-
„ nasterium ex *integro* in potestatem Abbatissae reuertatur, *qua-*
„ *tenus* liberam habeat potestatem Aduocatum *quem* sibi necessitas
„ et utilitas dictauerit *subrogandi.* Data 6. Kal. Iulii Ind. 9. an-
„ no 1011. anno vero Heinrici 10. Actum Regenesburgae.

„ Ita Hundius, at Gewoldus addit : a. fundatorem huius
„ coenobii Moniales ex suis *vetustis* monumentis agnoscunt *Comi-*
„ *tem Wittelspacensem Adalperonem* qui post *recuperatam* a Saraceno-
„ rum manibus terram *Sanctam* ex voto eo peregrinationem sus-
„ cepit, *relicta* domi uxore grauida. Ipse in reditu *fatis cessit.*
„ Nuncio flebili accepto vidua *Alberadis* partus doloribus circum-
„ data *cum foetu* interiit relicta unica ex praemortuo *coniuge* filia
„ Wilburgi, quae se Deo contradidit, monasterium, suorum
„ cognatorum *ope et* consilio condidit et prima *Abbatissa* fuit.

„ Sublata e medio Wilburgi antistite successit Adelheidis ex
„ *Comitibus Wittelspacensibus* progenita. Dedicauit Ecclesiam *et*
„ *Monasterium* confirmauit Hermannus *Augustanus* Episcopus an-
„ no 1021. et non *longe post* igne concrematum restauratur *ab*
„ Adelscalco Witelspacensi Comite eiusque coniuge Vilbur-
„ gi „

Ita Gewoldus aniles fabulas refarcit ut potest ab Hundio an-
tea profligatas: nec sua tamen gratia caret is qui aniles fabulas
narrat, modo ipse non fingat.

Nunquam auditus est circa annum 1021. Comes *Adalscal-*
chus qui *Wittelspacensis* fuerit, nunquam ante annum 1100. audi-

a) ib. p. 173.

ti ſunt *Comites Wittelspacenſes.* Adalberonis nomen ne unus quidem Wittelspacenſium geſſit.

Certum eſt Adalberonem fundatorem vixiſſe anno 1011. certum aeque videtur Monaſterium ab Vdalscalco quopiam reſtauratum fuiſſe. Ex Hundio denique eruimus Vdalscalco uxorem Wilburgim contigiſſe.

§. IV.

Vix ſinam hoc aeuo Adalberonem Comitem fingi alium praeter eum, quem optime nouimus Eberspergenſem Adalberonem Vdalrici filium Praeſidem totius Baioariae vel Norici, et ad cuius Comitatum relatus eſt pagus Huoſi. Fratrem habuit ille Eberhardum fundatorem Geiſenfeldenſem. Sororem utique addit Willibirgam ſcriptor Eberspergenſis hiſtoriae; de Vdalscalcho vero ne verbulum quidem: quid quod expreſſe tribuit Vdalrico Ebersbergenſi filios duntaxat, quos vidimus, duo, filias praeter Willipirgam tres. Adalberoni coniugem ſociat *Richlindam* improlem, Eberhardo Adelheidem trium filiorum matrem; in eo tantum reprehendendus quod Vdalricum Comitem auum fuiſſe negat ſobolis quae vixerit: una excepta ex Willibirga nepte Hadwige.

At probauimus iam ſupra [a] Willibirigae quatuor fuiſſe quas nouimus filias, Hadmuotam puta, Luckardem Comitiſſam de Mosbach, Gerpergam Abbatiſſam Geiſenfeldenſem, et eam quam autor Chronici Ebersbergenſis unicam Willibirigae filiam dixit *Had-*

a) Lib. V. c. 4.

Hadwigem. Clam quidem me non eſt Chronicon Ebersbergenſe recentius [b] Hadmuotam vocare quae in vetuſtiore *Hadwiga* nuncupatur : ſed ſi iſta quam maxime ita ſe haberent et Hadwiga adeo eadem fuerit quae *Hadmuota*, quod quidem nobis haud diſplicet, tres ſupererunt filiae quibus quartam nos addidimus ex legitima prorſus coniectura mox ulterius probanda, Willipirgam Sigehardi IV. Comitis uxorem.

Caeterum ut in orbitam redeamus Viro *Comiti* nupſit omnino Willipirga Vdalrici Ebersbergenſis filia, Adalberonis Kuebacenſis fundatoris ſoror. In necrologio enim Ebersbergenſi ab Oefelio vulgato ad 7. Kal. Decembris refertur obitus Willibirc Comitiſſae filiae Vdalrici.

Ex his igitur elementis cum aſſerto Hundii et Auentini comparatis conficiemus hypotheſin ſequentem ; *Vdalscalcum* Aduocatum, qui frater dicitur *Adalberonis* fratrem quidem eius, ſed ex ſorore Willipirga adeoque *ſororium* fuiſſe, hincque aut ipſum aut poſteros eius Kuebacenſis parthenonis Aduocatiam geſſiſſe.

Obſtare quidem videbitur, quod Kuebacenſe monaſterium incendio conſumtum ab Vdalscalco Willipirigae marito reſtauratum perhibetur : eruntque forte qui meminerint Willipirigam hanc anno 1037. iam viduam fuiſſe, velumque in parthenone Geiſenfeldenſi ſumſiſſe, Adalberonem vero Kuebacenſis coenobii fundatorem ad annum uſque 1045. rebus humanis interfuiſſe, ut mirum itaque foret reſtaurationem praefati parthenonis

 alii

b) ap. Oefel. T. II. p. 13.


alii cuicunque quam ipſi fundatori deberi. Sed mirum vix videbitur ſororium Adalberonis reſtituiſſe, ſuperſtite adhuc Adalberone, aedem ſacram praedio forte communi exſtructam. Hundius ſane, cui notitiam omnem reſtaurati ab Vdalſcalco coenobii Kuebacenſis debemus, diſerte tradit, illud paulo poſt fundationem conflagraſſe.

Haec recte ſe habebunt firmoque ſtabunt pede, modo Adalbero noſter Ebersbergenſis quod Hundio, nobisque placet, fundauerit omnino Kuebacenſe monaſterium. Omnia vero ruent ſi ab ipſo fuerit diuerſus Adalbero Comes qui de praedio et collaborato ſuo fundauit *Kuebacum*: cuique nil obſtaret quin habuerit fratrem *Vdalſcalcum* quendam Willibirigae cuiuscunque maritum.

Verum enim vero ſalua res eſt; magnus erit nobis Apollo qui Adalberonem alium quam Eberſpergenſem, Kuebacenſe coenobium fundaſſe probauerit, praeſertim cum liqueat omnino poſteros *Vdalſcalci noſtri* Kuebacenſem Aduocatiam omnino geſſiſſe.

Eſto igitur Vdalſcalci Aduocati Friſingenſis Coniux Willipiriga, Vdalrici Ebersbergenſis filia, ſororque Hazagae, quam Piligrimus Vdalſcalci noſtri frater duxerat uxorem, ſecundis votis Popponi de Rota deſponſandam. Ex Vdalſcalci vero cum Willipiriga coniugio prodierunt filiae quod minimum eſt quatuor, nobis iam pridem notae. *Hadmuoda* ſcilicet, mater Vlrici Karinthiae Ducis et Sigehardi Aquileienſis Patriarchae ex Popone Winarienſi inferius libro XI. cap. IV. §. 3. producendo: Gerberga Geiſenfeldenſis Abbatiſſa, Lutgarda de Mosbach, et Willipiriga primum *Wer-*

Wernario cuidam *quod notes velim*, deinceps Sigehardo IV. Comiti, atque iure uxorio Frifingenfi Aduocato nupta. Filii praefto funt plures: Vdalfcalcus II. mox recitandus, Sigemarus I. Comes, quem monumenta Ebersbergenfia difertis verbis *Willipirigae filium* vocant, et de quo tum fuperius actum eft, tum moxque ulterius agetur; Adalbero patruum nomine referens, et anno 1048. Kuebacenfis Aduocatus. Addendus foret Babo Comes de Scheiren anno 1037. apud Geifenfeldenfes celebris, nifi perfuafum haberemus illum eumdem effe qui Vdalfcalci noftri frater Paponis vero I. Aduocati filius a nobis eft nuncupatus.



Tabula XX.

Papo I. Comes et Aduocatus Friſingens. † poſt 978.	Vdalricus Comes Ebersbergenſis † poſt 1029.

Pilgrimus III. Comes Vx. Hazaga Eberſbergenſis v. tab. XIX.	Babo Comes de Scheiren a. 1037.	Vdalſcalcus I. Comes et Archiaduocatus, reſtaurator Kuebacenſis † ante 1037. Vx. Willipiriga Ebersbergenſis poſt a. 1037. monialis.	Willipiriga nupta Vdalſcalco I. Archiaduocato, et poſt 1037. monialis.	Adalbero Comes fundator Kuebacenſis † improlis.	Hazaga nupta 1. Piligrimo III. Comiti: 2. Poponi de Rota circa a. 1030.	Filius unus filiaeque duae.

Vdalſcalcus II. Comes Buranus circa 1048. † improlis.	Sigemarus I. Comes Buranus a. 1065. — Sigemarus II. Comes Buranus a. 1094.	Adalbero II. Comes Advocatus Kuebacenſis a. 1048.	Willipiriga nata circa 1000. nupta 1. Wernhero Comiti. 2. Sigchardo IV. Comiti et Aduocato Friſingenſi v. tab. XVII.	Gerberga Abbatiſſa Geiſenfeldenſis.	Luitgardis de Mosburg.	Hadmuota nupta Poponi de Weimar v. lib. XI. cap. 4.

Sigemarus III. Comes Buranus.	Adalbero III. circa 1100. apud Kuebacenſes clarus.	1. Hazaga Comitiſſa de Scheiren p. lib. XII. nata c. 1020. nupta. 1. Hermanno de Caſtell circa a. 1038. 2. Ottoni de Scheiren circa a. 1040.	2. Sigehardus V. Comes. v. tab. XVII.	2. Willipiriga Boemiae Duciſſa	Vdalricus I. Marchio Creinenſis et Iſtriae Vx. Sophia v. Lib. XI. cap. 3.	Sigehardus Patriarcha Aquileienſis a. 1068. — v. Lib. XII.	Eberhard Episcopus Polenſis a. 1077.

CA-

CAPVT TERTIVM

SYNOPSIS

De successoribus Vdalscalci Archi Aduocati. Nominantur Sigehardus IV. ipsius gener et Otto, hic demum ex Schirensibus ortus. Concluditur Auentinum errasse cum Aduocatiam Frisingensem inde a temporibus Ottonis I. posteris Arnulfi Ducis vendicaret.

§. I.

Nihil huc usque deprehendimus unde argui potuerit Aduocatiam Frisingensem hereditariam omnino fuisse, multo minus illam ad Schirenses nostros pertinuisse. Asserere tantum fas est ipsam a consanguineis ad consanguineos itemque ad cognatos frequenter transiuisse iure utique electionis, quod sartum tectumque erat Episcopis Frisingensibus.

Coaeui fuerunt Vodalscalchi duo quos patrem filiumque hinc diximus, simulque testati sunt principe loco a. cum *Aripo nobilis vir* cum coniuge Guntpirga filioque Egilolfo daret bona sita in Harthusa. Nota heic locum qui nomen praebuit Comitatui ad quem spectabat monasterium Kuebacense, Aduocatum tunc egit Helmperhtus quidam quia nempe in proprio Comitatu *Aduocatum* agere non potuit Vdalscalchus.

Idem fere contigit cum Poppo Hazachae maritus Vdalscalci I. frater daret praedia b. ad *Drauum* sita, reciperet vero in *Malantina*

a) Instr. Fris. a. 1307, p. 506 b) ibid. 1213.

tina in Eich et ad Drauum. Alibi enim Episcopus dedit cum manu Vdalscalchi nostri alibi cum manu Altmanni Comitis.

Solus Altmannus aduocatum egit ecclesiae cum Hazacha ipsa, opem conferente aduocato eius et marito *Poppone* largitionem faceret. Opinor tamen id accidisse postquam obierat Vdalscalchus qui nuspiam legitur post annum 1034. quo dictus est *fidelis Aduocatus.* b)

Eius vero successorem cum quaero sub Egilberto Episcopo solus occurrit Altmannus Comes, quem tamen repudiare posse mihi videor quia viuente Vdalscalco I. Aduocatus iam fuerat, utpote vice dominus et Aduocatus fratrum. Eadem de caussa repudio Aribonem et Helmperhtum, transeoque ad regimen Nitkeri Episcopi, qui praeesse coepit anno 1039. Sub hoc Episcopo nihil simile inuenire est iis quae sub Egilberto vidimus.

Artolfus vicedominus est, Adalbertus dicitur Aduocatus fidelium Episcopi, Sighardus audit Aduocatus ecclesiae et cum manu trium illorum virorum simul Nitkerus dat praedium viro a quo praedium receperat. a)

Non dubito quin Artolfus hic idem sit qui inter testes legitur fundationis Geisenfeldensis, parumque abest quin eum filium dicam Altmanni Comitis fratremque Adalberti, quo cum munia Altmanni Comitis partitus est.

Sigehardum quod attinet ex charta sane recens laudata autumare est ipsum ceu Aduocatum *Principalem* adhibitum fuisse.

Idem

b) Hist. Frising. T. I. P. I. p. 230. a) ibid. n. 1223.

Idem ſuadet Inſtrumentum b. quo ſancitum eſt de decimis quas aeque ſibi vendicabant Nitkerus noſter et Auguſtenſis Praeſul Eberhardus. Nitkerus remiſit decimas *cum manu Aduocati ſui* SIGIHARDI *et cum conſilio et conſenſu tam clericorum quam laicorum nobilium et ceterorum de familia. Teſtes fuerunt utrimque ex parte Auguſtenſis Epiſcopi Piligrim Comes* (filius Popponis de Rota et frater Cuononis poſtea Palatini Comitis) *Wolftregil, Helmperht* etc. *de familia* etc. Ex parte Frigiſingenſis *Epiſcopi* Nobiles OTTO COMES, *Maganus*, *Ekibart*, *Adalram*, *Lacco*, *Gerolt*, *Perhtolt*, *Altman*, *Etzo*.

OTTO Comes, quem hic primum legis, ſcrupulum mihi mouet de Aduocatia Sigihardi; dubium enim non eſt, quin fuerit Archi Aduocatus ſub ipſo Nitkero.

At praeter litteras quas iam laudaui aliae ſunt quibus famulus Eccleſiae Friſingenſis commutationem celebrans ſua dicitur dediſſe *conſilio et manu Aduocati ſui* SIGIHARDI a.

Huic itaque de Aduocatia litem mouere religio eſt et rectius diſtinguenda ſunt tempora, ita nempe ut ineunte regimine Nitkeri Sigihardus Aduocatiam principalem geſſerit, eamque exercuerit etiam praeſente Ottone Comite, quod magnam vim habet ad aſſerendam Sigihardo Aduocatiam Principalem quam poſtea geſſit Otto.

b) 1220. a) 1226.

Sigihardus autem is ipſe eſt frater Hartwici Comitis Palatini, qui Willipirigam Vdalscalci I. filiam duxit uxorem, ſicuti ſuperius bis terue aſſertum eſt. Vix igitur eſt quod mireris electum eum fuiſſe a Nitkero Aduocatum, qui Vdalscalci Archi Aduocati gener erat.

Conſtat equidem Sigehardum hunc medium uſque ſeculum XI. vitam protraxiſſe; at vero circa annum iam iam 1048. in Aduocatia Friſingenſi ſucceſſit ipſi Otto Comes Willipirigae ex Wernario gener.

§. II.

De Aduocatia Principali Ottonis conſtat ut de quibus maxime.

Viuebat adhuc Nitkerus, anno demum 1052. defunctus, cum nobilis mulier Dothilt et quaedam *fidelis foemina de familia S. Mariae nomine Diotrath* commutatioen ſimul inirent. [a] *Tradidit praedicta nobilis mulier manu aduocati ſui nomine* OTHONIS *ſuae proprietatis praedium in Eperoltiſtein, eidem foeminae Diotrath ſuoque* ARCHIADVOCATO *nomine* OTHONI, e *contra Diotrath* et *praedictus* ARCHI ADVOCATVS *tradiderunt nobili mulieri* etc.

Ex hac forte charta nihil elicies niſi Ottonem fuiſſe Aduocatum fidelium ut fuerat Adalbertus, aut fratrum ſiue Clericorum, ſicut Altmannus et ipſe, ut puto, Adalbertus. Praeſto ſunt utique

a) 1222.

que aliae litterae ſub Ellenhardo Nitkeri ſucceſſore datae, [a] quibus dicitur commutatio facta inter quemdam Clericum et Canonicos S. Friſingenſis Eccleſiae, praecipiente *Ellenbardo*, una cum Domino Vdalrico ac fratrum Magiſtro eorumdem, traditio vero facta a Clerico *per manus Aduocati ſui Aribonis in manus fratrum* ac OTTONIS ADVOCATI. E contra praefatus Magiſter Vdalricus una cum fratribus ac Ottone Aduocato ſuo tradidit etc.

Iisdem fere verbis conceptae ſunt litterae quibus edocti ſumus Altmannum Aduocatum fuiſſe fratrum cum Vodalscalchus I. Comes Aduocatus eſſet Epiſcopi. Dubium itaque non eſt quin Otto fuerit unus ex Altmanni ſucceſſoribus.

At nihilo minus Aduocatus quoque fuit Eccleſiae teſte charta commutationis [b] qua Nitkerus dediſſe dicitur cum conſilio ſuorum clericorum nobilium de familia et cum manu PRINCIPALIS ADVOCATI SVI OTTONIS.

Vtramque igitur Aduocatiam geſſit Otto, idque luce meridiana clarius fit ex charta ſub Ellenhardo Epiſcopo ſcripta [c]. „Placuit Domino Ellinhardo Epiſcopo conſenſu et conſilio OTTONIS ADVOCATI SVI caeterorumque *fidelium ſuorum tam Clericorum quam Laicorum adhibito concambium facere* cum Eppone laudabili confratrum Miniſtro. Tradidit Epiſcopus eidem Epponi per MANVM OTTONIS SVI *et* CONFRATRVM SVORVM ADVOCATI *de bonis confratrum* etc.

L 2 §. III.

a) 1236.
b) 1227.
c) 1237.

§. III.

Eſſet tamen cur crederemus Principalem Aduocatiam tunc temporis diuiſam fuiſſe, cum reperiamus Ellenhardum bis paciscentem cum Epiſcopis exteris, bis uſum fuiſſe Aduocato ab Ottone noſtro diuerſo.

Primum quidem cum de ſeruis quibusdam cum Ottone Ratisbonenſi Epiſcopo pactum iniretur, res acta fuit *per amba- rum familiarum Aduocatos*, FRIDERICVM et ECKEHARDVM, in praeſentia amborum Epiſcoporum Ratisbonae [a].

Iterum cum *Ellenhardus Epiſcopus recognoſceret omnem decimam de uniuerſis bonis quae eccleſia ſua tunc temporis habuit in Comitatu Carniolae* AQVILEGIENSI ECCLESIAE „ id egit per manum Aduocati ſui EKKEHARDI ad altare *ſanctae Mariae in manum Sigehardi Patriarchae ſuique Aduocati* MARQVARDI [b].

Quod ſi tamen temporis rationem habeamus deprehendemus Ekehardum ſucceſſorem magis quam collegam fuiſſe Ottonis. Cum Epiſcopo enim Ratisbonenſi actum fuit anno *Dominicae Incarnationis MLXXV. IIII. id. Septembris feria V.* cum Patriarcha vero Sigihardo *actum in ciuitate Aquilegia* XVII. Kal. Iulii anno Dominicae incarnationis M. VII. IIII. Indict. XI. quem annum Meichelbeckius recte ſtatuit eſſe 1074.

Ec-

a) 1233. b) 1248.

Eckehardus ille idem haud dubie eſt quem in aliis litteris Ellenhardi ita reperimus ut nunquam opportunius.

Nobilis foemina Ita et filius eius Griph delegauerat praedium *in manus Domini* Ellenhardi . . . Aduocati Ottonis. Epiſcopus cum manu eiusdem ſui Aduocati Ottonis retradiderat aliud praedium. *Teſtes* fuerunt ECKEHART et FRATER EIVS OTTO Vdelscalch, a. Gotescalch, Otto, Sigemar, Vodelrich etc.

Puta hunc Vdalſcalchum eumdem eſſe qui nobis dictus eſt ſecundus, in cuius Comitatu fuit Burenſis Abbatia anno 1048. Sigemarum eſſe eiusdem fratrem qui ipſi in Comitatu Burano ſucceſſerat iam anno 1065. Hinc conficio has litteras ſcriptas eſſe circa a. 1060.

Sed quod magis eſt conſtat *Eckehardum* Aduocatum fratrem fuiſſe OTTONIS *Archiaduocati.* Dubitamus tamen utrum Ottonis II. Collega an Ottonis I. ſucceſſor fuerit; eius nempe qui ſub Nitkero iam *Principalis Aduocatus* audit.

§. IV.

Nouam quidem parit difficultatem charta concambii ab Ellenhardo initi quo Epiſcopus foeminam quamdam per manum Aduocati ſui OTTONIS in MINISTERIVM CONFRATRVM tradidit. *Econtra confratres per manum Aduocati ſui* GEROLDI *conſentiente domino*

 Prae-

a) ib. 1244.

Praeposito Erchankero quandam matronam Hilligart in ministerium Episcopi tradiderunt. Testes Otto, Ruotparht, Reginmar, Gerolt, Gotascalh fuerunt. Anno Dominicae incarnationis 1058. Indict. XI. feria IV. die VII. ante Kalendas Septembrias.

Hoc igitur anno Geroldus fuit Aduocatus confratrum, quod munus procul dubio sub Nitkero gessit Otto I. Principalis Ecclesiae et Episcopi Aduocatus. Aut igitur abdicauit hanc Aduocatiam aut ea exutus fuit, aut denique obiit ante annum 1058. et successores habuit Geroldum in Aduocatiam fratrum, Ottonem II. in Aduocatiam Principalem Ecclesiae.

§. V.

Addemus his litteras integras a) idoneas quam maxime quae nos misere torqueant.

„ *Concambium inter Ellenhardum Episcopum et Wintherium seruum Ecclesiae; tradidit idem Wintherius proprietatis suae hobam unam in loco qui dicitur Loupach iuxta lignum Domini ad altare S. Mariae et in manus Ottonis Aduocati, praesente et comprobante Episcopo Ellenhardo. Pro hac traditione ex proprietate Ecclesiae et ex beneficio* OTTONIS FILII PERHTOLDI COMITIS *ipso permittente atque petente per manus* ETIAM OTTONIS ADVOCATI *eidem Wintherio tradita est ab Episcopo hoba una in proprietatem in loco qui dicitur Alarun. Actum est istud concambium, apud Vdimaresphelt anno Domini MLX. VII. Kal. Iunii feria tertia in Pentecostes.*

Non

a) ibid. 1234.


Non litigabo de anno, quamuis notae temporis in quibus ſcriptor chartae errare minime debuit magis congruere mihi videantur anno 1061. Maiore enim cura laboro, Otto ille filius Perhtoldi Comitis idemne eſt qui Otto Aduocatus dicitur? quotquot ſunt fere verba litterarum tot pugnant in alterutram ſententiam. Sed cardo rei vertitur in vocula *etiam*; ſcilicet an coniungat hic Ottones ambo unum eundemque futuros, an vero disiungat eosdem ceu plane diuerſos. At enim vero Otto Comes patre Bertholdo ideo duntaxat natus heic dici videtur, ut diſtinguantur Ottones ambo: idque vel inde vero fit ſimile quod nunquam alias contigit nuncupari patrem Ottonis Aduocati. Interim vero memineris velim, Lector, haec omnia in Ottonem II. Aduocatum vel inde cadere quod a. 1058. iam obiiſſe diximus Ottonem I.

Sic tandem deuenimus ad illam aetatem qua Schyrenſes e tenebr . emergunt. Conſtat enim OTTONEM Aduocatum, et Ottonem Berchtoldi filium ambo *Schyrenſes*, patruumque ac nepotem fuiſſe. Hic itaque ſubſiſtere paulisper par eſt, poſtquam exegimus Aduocatorum Friſingenſium ſeriem, et abunde probauimus temere, ſi unquam, aſſeruiſſe Auentinum, quod Arnulfus II. et Hermannus Eberhardi fratres, Arnulfi Ducis filii, curatores templi Fruninenſis ab Imperatore fuerint declarati.

Neminem enim inter Aduocatos Friſingenſes ante Ottonem I. inuenimus qui ab alterutro oriundus dici, multo minus probari queat. Incumbit nunc nobis quaerere, an felicius pronunciauerit Auentinus eosdem fratres *Praefectos Praetorio Boiariae* ab Ottone nuncupatos fuiſſe.

Forte

Forte et haec inquiſitio nonnulla nobis prodet quae detexiſſe non pigeat; niſi enim id ſpei alerem, taederet tot difficultatibus conflictari, ut id unum probarem, nempe erraſſe *Auentinum* et tempora miſcuiſſe, erraſſe eos qui in Auentini verba iurarunt.



LIBER

LIBER NONVS.

De Comitatu Palatino Baioariae, Arnulfi Ducis Posteris ab Auentino ante seculum XII. male vindicato.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS.

De antiquissimis Comitibus Palatinis Baioariae usque ad initia seculi undecimi, quo vixit Aribo III. Comes Palatinus, fundator Seonensis.

§. I.

Nondum me poenitet inquisiuisse Libro superiore in Aduocatos Frisingenses quamuis in hoc argumento multa adhuc desiderentur, multa lateant quae, si detecta fuerint, non parum conducent ad illustrandas origines Boicae Domus.

In hoc ergo libro de Comitibus Baioariae Palatinis sermonem instituemus, spe macti nec hunc laborem successu plane iri destitutum.

Si in Auentini verba iurassemus, diceremus et amplissimam post Ducatum fuisse dignitatem Palatinorum et assertam apud Baioarios solis Schirensium Principibus. Sed neutrum credere liceat quamdiu probandi copia non fuerit.

Accedo libenter opinioni Tollneri asserentis, post exauctoratum Eberhardum, Conradi Regis fratrem, Arnolfum Arnolfi Ducis filium creatum esse Palatinum Comitem, eodem, quo Eberhardus ante fuerat iure, ita scilicet ut summus Palatii per Germaniam uniuersam praeses foret, non vero haberet iuris dicundi prouinciam, iisdem limitibus, quibus Baioaria erat, circumscriptam. Maior fuit Arnolfi et autoritas et nobilitas quam ut dignitatem ambiret quae tertium fere semper locum inter Comites Baioariae dabat, nec is fuit huius tituli, in singulis Germaniae regnis, splendor, ut in Arnolfo Baioariae tunc leges dictante notari debuerit, nisi optimo is iure Comes Palatinus fuisset.

Et quidem quod ipsos Rheni Palatinos attinet, scimus aegre collocatam esse Ottonis III. sororem Hermanni Palatini filio et successori Ezoni, *quia nec fortuna nec natales decebant Regiam virginem*, a. et Ezo inter Ministeriales censebatur. At Ezo praeerat tamen Palatio Aquisgranensi totius Germaniae primario, indicio, quod obiter dicam, manifesto, Hermannum patrem Ezonis diuersum longe fuisse ab Hermanno Arnolfi Ducis filio Arnolfi Palatini fratre.

Sed quo magis Arnolphum salutamus Comitem Palatinum per Germaniam, ut fuerat Eberhardus Conradi I. frater, eo propiores sumus ut asseramus eo ipso tempore, quo Arnolfus Comitiua

a) Annal. Saxo ad a. 991.

tiua fuprema gauifus eft, vixiffe alium apud Boios primatem, qui Comes Palatinus in Baioaria audiebat. Vt vero in hac parte induftria noftra quantulacumque non defideretur, rem ab ouo tractabimus, et feriem Comitum Palatinorum, quam altiffime licet, repetemus.

§. II.

Primus quem fciam Palatini Comitis titulo diferte donatum, dictus eft *Timo* [a]. Luitpaldo Comiti coaeuus, eique femel, cum ambo teftes effent, praepofitus. Vix tamen conftat Timonem hunc inter Palatinos Baioariae utique primum fuiffe, poftquam reperi [b]. *Hamddeum* quendam *Comitem vel Praefidem*, quem Palatinos inter Comites lubens referrem. Nec de Timone illo accipio carmen quod Meichelbeckius exhibet [c]. „*in laudes Timonis Comitis et* „ *miffi Regis confcriptum, qui ius dicebat incorrupte in Baioaria, qui*- „ *que collem adiens Frigifienfem, ubi micabat S. Stephanus, fufpendi iu*- „ *bebat latrones, aliisque pedes, aliis manus, aliis nares adimebat* „ quae faeuiendi in graffatores poteftas maxima pars fuit huius muneris, ut poftea dicemus.

At fi quaerimus, qui maiores fuerint Timonis Palatini Comitis reperiemus [d]. an. 753. grandaeuum iam Timonem quendam „ *qui cum confenfu Venerabilis Ducis Taffilonis, et per confenfum omni*- „ *um commorantium urbem Germaniae, quos ad eam rem conuocare qui*- „ *uit Ecclefiam condidit in honorem S. Ioannis et dedit rem propriam quam* „ *genitor fuus* Svarzolh *fibi reliquit in Toolpach, idque omne dedit Ec*- „ *clefiae Frifingenfi.* „

M 2 Leuis

a) Meichelb. Inftrum. Fris. n. 559.
b) Ibid. n. 130. 186.
c) n. 23.
d) Meichelb. Hift. Frifing. T. I. p. 52.

Leuis profecto coniectura foret si sola nominis communione freti diceremus ab illo Timone Domino in Toolpach (hodie Tulbach Mospurgensis Praefecturae vico) originem traxisse Timonem qui integro post seculo, aut paulo minus Comes fuit Palatinus.

Addemus tamen *Starcholfum Timonis filium* [e] dedisse rem propriam in *Assoltrapah*, (hodie Affalterpah praefecturae Pfaffenhouensis vico) quam genitor suus TIMO reliquit, et cuius confinia *Poasinpach* ab Oriente, Crintilapah ab Occidente, *Ratinswipar a meridie* et intra hos terminos Pheterahha fluuius erant.

Timonem (virum nobilem) lego ultimum inter testes traditionis [f] factae anno 758. ex quo mihi oritur suspicio Timoni I. filium cognominem fuisse.

Starcholfus certe seu Tarcolfus fratrem habuit exque eo nepotem [g] Tisonem presbyterum. Ipse quoque plurium filiorum pater fuit, quos inter forte censendus est Tiso qui iudex erat anno 35. regni Tassilonis [a].

Nugas non agam si annotauero *Rotimpach* villam Dachawiensis praefecturae anno 23. Caroli [b] fuisse in Alode 5. fratrum qui dicebantur *Tutilo*, *Cozzilo*, *Petilo*, *Walfrid* et *Fritilo*. Hic natu maximus fuisse videtur: Tutilo Presbyter euasit: reliqui sobolem procrearunt his nominibus claram *Fritilo*, *Situli*, *Swidpurus*.

Tuti-

e) ibid. p. 35.
f) ib. p. 58.
g) Instr. Fris. n. 59.
a) ib. n. 71.
b) 103.

Tutilonis fratrum pentas patrem ſalutabat *Pirhtilonem* ſeu Perhtoldum, matrem Atam, conſanguineum Oazonem [a] qui vico *Oaſinuanc* haud longe a Rotnpach nomen dedit in Dachawienſi tractu.

Oazoni uxor fuit Cotuni, filius Meiol, praedium in Rotapah [b].

Starcholfus, de quo ſupra, pater fuit *Hiltolfi*; uterque praedium habuit in *Steinkiricha* et recepit beneficium ab Epiſcopo Friſingenſi Attone in Azzilinga [c].

Cum vero idem Epiſcopus bona daret ad *Toalpach*, teſtes fuerunt *imprimis Fritilo*, *Kamanolf*, *Pernhart* [d].

Idem Fritilo primus teſtis adfuit cum ageretur de re in Chundinhoua ſita; ſtipant ipſum Engildeo et Chuniperht [e].

Hamadeum autem et *Pirhtilonem* bis reperio ſimul teſtantes [f].

Alibi inuenio [g] *Mezzi* Comitem et *Pirtilonem* fratres fuiſſe et praedium habuiſſe in *Vndeuingas* qui locus nunc Inding eſt in Schwabenſi tractu, Hiltolfi vero ſororem Starcholfi filiam Adalfritam nupſiſſe Kundharto Comiti qui obiit circa annum 815. [h]

Mezzi nobilis vir quem modo dicebamus habuiſſe bona in Vndeuinga „ in animum induxit ut Toronam ſeu ad Turonum ur-

M 3

a) 175.
b) 179.
c) 212.
d) 249.
e) 254.
f) 263.
g) 315.
h) 319.

urbem piam peregrinationem ſuſciperet, deditque proprium Alodem in eodem loco ſitum anno 817. [a].

Eodem anno cum Aogo et filius eius Engilperht beneficium reciperent in Toalpach primus quidem teſtis fuit *Luitpald Comes*, ſed ſtatim ſubſecuti ſunt *Fritilo*, *Fritilo*, *Camanolf*, *Regenperht*, *Cundhart*. [b]. Cundhartum hunc filium puto Cundharti I. ex Adalfrita ſorore Hiltolfi, nepotem Starcholfi, pronepotem Timonis Senioris qui Dominus fuerat in Toalpach.

Camanolſum vero et Fritilonem cum propinquos fuiſſe ex coniunctis teſtimoniis hallucinor, a veritate non aberro, quandoquidem Ekkihart presbyter anno 820. renouauit traditionem loci ad Walde *cum Fritilone et Camanolfo vel aliis multis propinquis et amicis illorum.* Primi teſtes fuerunt, Fritilo, Camanolf. [c].

Quod cum ita ſit, friuolum non erit annotauiſſe in officio teſtandi coniunctos legi [d]. anno 823. *Berhtoltum*, *Camanolſum*, et Swazolf.

Alter ex Fritilonibus qui nobis occurrerunt Presbyter euaſit, praediumque poſſedit in Priſinga. [e].

Camanolſus, de quo paulo ante, idem eſt haud dubie qui Vaſſus Dominicus fuit [f]. et teſtimonium dixit in lite mota de rebus in Holtzhauſen ſitis. Socios tunc habuit Luitpaldum Comitem et Hrodoltum qui et ipſe Vaſſus Dominicus fuit. Meiol quoque teſtatus eſt. Id vero contigit an. 824.

Ek-

a) 357.
b) 367 369.
c) 380.
d) 434.
e) 445.
f) 472.

Ekkihardus presbyter, qui consanguineus fuit Camanolfi, et Fritilonis, praedia in Reod habuit, eaque dedit ad Ecclesiam in Feohtkiricha; ex litteris vero hanc in rem conscriptis discimus fratrem illi Alprih fuisse et nepotem ex fratre Ekkihardum. Litterae scriptae sunt anno 828. [a]

Mirum est Lector, nos hucusque deuenisse nec uspiam legisse Timonem qui tamen iam anno 831. prodit Palatii Comes [b]. Coniicimus inde ipsum in aula versatum fuisse quousque dignitatem adeptus est quam in patriam reportauit. Quis vero ante eum Comes Palatium rexerit ne coniiciendo quidem assequi possum. At mihi constat fere alium ab initio fuisse titulum eiusdem Magistratus, iudicesque illos qui frequentissimi sunt in nostris monumentis et missos Dominicos ea omnia praestitisse quae deinceps Comitibus Palatinis incubuerunt, Comitiuam vero Palatii tunc demum creatam esse cum Ludouicus Rex Ludouici Pii filius *et Rex Baiowariorum potestatem accepit*, an. 17. Ludouici Imperatoris siue anno 829. [c]

Nec plus vice simplici comparet Timo Palatii Comes, ita ut poenitenda esset opera omnis quam nauauimus in quaerendis eius maioribus nisi successorem habuisset virum ex iis quae supra ad nauseam forte lectorum diximus illustrandum.

§. III.

Anno 843. testes fuerunt, [d] *postquam vidissent et audiuissent Ratolt Comes*, FRITILO PALATII COMES, *Regimperht*, *Piligrim* etc.

Hic

a) 523.
b) 559.
c) n. 540.
d) ib. 622.

Hic eſt ille Fritilo, qui teſtis citatus eſt cum ageretur ſemel iterumque de bonis in *Tuolbach*, qui cum Gamanolpho ſemper coniunctus eſt qui conſanguineus erat *Ekkibardi* utriusque, *Alprici*, Pihrtilonis, ſeu Perchtoldi, filius vero, ut mihi videtur Fritilonis I. Vt vero ipſi maiores afferam quos indigitaui, ad Swarzolhum usque patrem Timonis, qui anno 753. iam grandaeuus erat, ſupereſt ut praedia eius eadem fuiſſe conſtet quae tenuerunt ante ipſum Swarzolh, Timo I. et *Stracolfus ſeu Traculphus*.

Id veri iam ſimile eſt ex teſtimoniis Fritilonis et Camanolfi ubique coniunctorum, conficitur vero ex mutatione, quam Palatinus *Comes Fritilo* celebrauit cum Annone Epiſcopo poſt annum 855. [a] Vt enim reciperet bona in *Apatinbuſir* et Vilarinesdorff dedit ex proprietate quam habebat in *Fidalesdorff* et in *Tuolpabc*.

Hoc igitur praedium quod Timonis I. fuerat quodque Starcholfus a patre Timone ſuſceperat deuenit tandem ad Fritilonem Palatinum Comitem.

Frequentior Fritilonis mentio quam Timonis. Primus enim Iudex ſedit et teſtis ſubſcripſit [b] cum encomio *Palatini Comitis* an. 843. 4. idus Auguſti, in loco *Dungeib* iuxta *Ciuitatem Viridunam, ubi Baldricus dedit Epiſcopo Friſingenſi talem proprietatem quam haberet in exercitu Baiowariorum in Iannara*, *Helidkeresbuſir*, *Chleninawa*, *Munninpab*.

Iterum primus teſtis erat Fritilo Comes Palatii an. 845. [c] cum mutatio fieret rerum ad Paingas et in Dahhauua ſitarum. Neſcio utrum idem ille ſit qui ſine honoris titulo poſt Volmotum teſtis adeſt cum nobilis vir Adalker dat in Vsdorf an. 846. [d]

Plu-

a) 817.
b) 629.
c) n. 635.
d) n. 643.

Plura non exſtant de Palatino Comite Fritilone monumenta; ultimum quod citaui pertinet ad Epiſcopatum Annonis, adeoque recentius eſt anno 855. Nihil certius clariusue ad manus eſt unde elicere queamus, quo tempore Palatinam dignitatem exuerit Fritilo.

§. IV.

Certiora haberemus ſi conſtaret Rodoltum ſeu Hrodoaldum Luitpaldi Comitis filium, quem Annaliſta Fuldenſis Comitem Palatinum nuncupat, a. Comitem Palatinum Regni Boici non vero Germanici fuiſſe.

At cum perpendo a Baioaria dominationem auſpicatum eſſe Ludouicum Germanicum, eundem apud Baioarios praecipuam ſedem habuiſſe, illinc in reliquam Germaniam Imperium propagaſſe, non dubito fere quin Ratoldus Comes Palatinus Baioariae, eodem, ut ita dicam iure Palatinus Germaniae uniuerſae euaſerit, quo Ludouicus ipſe totam Germaniam adeptus eſt.

Traculpho vel Taculpho homini Baioario commiſſum vidimus limitem Sorabicum. Id vero nomen cum in familia Baioariae Palatina gentilitium fuerit, mirum profecto eſt Traculfo illi in limitis Ducatu ſucceſſiſſe Ratoldum antea Palatinum Comitem. Suſpicarine licet Traculphum Ducem aut filium aut fratrem Fritilonis Palatini Comitis, Ratoldum vero vel generum alterutrius vel conſanguineum utriusque fuiſſe, et hoc iure non aſpernando Fritiloni primum, in Palatina Comitiua, poſt vero Trachoifo in Ducatu ſucceſſiſſe.

a) ad a. 857.

Id quidem mihi vehementer placet. At consanguinitatis rationem inire in illa antiquitate arduum est. Notemus tamen, *Arbeonem* virum nobilem mutauisse duo praedia in *Tuolpach sita* cum Anno Episcopus esset. a. At si Arbeo ille idem est qui Adalberti Comitis haeres fuit, nec video cur dubitemus, cum Anno usque ad annum 875. Ecclesiam Frisingensem rexerit, sequitur fere Hosios nostros cohaeredes fuisse in Tuolpach familiae quam Palatinam dicere iure possumus.

Traculphum autem, Taculphum, vel Starcholfum Ducem in Baioaria natum haud sine autore contendimus. Testes mutationis in *Rota* et ad Erlahuson factae an. 853. fuerunt *Ratolt Comes*, *Piligrim*, STARCHOLF, *Purchart* etc. Habemus et Dracolphum Episcopum Frisingensem qui anno 907. Outoni occiso successit.

§. V.

Restat ut de Ratoldi successoribus dicamus, si unus tantum fuit in Germania Palatinus quamdiu vixit Ludouicus Germanicus totius Germaniae Monarcha, quod quidem mire nobis arridet; credo omnino aut Ratoldo iam Duci prorogatum fuisse hunc magistratum, aut uni e filiis datum, puta *Heinrico*, cuius filius Adalbertus Babenbergensis *Nuntius Camerae* audit in *Francia Orientali*. Verisimillimum enim est nuntios Camerae et Comites Palatinos eumdem magistratum gessisse, nisi forte ampliora fuerunt nuntiorum iura. Quod si ita est Eberhardus Cunradi Regis frater cum Palatinam in Francia Orientali Comitiuam adipisceretur, spoliis ornatus est Adalberti, mutato nomine officii, et accila prouincia, quod clerus tunc potentissimus nuntiorum nomen horreret.

Diuisa

a) 762.

Diuiſa vero inter filios Ludowici Germanici Germania, creandus erat in Baioaria Carolomanni Regno aut nuntius Camerae aut Comes Palatinus. Retentum eſt priſtinum dignitatis nomen, et collata *Meginbardo* Comiti Palatina Comitiua Baioariorum.

Meginhardum nouimus ſub Annone Epiſcopo ante annum ſcilicet 875. ex charta a. mutationis in Feringa factae; cum ibi *publicum placitum celebraretur*, Engildeo vir nobilis dedit recepitque praedia in Peraloh. Teſtes praeter alios fuerunt 5. Comites, quorum primus *Meginbart Comes.*

Meginhardus ipſe Comes dedit b. agellum in Dihninga (villa nunc exigua haud longe Aerdinga ſita et Dieng dicta) ut haberet *ſemitam unam pedes* 10. *latam*, 30. *longam qua honorifice ad Eccleſiam ire poſſet.* Conſtat igitur in tractu Aerdingano Meginhardum Comitem et praedia et domum habuiſſe, quae ſedes Hoſium Principem indicare neutiquam videtur.

Anno demum 883. Meginhardus dicitur c. Palatinus Comes, praeponiturque Kotescalco et Wettini Comitibus, ſed temere faceret qui ideo pronunciaret ipſum ante hunc annum Palatinum non fuiſſe, aeque ac ſi quis diceret poſt eumdem annum eſſe deſiiſſe, quamuis huic opinioni ſuffragaretur omiſſus Palatini titulus in charta d. quae *Meginbardum* Comitem primum teſtem exhibet mutationis poſt annum 883. factae. Agrorum altera pars erat in *Pbetaracb*, in Chadalesdorf altera. Haec vero ditio vel teſtandi prae-

 roga-

a) 729.
b) 763.
c) n. 867.
d) 919.

rogatiua indicare videtur haeredem Starcholfi illius in cuius agro fluebat Pheterahha fluuius, praedio vel oppido cognomen.

Sub sequentibus Episcopis subinde apparet Meginhardus quidam sed nullo titulo insignitus, semel Aduocatus Gotescalchi Presbyteri dantis agrum in Fiot, Pasinga et Isanpach, recipientisque ad minorem Rotam. [a] Sed prae tempore idem esse vix potest cum Palatino Comite, quandoquidem haec incidunt in annum 930.

Vmbram vereor valde ne sequeremur si aut Meginhardi posteros aut seriem Palatinorum inde ab anno 900. sectari vellemus, suspicor nimirum ab Arnolpho Duce restitutum fuisse ex omni tantum non parte antiquum Boiorum Regimen omnesque qui ad Rempublicam spectabant magistratus aut ab ipso Duce gestos, aut fratri filiisque commissos.

Ita contigisse arbitror ut Arnolfus Arnolfi Ducis filius Comes Palatinus fieret in Baioaria, cum integra adhuc esset inclytissimae gentis fortuna, idemque officium retineret quoque postquam ampliorem Eberhardi Comitiuam fuit adeptus.

Statim quidem post Arnolfi caedem creandum immo et creatum fuisse nouum Palatii Comitem vix non asseuero: quamuis apud Boios per integrum fere hoc seculum titulus Palatini exulare videatur. Verum iam monui hanc dignitatem quoties intra Baioariam se continebat tanti aestimari non consuesse ut ea gloriarentur multum qui ipsa gaudebant. Sic *Meginhardus* in diplomate

a) 1015.

mate Arnolfi poſt Engildeonem et Vdalricum Comites nuncupatur anno 890. omiſſo Palatini encomio [a]. ſic Ludouicus Rex cum largitionem faceret an. 904. per interuentum *Paponis* et *Meginhardi* Comitum neglexit et ipſe titulum qui Meginhardo competebat et Pabonem illi praepoſuit.

§. VI.

Obſoletum fere et ſilentio ſcriptorum obrutum Comitis Palatini titulum reſtaurat tandem Vitus Arnpekhius; nouus is quidem autor cum de hac antiquitate agitur, ſed tamen eo minus contemnendus quod ob oculos utique habuit monumenta nobis adhuc occulta, aut quae nuper inuenta fidem illi conciliare omnino debent. Nemo huc usque quem ſciam, praeter Arnpeckhium, diſerte tradidit quo demum anno fundatum fuerit monaſterium *Seonenſe* cuius deſiderantur litterae fundationis. Ita vero Arnpeckius [b]. qui illas litteras, niſi multum fallor, ob oculos habebat:

„ Anno 994. *Aribo Comes* PALATINVS *tempore Imperatoris Ottonis III. ex caſtro Comitatus ſui dicto Pirgel monaſterium Seum conſtruxit.* „

Caetera confirmant litterae Imperatorum Pontificumque in vulgus notae, tempus optime congruit: unus ignorabatur Aribonis titulus quem ſubminiſtrat Arnpeckius; fidem huic facit intemerata in aliis ſinceritas; pronunciare itaque poſſumus Aribonem monaſterii Seonenſis fundatorem Comitem fuiſſe Palatinum. At probauimus huius auum fuiſſe Iacobum I. Archiaduocatum Friſingenſem, proauum Aribonem Marchionem: et hic notes velim

 quod

a) Codex Diplom. Ratisb. ap. Pez. col. 33. ib. col. 41.

b) Chron. Bauar. Lib. IV. c. 8. ap. Pez. Anecd.

quod iam ſupra memorauimus, ſcilicet Aribonem Marchionem praedium habuiſſe in Tuolpach ut habuerant priſtini Comites Palatini.

Videtur itaque haec Comitiua aut in eadem familia ſemper ſeruata, aut ipſi reſtituta, poſtquam reſtaurata fuit in Baioaria Regum autoritas, acciſae Ducum opes, aſſertae leges a Carolingicis Principibus latae.

Bene ſe habent haec omnia, et ſi quod ſupereſſe poſſet dubium euaneſcet illud et conſtabit omnino ſeries poſterorum Aribonis Marchionis uſque ad fundatorem Seonenſis Monaſterii, ſi probauerimus Iacobum I. quoque Aribonis Marchionis filium, Aribonis Seonenſis auum praedia nactum fuiſſe ea quae poſſederant olim priſci Palatini Comites.

Meminiſti Lector Fritilonem Palatinum Comitem proprietatem habuiſſe in *Fidalesdorf* et in *Tuolpahe*; Aribonem vero, qui poſtea Marchiam Orientalem ſortitus eſt dominum quoque fuiſſe in Tuolpach.

At Iacobus I. pater Aribonis II. (ut diſerte dicitur) [a] dedit Eccleſiae Friſingenſi praedium ad Fidalesdorff. Sic conſtant omnia. Conſtat de maioribus poſteriſque Iacobi I. conſtat de ſerie Palatinorum et de iure quo Aribo fundator Seonenſis, et ante eum Aribo Comes hancce Comitiuam adepti ſunt. Haeredes nempe fuerunt priſtinorum Palatinorum, ut haeres ipſorum fuerat Ratoldus.

Me-

a) Inſtr. Friſing. n. 1014.

Meginhardum quod attinet aut unus ex haeredibus iisdem fuit, aut euagata ad tempus dignitas (nihil enim nimis urgendum eſt) ad auitos lares ſub Aribonibus rediit. Ea nunquam gauiſus eſt Iacobus I. quia obiit cum res adhuc vacillarent in regno Baioariae. Recuperauit eam iure quodam poſtliminii Aribo II. Iacobi I. filius Aribonis III. pater, de quo laudauimus iam litteras duas in quibus res acta dicitur [a] SVB DVCE HEINRICO *et Comite* ARIBONE. Cum vero eadem formula uſurpata ſit paulo ante in gratiam *Adalberti de Marthale Comitis*, dicendum erit, quod valde probarem, reſtitutam primum fuiſſe Palatini Comitis dignitatem Adalberto huic praecipuo Ratoldi Ducis haeredi. Eodem vero ſine prole defuncto, eiusque patruelibus ad ampliora munia euectis tranſiiſſe illam ad haeredes Aribonis Marchionis et Domini in Tuolpach, iure gentilitio, cui accedere potuit propioris haereditatis titulus ex affinitate fortaſſis conflatus.

Contra Adalberti de Marthale Palatinatum militare videtur Comitiua Arnolfi, qui viuebat adhuc anno 948. quo res acta eſt *ſub Duce Peraltoldo* et COMITE ADALPERTO. At Tollneri ſententia quae mihi iam antea placuit amouet hunc lapidem, et adimenda tandummodo erit Arnolpho Comitiua per Baioariam peculiaris quam cum altera ampliore coniungi potuiſſe ſupra aeſtimabamus.

Quae ſi ita ſunt quaerendum amplius non erit unde in familiam Babenbergenſem aduectum fuerit nomen Berchtoldi, quod et datum fuit uni e filiis Luitpaldi Marchionis itemque Arnolfi Comitis; Pirhtilones enim ſiue Berchtolfos quam plures in prima Palatinorum familia reperimus.

Quid

a) ib. 1031. et. 1032.

Quid quod Ekkihardus presbyter et consanguineus *Fritilonis* Palatini praedium habuit in *Reod*, Aribo vero Comes studiosus fuit augendi praedii ad *Riod*, cumque id faceret testem accersiuit Timonem dictum [a]. ? multa omitto quae minutatim congesta ingentem facerent molem, sed animos legentium opprimerent.

§. VII.

Non possum tamen quin hallucinationi indulgeam, quam mihi subministrant nomina Timonis et Meginhardi Comitiuae Palatinae huc usque apud Baioarios dicata. Haec nomina coniuncta quoque postea fuerunt in familiis nonnullis quae hinc forte illa hauserunt.

Scimus *Timonem*, *Tiemonem*, *Diemonem* et *Ditmarum* vel *Theotmarum* unum idemque nomen fuisse. At vero Theotmarus Archiepiscopus Salisburgensium celebratur ineunte saeculo decimo. Diotmari duo anno 928. coniunguntur cum duobus *Aribonibus* apud Salisburgenses et unus ex eis anno 931. cum uno *Piritbilone* in nostris monumentis Salisburgensium anecdotis. Alter Diotmarus Aduocatus fuit eodem anno Engilperhti nobilis viri et Presbyteri cum primi testes essent *Sigibart* et fratres eius Nordeperht et *Engilperht*; ipsique frater tribuitur Bernhartus, quod nomen in prima Palatinorum familia reperimus.

Anno 961. Perenhardus quidam Aduocatus est Archiepiscopi Salisburgensis.

In

a) 1094

In alia gente ubi Timones abundant Meginhardos quoque reperiemus : ſic apud Meglingenſes quoque Comites nouimus *Thiemonem* Comitem ex uita Cunradi Archiepiſcopi circa finem ſeculi XI. et *Bernhardum.* In monumentis iterum Saliſburgenſibus circa annum 960. occurrit *Meginhardus* Comes cum *Hartwico* Comite et *Aripone.*

Quid ergo vetat quo minus credamus illa nomina perpetua fuiſſe in ea gente quae Comitiuam Palatinam geſſit, utut nos lateat quomodo coniuncti inter ſe fuerint viri, quos opprimunt huius antiquitatis tenebrae.

Hallucinor, ut vides, audacter, ſed nolo ut tibi officiat pudor meus, maloque audax videri quam veſtigia non indicare quae felicius forte ſequeris.

Interim retine ſeriem virorum a quibus dixi originem duxiſſe Aribonem, memento penes eos praedia fuiſſe quae poſſederant vetuſtiſſimi illi Comites Palatini praediaque illa ſita fuiſſe circa Schrobenhuſam, Tuolbacham, et qua denique pagus Hoſiorum ad Septentriones vergebat. Nec oro magis e memoria excidat Meginhardum Comitem Palatinum praedium et ſedem habuiſſe in *Dienga.*



Tabula XXI.

Suarzolh Dominus in Tuolpah circa 700.

Tiemo Comes Dnus in Tuolpah a. 753.

Pertholdus circa a. 780. Vxor Ata.	Starcolfus seu Traculphus Comes circa 780 Dnus in Tuolpah.	TiemoII. circa 758.

Fritilo I. circa 800. seqq.	Petilo siue Bertholdus II. circa 800.	Tiemo III. Comes Palatinus circa a. 831.

FritiloII. Comes Pal. 855. Dnus in Tuolpaha.	Traculphus Dux Sorabici limitis.	Pertholdus III. a. 823. seq.	Camanolf. a. 823.

N. uxor Arbconis s. Aribonis Marchionis qui hinc Dnus in Tolpah	N. ux. Ratoldi qui hinc Comes Palatinus et Dux Sorabici limitis.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM

SYNOPSIS.

De Aribone IV. Seonensi Palatino Baioariae. Probatur ipsum masculam prolem non habuisse. De Hartwico Palatino Aribonis ex filia nepote. Poppo Hartwici frater Tutor Aribonis V. Palatini Hartwici filii. Post Aribonem V. Palatio praefectus est Cuono Popponis filius. Huic succedit Cuno alter de Meglingen, Cunonis I. gener. De origine Comitum Ortenburgensium nonnulla. Ad Engelbertos Carinthiae Duces refertur.

§. I.

Si quid huc usque verum est, Comitiua Palatina ita haereditaria fuit, ut nullus in Germania Magistratus. Quicunque ergo Ariboni Seonensi successit in Comitatu Palatino eum et haeredem eius dicamus oportet.

At si temporis rationem habemus, Hartwicus, qui anno 1025. Palatinus Comes fuit proxime successit Ariboni in hanc dignitatem.

Quaestionem de natalibus Hartwici excitauimus iam supra, itaque absoluimus ut Hartwicum Aribonis filium fuisse vix non negaremus. At quod supererat aut paruum, aut nullum est momentum, ex quo asserere audemus cum foeminis communicatum fuisse ius succedendi in Comitiuam Palatinam. Aeque enim fieri

potuit, ut Aribo Seonensis ex filia aut sorore Hartwici Sundergouiensis pater esset Hartwici et Sigihardi, et ut Hartwicus ex sorore aut filia Aribonis susciperet Hartwicum Comitem Palatinum et Saltzgouiénsem, Sigihardum Burchusanum et Popponem de Rota ad Oenum Comitem.

Immo quo maiores fuerunt ad Oenum et in tota Orientali Baioaria ditiones huiusce Palatinae domus, eo verisimilius est Satorem eius ex illa tribu prodiisse, quae illic potentissima censebatur. Numerosiores praeterea paulo ante in eadem tribu occurrunt proceres, quam ut filiam unicam ipsis omnibus superstitem tot Comitatus tantasqne ditiones coniugi dotales attulisse verosimile videatur. Longe facilius accidere potuit ut unica haeres praediorum quae possederat Aribo Seonensis unicam Palatii Comitiuam inferret familiae in quam transiit, praesertim cum haec Comitiua nec magni admodum tunc fieret, utpote cum nullo prouinciali Comitatu coniuncta.

Huc accedit quod apud Aribonem Seonensem fundatorem indicium reperimus fere certissimum ipsum prole mascula caruisse. Vix enim contigit ut Princeps qui filiis beatus esset castro suo in coenobium verso magni reditus praedia in monachos transfunderet. Hoc consilium non cadebat nisi in eos qui de perennanda familia desperantes, filiabus cum dote congrua collocatis, nihil antiquius habebant quam ut animae suae, simulque viris consulerent qui rerum suarum haud incuriosi Deum Sanctosque eius id curare aiebant, ut *Domini Senioresque* latifundiorum et ministerialium plurimorum audirent.

Id vero haud ita facile sibi persuadebant proceres prolis masculae parentes, quin potius ut eius facultates augerent praedia Eccle-

Ecclesiarum subinde inuadebant beneficiisque a patrimonio Sanctorum auellendis inhiabant.

Tuto itaque asserere possumus viro, qui monachos haeredes habere voluit, prolem masculam defuisse.

Video praeterea Aribonem quemdam ineunte seculo undecimo improlem ita obiisse ut vacauerint eius beneficia omnia.

Anno 1033. Chonradus Imperator [a] contulit Egilberto Frisingensi Episcopo praeter alia praedia in ORIENTALI BAIOARIA sita 30 iugera quae Aribo de ENSINBVRC in beneficium habuerat. Ante aliquot annos idem Egilbertus commutationis gratia dederat [b] confratribus suis praedium ad *Nitlaranpabba* post OBITVM ARIBONIS *cui precario iure illud erat concessum*; beneficium nempe amplissimum quod optime decuerat Vassallum Principalem Ecclesiae Frisingensis. Idem Egilbertus Episcopus commutationis gratia dedit Arnoldo Abbati praeter alia *Wippanhusun*, quod beneficium fuit ARIBONIS. [c]

Tempus quidem non congrueret si certum foret Aribonem statim obiisse postquam confirmatum erat coenobium Seonense, et beneficia quae possederat illico post funera eius data fuisse aut Egilberto, aut ab hoc confratribus.

At nihil certum habemus de tempore quo obiit Aribo. Id unum scimus circa annum 1025. partes eius suppleuisse Hartwicum, qui hoc demum anno aut serius etiam pater esse coepit. Scimus etiam beneficia possessore vacua, ubi aliis tradebantur,

 nun-

a) Meichelb. Hist. Frising. T. 1. P. 1. p. 226.

b) ib. p. 232.

c) Ib. p. 213.

nuncupata fuisse ab ultimo possessore, quicquid temporis effluxerat ex quo ad dominum redierant. Optime interim congruit Aribonem ab Episcopo Frisingensi simul et a Rege beneficia habuisse, si is fuit quem fuisse opinamur. Obitum vero eius ad annum 1020. vel circiter referre possumus.

§. II.

De Hartwico cuius Comitiuam abunde asseruimus, iam antea quaesiuimus quo tempore obierit. Statuebamus eum circa annum 1030. obiisse. At postea mirari subiit tanti nominis virum tantique momenti, ubi lites dirimendae erant, partes suas non sustinuisse in inquisitione illa Mosapurgensi quam Chunradus Imperator instituit.

„ Anno siquidem 1027. Ind. II. praefatus Dominus Chuon-
„ radus Imperator Augustus anno regni sui 3º Imperii vero 1º
„ cum accepta Imperiali Benedictione de Italia cum exercitu re-
„ uerteretur in Vrbe Radasponensi consedit, ubi inter coetera
„ quae ad Imperii sui statum utilitatemque pertinere videbantur
„ PLACVIT OMNES BAIOARIAE PROVINCIAE COMITES et *Electos iudi-*
„ *ces* per *sacramentum Regale* admonere ut *possessiones* et praedia in-
„ tra eamdem prouinciam sita quae nouissent ad solium sui Impe-
„ rii *iure pertinere* eodem sacramento publice *interrogati* MANIFESTE
„ *pronunciarent*.

Similiter etiam de Ciuitatibus ad Marchiam istius Prouinciae pertinentibus, nec non de Abbatiis legitima libertate uti debentibus eos interrogauit.

Ade-

Aderat procul dubio Palatinus Comes, si quis tunc fuit in Baioaria cum id ageret Chunradus, sed non recensentur proceres, qui tum adfuerunt Ratisbonae, uno excepto qui quidem nuncupatur his verbis.

„ *Caeteris vero Iudicibus ex conscientia ad interrogata sic et sic re-* „ *spondentibus* QVIDAM COMES POPPO *dictus ab Imperatore admonitus* „ *dicebat locum qui Mosapurc dicitur, cum cunctis illo respicientibus li-* „ *beram esse Abbatiam, ideoque legitima potius debere uti libertate, quam* „ *Ecclesiae Frisingensis sedi seruire debere, nisi hoc in Comitatu et mallo* „ *publico a veridicis contradiceretur scabinis.*

Imperator ergo banc iudicii translationem et caetera nimis curiose „ *perpendens tandem ob amorem ac iustam petitionem Praesulis Egilberti,* „ *cum consilio optimatum suorum tam Francorum quam istius Prouinciae* „ *Principum* ADALPERONI COMITI, in cuius Comitatu ipse locus „ Mosapurc situs est Imperiali praecepto iniunxit, ut in placito „ suo per legitimas inducias indicto huius rei veritatem iuxta le- „ gem Baioaricam diligenter apud Iudices inquireret, id est utrum „ locus supradictus libera deberet esse Abbatia an iure possessio- „ nis ad Ecclesiam Frisingensem deberet consistere.

„ Comes igitur iuxta praeceptum Imperatoris placitum su- „ um publice legitimeque ad Tutinchoua indictum in 6. Idus Au- „ gusti habuit. „

Poppo Comes, si delator inuidus et odiosus fuisset, non vero ex officio ea dixisset unde lis orta est, Placito interesse, aut saltem inter Iudices sedere non debuisset. Comes vero Palatinus si

ſi quis tunc fuit, intereſſe debuit iudicio publico quod ferendum erat de cauſa Imperatoris. Audiamus nunc qui fuerint Iudices.

„ *Tunc Domino Egilberto Epiſcopo pariter cum Comite Adalpero-* „ *ne reſidente, praeſentibus etiam Comitibus Arnolfo, Poppone, Epar-* „ *bardo, Chadalbobo, et multis aliis viris illuſtribus (cauſa ventilata eſt,* „ *donec lite finita iudices omnes per ordinem propriis ſedentes in ſedibus iu-* „ *ramento conſtricti praedictum praedium Moſapurc cum ſua veſtitura in* „ *ius atque dominium Friſingenſis Eccleſiae iure perpetuo pertinere affir-* „ *mabant, nec unquam pro libera Abbatia vel eſſe vel baberi debere teſta-* „ *ti ſunt.* „

Teſtes in calce inſtrumenti recenſentur, inter quos tamen ne unus quidem apparet de 5. Comitibus praefatis, qui adeo iudices omnino fuerunt.

Quod ſi itaque mirum eſt Hartwicum non interfuiſſe huic iudicio, ideoque credere licet eum tunc iam obiiſſe; aeque veriſimile eſt Popponem vices eius, vel potius filii infantis adhuc Aribonis, ſuſtinuiſſe, et Arnolfo Comiti ſtatim poſtpoſitum fuiſſe ſicut fuerat *Hartwicus Palatinus Comes* cum omnes Baioariae Comites teſtes eſſent Praeſtariae a Chunigunda initae. Iam vero cum perpendo Popponis huius filium Chunonem Palatinum poſt Aribonem euaſiſſe, quod ſuſpicabar modo aſſeuerare iam audeo, Ariboni infantulo tutorem datum fuiſſe patruum Popponem, qui vices eius obiuit omiſſo tamen titulo officii quod ſuum non erat.

§. III.

Luculenter iam expoſuimus qui fuerint ſucceſſores Hartwici Comitis Palatini. Poſt Popponem Hartwici et Sigihardi fratrem, qui

qui hoc officium vicario iure gessit, idem subiit, Aribo filius Hartwici. Post Aribonem Chuno de Rota filius Popponis, qui filio unico Cunone II. orbatus praedia sua maximam partem Monasterio Rotensi dicauit, postquam filiam, quam, praeter ipsum, habuerat unicam Ermengarden collocauerat dotaueratque.

Superest ut Chunonis de Rota successorem quaeramus, fere certi ipsum haeredem quoque eius fuisse, nisi maluerit Cuno praedia dilapidare quam consanguineos nepotesue ditare.

Haeredes Chunonis I. esse potuerunt Boto Fortis et Sigihardus patrueles, ad eosque transire debuisset Palatina Comitiua si mares magis quam foeminas secuta fuisset. Nullus tamen ex iis quem sciamus, Comes Palatinus euasit.

Si Cosmae Pragensi fidem, quam meretur, adhibemus, certo sciemus Chunoni suffectum fuisse *Rapotham* Comitem quem eodem quoque nomine appellat Annalista Saxo ad annum 1092. At nimis nos urget Cosmas, qui *Rapotham* COMITEM PALATINVM IMPERATORIS iam nuncupat cum de rebus agit ineunte vere a. 1073. gestis. Chuono enim de Rota a Rege Heinrico Palatinus adhuc dicitur Nonis Septembris eiusdem anni; quin imo in diplomate Heinrici Caesaris anno 1077. Sigihardo Patriarchae Aquilegiensi dato testis post Lindulfum Karinthiae Ducem legitur *Cuono Palatinus Comes* a. hinc constat sane Rapotham nullo modo Comitem Palatinum fuisse quo tempore id egit, quod de ipso narrat Cosmas Pragensis; hincque recte pronunciabimus Rapotham in historia anni 1073. a Cosma Pragensi per prolepsin Comitem Palatinum nuncupari, quia reuera fuit post aliquot annos.

a) Vghell. Ital. Sacr. Tom. V. p. 57.

At nefas foret obliuiſci filiae Chunonis Palatini de Rota ſororis vero unicae Chunonis II. a. 1073. occiſi quam Ermogardam diximus e diplomate Heinrici IV. Rotenſi. Nupſit illa, ut ex fundatione Paumburgenſis coenobii conſtat [a]. *Chunoni Comiti de Megling vel Vranthenhauſen*, materque fuit Alheidis, vel Adelheidis Comitiſſae quae, inuito patre, nupſit Marcohardo Comiti de Marcartſtein, hocque defuncto Comiti Vdalrico de Pictauia, ſeu Pitten.

Modo itaque Comitiua Palatina mares ſolummodo ſecuta non ſit, dubium non erit, quin poſt mortem Chunonis Palatini de Rota, Palatinus fuerit Chuno gener.

Hunc nobis exhibent litterae anno 1068. ſcriptae [b]. aduocatiam gerentem Garſenſis monaſterii, quae penes Meglingenſes perpetua erat.

Quod cum ita ſit, egregie cum rationibus noſtris congruunt ea quae pugnare credideram olim cum diplomate Heinriciano, hac de cauſa infeſtus Annaliſtae Saxoni, [c]. aliisque optimae notae ſcriptoribus.

Illi nimirum omnes certatim aſſerunt anno 1081. in proelio commiſſo, ad Hohaſtem iuxta Danubium inter Alamannos et Bawarios occiſum fuiſſe *Palatini Comitis Cononis filium Cononem.* Id enim referri non poteſt, ut retuli aliquando, ad Chunonem Palatini Chunonis filium qui ante annum 1073. iam occubuerat. Conſtat itaque Chunonem de Meglingen Palatinum fuiſſe poſt Chunonem de Rota, quin et conſtat quo iure is fuerit, quia nempe Irmogardam Chunonis filiam unicam in thoro habebat.

§. IV.

a) Hund. Metrop. Saliſb. Tom. III. p. 56. et ſeq.

b) Hund. Metrop. Tom. II. p. 89.

c) ad ann. 1081.

§. IV.

Iam ad Adelhayden Cunonis de Meglingen filiam exque asse haeredem reuertamur. Haud diuturnum fuit ipsi connubium cum Marchohardo suo de Marquartstein, uti ex fundatione Paumburgensi liquet.

„ *Duo iuuenes priuigni Comitis Marcohardi, cum quorum matre „ muliere quidem nobili ante dormire consueuerat, dolentes de matre re- „ licta, quam licet absolute amatam iugiter tamen cum ipso sperabant fo- „ re permansuram, duobus mensibus post peractas nuptias vix decursis, „ in quo loco erat transiturus, positis sibi insidiis ad mortem usque vul- „ nerantes, semiuiuum eum reliquerunt.*

„ Marquardo Comite talem vitae finem sortito, Comes Vdal- „ ricus de Pactauia et praepotens, ac praediues, ita ut vulgo Vil- „ rich appellaretur, viduam ipsius duxit uxorem, per quam ta- „ men solam filiam generans nomine Vtam, Engilberto Duci de „ Crayburg eam desponsauit, cui Duci nati sunt per eam quatu- „ or filii, Bernhardus Dux Carinthiae, Engelbertus Marchio Ist- „ riae, Hartwicus postea Ratisponensis Episcopus et Comes Rapo- „ to de Crayburg. „ Ita scriptor fundationis Paumburgensis cuius fidem asserere extra propositum nostrum non erit.

Obiit Vdalricus de Pitten, pater Vtae, coniux vero secundus Adelheidis, anno 1099. ut postea probabo. Ex tertio connubio foecunda fuit Adelheis, non diu itaque gauisa est secundis nuptiis; quare confidenter statuemus Engelbertum Ducem de Crayburg Vtae maritum eundem esse qui Engelbertus Dux Carinthiae

quae nomine expositio certe falsa est

di-

diſerte nuncupatur in diplomate Lotharii Imperatoris anno 1130. in Curia Ratiſponae ſcripto. [a]

Aſſeuerauit Hundius [b] Hartwicum Primum Ratisbonenſem Epiſcopum, qui anno 1105. ſuffectus eſt Vlrico, eum ipſum fuiſſe de quo ſcripſit Pamburgenſis autor. *Hic*, inquit, *filius Engilberti Ducis Carinthiorum, fratres habuit Vlricum Carinthiorum Ducem, Engelbertum Marchionem Crayburgenſium et Rapotum Comitem Artemburgenſem*

At manifeſtus hic latet error, fieri enim non potuit, ut filius Vtae quae decennis vix eſſe potuit ineunte ſaeculo, fuerit Epiſcopus anno 5º eiusdem ſaeculi.

Poſtquam autem deuenit Hundius ad Hartwicum huius nominis ſecundum, Epiſcopum Ratisbonenſem, ait *iuxta Auentinum in vulgari Chronica impreſſa*, [c] fuiſſe *eum de familia Comitum Ortemburgenſium.* Sed ſubiicit mox Hundius: fuit ille HARTWICVS I. *de quo ſupra*; HVIVS AVTEM SECVNDI HARTWICI *familia ignoratur.*

Immo ignoratur familia Primi Hartwici. Secundi vero maiores fratresque dubii non ſunt.

Epiſcopatum Hartwicus II. adeptus eſt anno 1155. Ipſum hunc Hartwicum II. patremque eius et unum de fratribus praeſto habemus in excerptis diplomaticis Eccleſiae Paſſawienſis ab Oefelio editis. Ibi anno 1143. comparet *Engelbertus Dux* et filius *eius Rapoto* anno vero 1147. Hartwicus Diaconus filius Engelberti Ducis.

Bern-

a) Hund. Metrop. Tom. III. p. 303. c) Lib. VI.
b) Tom. 1. p. 131.

Bernhardum tertium fratrem subministrat mihi Codex Admuntensis apud Pezium.

Donationis enim a Cunrado Archiepiscopo factae anno 1139. testis est *Bernhard Comes de Carinthia*. Testis quoque fuit *Rapoto* Comes de Amberg. Sed legendum est *Artemburg* ni forte *Abenberg*, quod magis credo; Viuebat enim tum *Rapoto Comes de Abenberge*, frater, aut nepos ex fratre Chunradi Archiepiscopi.

Bene igitur se res habet cum tota familia Vtae, ut eam exhibet Scriptor Pamburgensis, in solo Bernhardi titulo forte reprehendendus. Constat itaque ad eam pertinuisse Hartwicum Secundum Ratisbonensem Episcopum, Hartwicl I. autem familiam huc usque ignorari, nisi filius ille fuit Hazachae Comitissae *quem mater S. Emmerammo obtulit*, ex altero eius connubio cum Papone vel Poppone Comite de Rota natum. Nasci enim potuit Hartwicus ex hoc connubio anno 1040. vel circiter: obiit anno 1126. annos natus 76. vel circiter, quod humanae conditioni non repugnat. Haec si recte se habent Hartwicus primus patruus erat Adelheidis, quae auia fuit Hartwici II.

Si Hundium sequamur Artemburg idem esse dicemus ac Lauenthal. Nescio unde id hauserit Hundius, mallem tamen dixisse idem esse ac *Ortemburg in Carinthia*; et unam familiam eosdemque forte proceres idem nomen indidisse duobus castris, quae possidebant in regionibus diuersis. Nihil nego tamen, sed asserere possum „ Rapotonem Comitem qui anno 1163. adhuc vixit, et cu-
„ ius ministeriali fideli tamen suo Hartwicus Episcopus Ratisbo-
„ nensis beneficium dedit „ dictum quoque fuisse Comitem de Ortemberck. a. Hoc unum vero probandum mihi fuit, ut docerem

 quo

a) Hund. Metrop. T. II. p. 77.

quo iure Palatina Comitiua peruenerit ad Ortemburgenses, eamque gesserit ex hac familia primus, ut mihi videtur, Rapoto de Ortemburg qui anno 1212. exitiale bellum gessit cum Alberto Comite de Bogen.

Credo Rapotonem Hartwici Episcopi fratrem obiisse ante annum 1165. ideo quod excerpta Passauiensia sub hoc anno mihi exhibeant *Rapotonem* et *Heinricum Comites de Ortenberg*. Vix enim reperies patrem filiumque simul occurrentes tam crude nuncupatos unquam fuisse.

Perpetuum Rapotonis nomen fuit in familia Ortemburgensi in hanc, ut opinor, deriuatum a Ratpotone I. Comite Palatino qui coniunctissimus esse debuit cum Chunone Palatino.

Sed cum in me non susceperim ut omnes familias in Baioaria Principes illustrarem diutius non morabor in Ortemburgensium gente, nisi ut moneam mansisse penes eam, aut ad eam rediisse cognomen a castro Crayburg inditum, eodemque venire Palatinum Comitem qui anno 1241. in viuis fuit.

„ Palatinus Comes de Chraiburg, inquit autor coaeuus Chro-
„ nici Salisburgensis a Pezio vulgati, a) a captiuitate Ratisbonen-
„ sis Episcopi absolutus contra promissum fidelitatis, castrum ip-
„ sius Episcopi Eberspeunt dolo occupauit et gwerram ipsi epis-
„ copo indixit.

§. V.

Cum fidem scriptoris Pamburgensis assererem, oblitus sum Engelberti Marchionis Histriae. De eo quidem alibi dicam ex scrip-
tore

a) Script. rer. Austr. T. 1.

tore coaeuo. Nunc tamen operae pretium est notare eum primum testem fuisse traditionis qua Chuonradus Archiepiscopus ditauit S. Radegundem Garsensem, cuius Aduocatus erat Chuono (de Megling) et ipse testis, ut et filius eius Chuono. Engelbertus ita notatur: *Huius traditionis testes* sunt Hengilbreht Marchio etc. a.

Horum principum seriem augent litterae anno 1068. scriptae quae nomen praeferunt *Hartuuici Ouensis Ecclesiae* Dei gratia *Praepositi.* Hartwicum hunc eumdem esse suspicor qui postea Episcopus Ratisbonensis euasit, quique tunc a Chuonone Megligensi Chuononis de Rota fratris sui genero obtinuerat hanc praeposituram. Litterarum testes sunt Vlric, Deil, Tiemo, Altmann, et filius eius Wergant, Marchwart etc. Annus ita notatur: *Haec facta sunt anno ab Incarnat. Domini* 1068. *tempore Hildeprandi Papae, Gebehardi Archiepiscopi, Heinrici Regis, Welfonis Ducis, Engilberti Comitis, Chuononis Aduocati.*

Engilbertus ille Comes, qui pater fuit haud dubie Engilberti Ducis, socer Vtae, quam paruo quaeso Lector distat interuallo ab Engilberto illo filio Sigihardi Comitis et Willae, anno 961. adhuc superstitum, ita ut filius Engilbertus ille facillime potuerit inire saeculum XI. quo fere medio floruit iam Engelbertus Comes (de Crayburg.)

Cum Tiemonem inter testes exscriberem succurrit mihi Thiemo vir sanctissimus et Archiepiscopus Salisburgensis cui bellum intulit Berchtoldus ille intrusus, qui Gebehardum Archiepiscopum

a) Hund. Metrop. Salisb. T. II. p. 88.

pum expulerat, contra quem, (Thiemonem) inquit Biographus Chonradi, (Berchtholdus) *collecto exercitu iuxta ciuitatem in loco Saldorf congressus, cruenta et infami victoria potitus est. Occubuerunt in eo proelio duo fratres Thiemonis senioris de Meglingen, eius, qui nunc superest patrui, qui omnes incunctanter et in obsequio Catholicorum Episcoporum Salzburgensium feliciter permansisse semper noscuntur.*

Qui igitur supererat *Comes de Meglingen* circa a. 1150. filius fuit Thiemonis senioris qui circa annum 1090. vixit.

Hundius hic legendum esse putat *Chuononis Senioris*, ubi de Thiemone Archiepiscopo scribens [a]. *Hunc Thiemonem*, ait, *cognatum suum Conradus Comes Medlingensis in Bauaria iam antea contra Berchtoldum conatus est Episcopum Salisburgensem facere etc.* At religio est codicem castigare ubi mendosum esse non liquet.

Hic non agitur de Chuonone illo Megligensi qui Palatinus fuit post Chunonem de Rota, et cuius filius Conradus occisus est anno 1081. Rarissimum vero foret duos fratres cognomines reperiri. Si itaque Conradus Hundii fratres superstites habuit nullus ex eis Chuno dictus est.

Iam suspicatus sum Burchardum fratrem Chuonradi occisi, cui pro fratre largitionem piam facienti adstiterunt Chuno de Megeligen et frater eius Meginhart, [b] fuisse unum ex filiis Chuononis nostri Palatini. Quid vetat ergo quo minus dicamus alterum ex Cunonis filiis fuisse Thiemonem, cuius filius iterum fuit Chuno II. pater Chunonis III. circa annum 1140. superstitis, nisi quis

a) Tom. I. p. 6.

b) Cod. Trad. Ebersp. n. 177.


quis malit duas familias Meglingensium distinguere quorum alterius princeps fuerit Thiemo Senior, idem qui iam anno 1068. testis est litterarum Owensis Praepositi; alterius Cuno noster Palatinus.

Quicquid horum sit Chuno de Meglingen coniux Hermengardae Palatinus Comes utique extitit; sobolem habuit numerosam: at solis Adelheidae posteris contigit ut Comites Palatini plus integro post saeculo, euaderent. Aut igitur extincta fuerat haec tribus Meglingensium, aut Adelhais unica filia fuit Hermingardae. Hoc suadent preces quibus Adelhais morti proxima maritum suum perpulit ut ecclesiam fundaret. *At illa*, inquit, scriptor Pamburgensis, *obiiciens testamentum matris suae Irmigardis simili de causa per desidiam suam adhuc in irritum remanere, ante non destitit, donec ipso Comite cum duodecim Ministerialibus electissimis iureiurando se obligantibus certissime confirmatum est nonprius eam sepulturae commendari, antequam coenobium sub patrocinio Beatae Margarithae, secundum quodpiae memoriae Marquardus Comes fieri per eam primitus instituerat, fundaretur.*

Adelheis itaque a patre quidem exhaeredata matris haeres ex asse fuit, ea quidem lege ut pias largitiones a matre votas absolueret, quare etiam desidiae ipsa suae adscripsit quod matris testamentum adhuc irritum esset.

Planum itaque et perspicuum est quo iure Comitiua Palatina ad Craiburgenses siue Ortemburgenses deuoluta sit, scilicet quod soli haeredes fuerunt Vtae, cuius auus Chuno Megligensis ut et proauus Chuno de Rota Comitiuam Palatii Baioarici gesserunt.

At Ortemburgenses Comites non nisi sero et postquam a Schyrensibus administrata supra saeculum fuerat Comitiua Palatina eandem adepti sunt. Reditus igitur faciendus est ad Rapotham illum de quo laudauimus Cosmam Pragensem et Annalistam Saxonem.



CA-

CAPVT TERTIVM

SYNOPSIS

De Radpotone Comite Palatino anno 1099. *defuncto. In natales ipsius inquiritur, tandemque pronunciatur nepotem ipsum fuisse Poponis de Rota, adeoque ex gente Palatina Baioariae oriundum.*

§. I.

Cosmas Pragensis postquam narrauit a. 1073. Legatos a Wratislao Duce Romam missos fuisse ita pergit: „ *Qui* (Wratislaus) „ *ut tutius iter agere possent, committit eos Romani Imperatoris* PALATINO COMITI *nomine Rapotae, rogans eum nimio supplicatu, quo sui* „ *Legati irent Romam et redirent sub eius conductu, nam* TANTAE POTESTATIS *hic* COMES ERAT, *quod usque Romam per continua loca,* „ *proprias villas, seu praedia, et per castella milites sibi deuotos habebat,* „ *qui et ex parte Ducis praedicti* 150. *marcas argenti pro beneficio annuatim accipiebat.* „

Ad hunc Rapotam vel Ratpothonem, nomen enim utrumque unum fuit, refero diploma Heinrici Imperatoris, cuius pars exstat in Excerptis Passauiensibus, et in quo legitur Heinricus anno 1073. *petitione* RAPOTONIS *Comitis motus, dedisse Sigebotoni in proprium quicquid beneficii habuerat in pago* OSTERRICHE.

Omissus tunc fuit titulus Comitis Palatini ut reuera omittendus erat quia tunc vixit adhuc Chuono I. Comes Palatinus.

Ad eumdem quoque Rapotonem refero litteras ab *Hundio* a. ex Rapſodiis Auentini laudatas queis Heinricus Imperator ſanciuit traditionem a ſe factam Monaſterio Ranshouenſi, cuius teſtes fuerunt „ *Erneſtus Marchio*, *Adalpero Marchio*, RAPOTO COMES „ DE CHAMBE, Aribo et *Poto*, *ut alias* notaui.„ Scriptae ſunt litterae illae ante annum 1075. quo occubuit Erneſtus, tuncque Rapoto caruit adhuc titulo Comitis Palatini, ut carere debuit. Sed opportuniſſime cognominatur a caſtro *Chambe* ut ſciamus 1º ubi exordium ſumpſerit *ſeries illa continua praediorum et caſtellorum quae a Boiohemio Romam usque perducebatur.* 2º ne nimium miremur Rapotam a Duce Boiohemii 150. marcas argenti in beneficium habuiſſe, quippe Boemorum vicinus erat et eo magis fouendus, quo potentior ipſe, quoque arctioribus vinculis Dux Boiohemi Germanico Regno adſtringebatur.

Primum de hoc Palatino monumentum, cui fides detrahi nequeat ſubminiſtrat nobis hiſtoria Boiohemica. b. Diplomatis enim quo Heinricus IV. anno 1086. definiuit *terminos Epiſcopii Pragenſis*, teſtis fuit *Rapota*, ſiue potius res acta fuit CVM ASSENSV PALATINI COMITIS RAPOTAE, qui hac de cauſa praeſertim requirendus mihi fuiſſe videtur quia limites nonnulli, qui tunc ſtatuebantur, medii erant inter Boiohemum ipſum et eam Baioariae partem quam tenebat Rapota. Quid enim ad Palatinum Baioariae Comitem pertinuiſſet diſceptatio de limitibus Epiſcopii Pragenſis?

Ex hoc vero magis atque magis conficio *Rapotam* eumdem eſſe qui anno 1073. vel circiter aut Comes duntaxat aut Comes de *Chambe* dicebatur.

De

a) Stammb. P. I. p. 125.

b) Cosmas Prag. ad a. 1086. Goldaſt. de Regn. Bohem. App. Docum. n. 9.

De eo quoque Annalifta Saxo ad annum 1092. his verbis:

„ Eodem anno *incboante*, *difponente* Rege *Bohemico Cosmas ele-*
„ *ctus* ad Pragenfem Ecclefiam et Andreas fimiliter ad Olomucen-
„ fem fedem, PER CONDVCTVM RAPOTHAE PALATINI COMITIS ve-
„ nerunt Manthuam ad Heinricum Imperatorem Kal. Ianuarii et
„ 2º Nonas eiusdem menfis fedens in Palatio Mantuano, PALATI-
„ NO COMITE RAFOTHA MEDIANTE, *confirmauit eorum Imperator ele-*
„ *ctionem.* „

„ Anno tandem 1099. ut habet Annalifta Saxo, cum Heinri-
„ cus Imperator pafcha Ratisponae celebraret ibi fubito mortalitas
„ magna exorta RABODONEM PALATINVM COMITEM ET ODELRICVM
„ PATRVELEM eius qui praediues fere ferebatur... abfumpfit. „

Odelricus ille praediues idem procul dubio eft quem ex fundatione Pamburgenfi diximus *Comitem Vdalricum de Pactauia feu Pitten* praepotentem ac praediuitem, ita ut vulgo VILRICH appellaretur, quique *Adilbeit* vel *Adelbeidam filiam Cbunonis de Meglingen duxit.*

§. II.

Hoc affecuti de Ratpotone neceffe eft ut alteram ex his fententiis amplectamur: aut Ratpoto reuera patruelis fuit Vdalrici Diuitis, aut minus follicite ita dictus eft ratione duntaxat connubii quod Vdalricus cum Adelheide Ratpotonis cognata iniuerat.

Vt primam fententiam amplectamur fuadet vis ipfa verbi, quo ufus eft Annalifta Saxo, modo credamus latine eum locutum effe. Tunc vero dicamus oportet aut Ratpotonem Comitiuam Palatinam poft Cunonem II. de Meglingen ex mera Caefaris gratia na-

nactum esse, aut matrem ei fuisse, quae post Adelheidem Cunonis de Meglingen filiam sed exhaeredatam, optimum ius in hanc Comitiuam et habuerit et marito filioque attulerit.

Ne dicamus Comitiuam Ratpotoni a Caesare nullo sanguinis iure moto, nec ulla cognationis habita ratione collatam fuisse vetat ampla argumentorum messis, queis probatum est Comitiuam Palatii et ante et post Ratpotonem haereditariam omnino fuisse. At si materno iure suffultus eam obtinuit Ratpoto mater eius, aut filia esse debuit Chunonis de Meglingen, adeoque ex Irmingarde Adelaidis soror quod rationi temporis congruum est neutiquam, aut soror ipsa fuit Irmingardis, quod tamen falsum esse arguit diploma Heinrici IV. Imp. monasterio Rotensi concessum, aut denique soror extitit illa Chunonis de Rota filiaque Poponis.

Nihil quidem obesse videtur quo minus in hanc postremam sententiam abeamus, sed parum illa lucis afferet quaerenti quae fuerit origo ipsius Ratpotonis; nec eam tueri possumus, nisi ex voce qua usus est Annalista. At vero an illam usurpando grammatice locutus sit ipse, eo magis ambiguum videtur quo plura prostant exempla queis constat Autorem nostrum pro seculi sui more natiuo verborum sensui haud ita sollicite inhaesisse.

§. III.

Quicquid horum sit necesse est omnino indagare quis tandem fuerit Vdalricus ille praediues, quem Rapotonis Palatini *Patruelem* dixit Annalista.

Plures Seculo XI. apud Baioarios praesto sunt *Vdalrici*. Nil nos morabitur Vdalricus de Ratelenburg quippe qui biennio ante

te

te noſtrum obiit. Nec huc quidem pertinet *Vdalricus* anno 1071. Bauzanus Comes, Altmanni Comitis frater; ſed maxime ad rem noſtram facit Vdalricus, *Hatbmuodae* nobis pridem memoratae ex Popone de Weimar filius, Willipirigae Ebersbergenſis et Vdalscalci Comitis nepos, Vdalrici Ebersbergenſis pronepos [a]. *Marchio* is fuit *Carniolae,* quo quidem elogio venit in libello concambiorum Eccleſiae Ebersbergenſis [b]. „ Vdalricus *Marchio Creinenſis* „ *nepos Adalberonis* „ ſcilicet nepos ſororis Adalberonis, quae „ Willipiriga fuit.

Optime haec conueniunt cum cognomine Vdalrici noſtri qui *de Pictaua* urbe nuncupari conſueuit: perſuaſum enim eſt recentioribus omnibus *Pictauam* urbem eandem eſſe quae lingua vernacula Pitten vel *Butine* dicebatur caputque fuit Marchiae quae poſt Vdalricum Neoburgenſibus Comitibus contigit.

Quin et ad Vdalricum noſtrum Pictauienſem Marchionem referimus ea quae Biographus Conradi Archiepiſcopi Salisburgenſis de Marchione quodam tradit, [c] qui *cum fratre ſuo Werigando aliisque Principibus Thiemonem Archiepiſcopum cepit poſtquam Turrim* (montem) *tranſierat.* Vberius haec explicat nomenque Vdalrici diſerte prodit Autor paſſionis S. Thiemonis praefati [d]. „ *Ex clade* „ *ad Saldorf* accepta Thiemo fuga euaſit. Non multo poſt cum „ per Taurum montem in Carinthiam iter legeret, VDALRICVS „ COMES partium Caſaris, in ipſo monte nihil minus *ſuſpicantem* „ *eum circumuenit et* CEPIT. *Tunc Vdalricus oppugnauit Frieſacenſe* „ *oppidum, et cum expugnare non poſſet, mortem minitatus eſt duobus* „ *pro-*

a) vid. tab. XX.
b) N. X. ap. Oefel. T. II.
c) Cap. VII. ap. Canis. Basnag. T. III. parte II.
d) Ib. p. 106.

„ *propinquis Archiepiscopi aeque nobilibus ac magnificis viris* (*fratres illos fuisse puto* Thiemonis de Meglingen quos Biographus S. Conradi in proelio occisos fuisse narrat) „ *Et nec tunc quidem iubente Archiepi-* „ *scopo ut arx traderetur, hi ambo capite truncati sunt . . Dixit Archi-* „ *episcopus obsidionis principibus* VDALRICO *scilicet*, COMITI CVM GER- „ MANIS SVIS DVOBVS *etc. perhiberi solet omnium prouincialium* FAMINE „ SCELESTOS COMITES *nunquam prosperatos in aduersis dedecorem vi-* „ *tam in aerumnis duram mortem luisse* „

At vero cum his si conferas quae Biographus Conradi Archiepiscopi habet, conficies inde *Vdalricum Pictauiensem*, Carniolae Marchionem, cognomento Diuitem fratres habuisse *Werigandum*, et *Starchandum*, eosdemque filios fuisse *Vdalrici Marchionis Creinensis* ex Hathmuoda nati.

Sic clarum foret omnino genus Ratpotonis Palatini, siquidem ille reapse fuit *Patruelis* Vdalrici II. Diuitis. Scilicet praeter Vdalricum I. Creinensem alium habuit Hathmuoda filium quo natus est Rapoto. Verum enim vero gratis mihi persuadebitur nunquam Vdalrico Creinensi fratrem Hathmuodae filium praeter hunc alium fuisse, quamdiu obstare asserto huic videbitur Charta Ebersbergensis,[a] qua „ *Riblindis Hathmuodae matertera Vdalrico Creinensi praedium concedit ea pactione ut si idem Oudalricus vita decederet absque prole delegali nobilique matrimonio procreata, omnia perpetuo Ebersbergensi Sancto deservirent.*„ Vix aut ne vix quidem Rihlindis haec sancitura fuisset, si alius extitisset adhuc Hathmuodae filius, haeresque legitimus Vdalrici.

Omnia haec, ut tandem dicamus quod res est, nos mouent ut Ratpotonem nostrum Palatinum consobrinum duntaxat fuisse pro-

a) N. LIV. ap. Oefel.

pronunciemus *Adelbaidis* quae nupſit Vdalrico II. Diuiti. Hanc vero Ratpotonis Palatini cum Adelhaide neceſſitudinem haud alio felicius modo adſtrui poſſe autumamus, quam ſi Rapotoni detur pater *Rapoto* alius apud Baioarios circa medium ſeculum XI. clarus, ipſeque frater Cunonis de Rota Palatini, filiusque Poponis. Accipe, Lector, coniecturae fundamenta.

§. IV.

Potentiſſimum fuiſſe terrarumque late diuitem Ratpotonem Palatinum vel ex Coſma liquet, qui perpetuam ipſi caſtrorum ſeriem tribuit inde a finibus Boemorum in Italiam uſque porrectam. Nihil igitur morari nos debet ſi Patrem Rapotonis alio, quam ipſum cognomine inſignitum deprehendimus. Licuit ſane ſcriptoribus utrumque de caſtris nuncupare quae ipſis notiſſima erant. Atqui vero Rapotonem I. Rapotonis Palatini Patrem a caſtro *Hohenwart* idemque a *Taura valla* cognominatum fuiſſe nullus omnino dubito.

Haec praefatis adire libet Vitum Arnpeckium. [a] *Vieltrudis Comitiſſa fundatrix Monaſterii* HOHENWART obiit anno 1080. *ſepulta ibidem cum fratre ſuo* ORTOLFO Comite, PATRE RAPPOTE COMITE de THAVREN ET MATRE HEMMA DVCISSA AVSTRIAE.

Hundius [b] aliique Taurenſem hunc Rapotonem nomine alio *Hohenwartenſem* quoque vocant ſiue de *Altaſpecula*, a caſtro *Hohenwart* Halam inter et Oenipontem ſito.

a) Lib. 4. c. 43. ap. Pez. Anecd. Tom. III.

b) Metrop: T. II. p. 272.

Iam vero memineris rogo Lector in *Taura* valle eiusdem nominis *villa* quin et toto Halensi tractu praediorum ditissimos lateque dominatos fuisse Iacobos et Aribones nostros Frisingenses quorum postremus Seonensis coenobii fundator primus in fastis nostris legitur Baioariae Ducatus *Comes Palatinus.*

His adde sis Hohenwartensi coenobio a Vieltrude circa a. 1074. fundato collata esse *teloneum*, *ius piscandi*, *decimas*, *ius patronatus*, *molendina in Schrobenhusen et praedia plura in Comitatu Tyrolensi*" a.

At vidimus supra Fritilonis Palatinos Baioariae Regni antiquissimos, Dominos fuisse in *Schrobenhusen* atque haeredes aut cohaeredes habuisse Aribones nostros.

Haec sane omnia haud leuia sunt monumenta originis Ratpotonis Taurinensis ab Aribone Palatino deducendae.

Restat connubium Ratpotonis cum *Hemma* Austriae Ducissa. Condonemus Arnpeckio elogium *Ducissa* Hemmae tributum, quam Marchionissam melius dixisset. Adelberti Austriaci filiam pronunciare iubet Aloldus qui in a. 1021. reiicit nuptias Adalberti cum *Albayde filia Guilielmi Comitis Pictauiensis et Geisele sororis Stephani primi Regis Hungariae.* Huius *Albaydis frater* erat *Petrus* etc. Subiungit is sub a. 1041. Adelbertus pro Petro apud Heinricum III. *Romanorum Regem et pariter affinem intercedens ei auxilium impetrat.*

Hemma itaque Ratpotonis Taurinensis uxor consobrina fuit *Agnetis Augustae*; quid igitur mirum quod Ratpotonem Palatinum

a) Hund. l. c.

num autoritate, gratia et fauore apud Heinricum IV. quam maxime pollentem uno fere ore nobis ſiſtant ſcriptores omnes.

Cum autem certum ſit praetea Ratpotonem Taurenſem obiiſſe ante annum 1074. quo coenobinm Hohenwartenſe fundarunt Ordolfus ipſius filius, filiaque Vieltrudis, diſtinguendi ſunt omnino Ratpotones duo: alter quem Taurenſem dicimus quique obiit circa annum 1072. alter, idemque Palatinus noſter qui anno 1073. iam florebat, et ſuperioris filius fuit.

Ad illum referimus chartam, in qua Meichelbeckius Ratpotonem Hohenwartenſem vel Taurenſem ſub nomine, ut mos erat, diminuto latere optime hallucinatus eſt.

Integram hic exhibuiſſe illam non poenitebit: [a]

„ *Cunctis Chriſti fidelibus tam futuris quam praeſentibus pateat* „ *qualiter felicis memoriae Comes* Razo de Diezen *tradidit et penitus* „ *delegatum absque omni contradictione fideli atque propinquo ſuo Heriberto Venerabili Presbytero in proprium habendum, et quicquid exinde libuerit faciendum quicquid proprietatis habuit in loco Nandesheim* „ *nuncupato in areis etc. Huius rei teſtes ſunt per aures tracti Chuno, Guntpolt, Helmperht, Etzo, Chadolt, Perichtolt, Gerolt, Iacob, Hartwic, Poto, Magnus, Kebolf, Ruotperht.*

„ *His ita teſtibus confirmatis mox idem presbyter Eccleſiam, quae* „ *nec dum hoc in loco erat ſub omni feſtinatione nouam conſtruxit et conſtructam atque a Domino Nitkero huius ſedis Epiſcopo conſcratam* „ *cum omnibus ſibi traditis pro ſalute animae ſuique Domini* Razonis Comitis *ad altare S. Mariae . . Canonicis deuote contradidit ea* „ *conditione ut ſub illorum prouidentia gubernetur et poſt finem vitae ſuae* „ *cle-*

a) Inſt. Friſing. n. 1219.

„ *clerico de sua progenie illorum petitione ad regendum ab Episcopo com-*
„ *mittatur. Huius traditionis facti sunt testes de nobilibus Gebolf, Po-*
„ *to, Isangrim, Berenger, Chadalbob, Heriman* „

Nemo non videt hanc chartam ex duabus aliis conflatam notitiam magis esse quam instrumentum donationis sincerum. Nihil itaque nec de tempore quo obiit Razo, nec de cognomine quod gessit dum viueret, satis tuto ex ea elici potest. Hoc unum certum est coaeuum fuisse ipsum Nitkero Episcopo, et in ditione sua habuisse castrum Diezense.

Ex hac eadem charta elicuimus consanguinitatem Potonis et Chunonis Palatinorum, quos patrueles fuisse demonstrauimus. Nunc iure eodem elicimus inde *Chunonem* qui primus testis est Razoni donationem celebranti, consanguinitate cum Razone seu Ratpotone coniunctum, fratremque eius fuisse.

§. V.

Testes a Razone praeter Chunonem adhibiti iidem plerique fuerunt qui cum Eberspergensibus semper versabantur, Rapoto vero ipse frequentissimus interest rebus ab Ebersbergensibus gestis. Sic cum Adalbero quidam Ebersbergensium cognatus syluam daret Geisenfeldensi Abbatiae testis adest Rapoto [a]. Sic circa annum 1037. Razo Comes testis est cum Geroldis, Maganis, Vozis, Gundpoldis aliisque qui in chartis Ebersbergensium semper adesse solent. [b] At memineris rogo *Poponem de Rota* quem Ratpotoni patrem assignauimus in thoro habuisse Hazacham Ebersbergensi sanguine ortam.

His

a) Hund. Metr. T. II. p. 248. b) Instr. Fris. n. 1188.

His rationibus accedit tandem quod *Chuno Palatinus Comes*, quem Ratpotonis I. fratrem fuisse contendimus, praedia multa habuit circa *Cambe :* At nouimus Ratpotonem II. primi filium *Comitem de Chambe* vocitatum fuisse imo, aut omnia me fallunt, aut Ratpoto I. cum fratre Cunone seu Conrado simul testes leguntur c. largitionis ad Nabam in Zetmansdorf factae.

Haec sunt quae dicere in promptu fuit de duobus Rapotonibus, quorum alter alterius filius haud dubie mihi fuisse videtur; videbitur forte omnibus qui rem diligentius inspicient.

Ratpoto Comes Palatinus obiit ut ex Annalista Saxone dictum est anno 1099. paucis annis antequam exigerentur monumenta quibus constat Comitiuam Baioariae Palatinam ad Schirenses transiuisse.

Verisimillimum huc usque est eam ipsis iure haereditario contigisse matronae Palatinae Schirensi Principi desponsatae. At priusquam in hanc rem differamus inspiciendi sunt nobis propius Ottonis Palatini Wittelspacencis maiores.

Quod vero hactenus exsequuti sumus satis est ut constet Auentinum aeque infeliciter hallucinatum esse de perpetua apud Schirenses Palatii Comitiua, ac de Frisingensi Aduocatia somniasse eum demonstrauimus.



R 3 Ta-

c) Cod. trad. S. Emmer. c. 69. ap. Pez. Anecd. T. 1.

Tabula XXII. cf. Tab. XIII & XIV

Comites Palatini Baioariae Sec. XI.

Aribo V. Comes Palatinus Baioariae † 1010. v. tab. XVII.

N. nupta Hartwico Comiti Salisburgensi et Palatino v. tab. XVII.

Hartwicus III. Palatinus Comes † 1028. Vx. Frideruna. Saxonica	Popo Comes de Rota Administrator Palatinatus a. 1028. Vx. Hazaga Ebersberg. v. tab. XX.	Sigchardus IV. Aduocatus Frisingensis v. tab. XVII. Vxor Willipiriga v. tab. XX.

Boto Comes de Botenstein

Aribo VI. Comes Palatinus abdicat. 1055. 60 Princ. Carinth. ae † 1102 (a. 1070. Comes de Hegirmos

Cuono I. de Rota Comes Palatinus † post 1074.	Rapoto Comes Taurensis a. 1060. Vx. Emma.

Irmgardis nupta Cunoni de Meglingen Comiti Palatino † post 1081.


Adelhayd nupta Vdalrico de Putten qui hinc patruelis audit Rapotonis Palatini.

Vta nupta Engelberto Carinthiae Duci unde Ortenbergenses Palatini.

Rapoto II. Comes Palatinus † a. 1099. Vdalrici de Pitten Patruelis.	Ordolfus	Willitrudis † 1081. nupta Bertholdo de Greisbach Comiti Palatino.

Agnes nupta Ottoni de Scheiren v. lib. XII. Cap. 8.

LIBER



LIBER DECIMVS.

De Arnulfi Ducis posteris ad Fridericum usque et initia seculi XI. deque Lechsgemundanis, Kreglingensibus, Tollensteinensibus, Neuburgensibus, et Gruebanis, unde Faleyenses, Comitibus, Schirensium Agnatis.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS.

De Bertholdo Arnoldi II. filio Aug. Gentis Boicae satore. Filius ipsi tribuitur Arnoldus III. Sundergouiae Comes circa a. 1000. *Arnoldus III. ex mera adhuc coniectura pater pronunciatur Arnoldi IV. et Friderici.*

§. I.

Probasse mihi videor Berchtoldum Arnolfi Comitis Palatini filium eum esse a quo originem duxerunt Comites Schyrenses. Verba Ottonis Frisingensis, cuius autoritate usus sum, legisse non poenitebit. Is ergo postquam de bello Hungarico ab

Ot-

Ottone Magno profligato dixit. „ *Huius*, *inquit*, [a] *maximae concus-* „ *sionis autor fuisse ex Baioaria quidam* SCHYRENSIS COMES *memora-* „ *tur*, *qui tamen perfidiae suae poenas soluens dum Vngaros* INCAVTE „ EDVCTOS *morti exposuisset*, *ab eis tanquam* TRADITOR NECATVS EST; „ *porro terra eius in fiscum redacta*, *partim a Rege inter Ecclesias diui-* „ *sa*, *partim haeredibus eius cum castro Scyrensi relicta*, *aeterno anathe-* „ *mate ab Episcopis addicata fuisse traditur.* *Ex* HVIVS ORIGINE *cum* „ *multi hactenus tyranni surrexerint* OTTO PALATINVS COMES *perfidi* „ *et iniqui Patris haud dissimilis haeres omnes priores malatia supergre-* „ *diens etc.*

Vehementer postea inuehitur Otto Frising. in Principes nostros *quos ad omnem tam ecclesiasticum quam saecularem honorem indignos fuisse ait.*

Fuit tamen vir pius qui hunc locum emendaret et contumeliis laudes substitueret, mortuo iam Ottone, ex Comite Wittelspachio seu Schirensi, in Ducem Baioariae euecto; ipse enim aetatem suam prodit. At emendator ille quem Radeuicum esse puto, venerandus et ipse propter antiquitatem suam, asserit et ipse proditorem ab Vngaris occisum autorem fuisse infelicem sobolis felicioris. Arnpeckius [b] rogatus ab Abbate Schyrensi ut traderet nonnulla de hac gente, professusque se exacturum, *quam optime potuerit*, *omnia*, quoniam quidem, inquit, *antecessores nostri confuse haec descripserunt;* Arnpeckius, inquam, cui patere debuit quicquid in coenobio Schirensi sacerrimum erat, refert inclytae gentis originem ad *Wernherum et Ekkardum Comites* qui proscripti fuerunt, quosque filios autumat *fuisse Berntoldi Ducis.* At error errore cumulatur, nisi dixeris miscuisse hic personas eodem nomine

a) Chron. l. VI. c. 20. b) ub. S. l. V. c. 3. ap. Pez.

mine infignitas Arnpeckium et Bertoldo quidem, at non Duci, qui improlis obiit, fed noftro, quem fubminiftrauit Biographus Sancti Vdalrici, deberi origines Schirenfes. Quae de Wernhero et Ekkarto adduntur fuo loco uberius explanabimus.

Salua interea ftabit autoritas Ottonis Frifingenfis Epifcopi, falua Biographi Vdalriciani, qui egregie confpirant in Bertholdo filio Arnulfi Iunioris, ab Hungaris, quos euocauerat, ipfis caefo. Proles, quam reliquit, fupra decennem effe non potuit, ut colligere eft ex iis quae de patre auoque diximus. Ante annum igitur 970. filios gignere aut rebus publicis intereffe vix potuit Berchtoldi filius in quem iam iam inquirimus.

§. II.

At ante annum 994. poft annum vero 957. occurrit nobis *Arnolt Comes* a. teftis cum Engildione et Iacobo, et, quod mirum eft, occurrit tantummodo femel. Scimus praeterea anno 980. duos vixiffe Arnulfos Comites in Sundergouia b. e quibus unum faltem vendicare nobis poffumus, nifi obftet fortaffe fitus Sundergouiae. At non obftare facile euincemus.

Caeterum Arnolfi nomen eo magis mihi placet quod filius Berchtoldi nafci debuit viuente adhuc auo, regnumque feu Ducatum ampliffimum affectante; praeterquam quod recens adhuc erat memoria Arnolphi Ducis imo et Arnolphi Caefaris, a quo conditum fuiffe Schyrenfe caftrum fcribit Arnpekhius.

Arnoltum Comitem circa annum 980. uxorem duxiffe probabilis eft coniectura ex aetate, quam tunc attigerit oportet et ex

a) Inftr. Frifing. n. 1103.

b) Pez. Cod. dipl. Ratisb. col. 57.

fortunae conditione, per quam forte non licuit, ut maturius connubio animum applicaret. Annum aetatis trigesimum quintum non superabat, potuit trigesimum vix attigisse. Sed mea non magni interest aliquotne annis serius an ocius uxorem sibi asciuerit, nec reluctabor si quis dixerit anno iam 975. prolem illi natam fuisse.

Obstrepent forte nobis qui Conradi Philosophi effata tanquam ex tripode profecta venerantur, grauiterque ferent seriem Schirensium plus aequo a nobis produci. Siquidem Conradus diserte monet, Werinharium proditorem auum fuisse Ottonis, patrem Ottonis Hazagae mariti, a quo perpetuum oritur nec dubium Schirensium stemma. Verum enim vero quis sanus crediderit unquam, Werinharii, qui a. 955. perduellionis reus iam fuerat actus, nurum aetatem ad annum usque 1103. produxisse? Et sane Conradus ipse affirmat Hazagam hoc anno, 1103. puta, nuncios Romam misisse.

§. III.

Iam tandem probandum nobis incumbit Arnoldum quendam siue Arnolfum Comitem reuera vixisse circa annum *millesimum.* Id vero abunde patet ex Epistolis Gozberti Abbatis Tegernseensis [a]. qui hoc coenobium rexit ab anno 983. usque ad annum 1001. Duae sunt quas ad Arnoldum Comitem scripsit Gozbertus. Harum altera grates agit quam maximas „ pro *clementia suae* CELSITVDINIS erga se et domesticos suos, *profitetur eius memoriam semper esse et fore celebratam*, ut et DOMINAE inquit, NOSTRAE ADELHEIDIS *cuius obitum se didicisse ait.*

Alte-

a) Bernh. Pez. Thesaur. Anecd. T. VI. N. 27. Ep. 2. et 3.

„ Altera vero epiſtola eidem Comiti grates agit quod eius „ munificentia feneſtrae monaſterii eouſque pannis clauſae, nunc „ vitris pictis claudantur.

Adelhais, de qua in prima Epiſtola agitur, fuit aut mater aut coniux Comitis Arnoldi. Coniugem fuiſſe credo, cum particeps fuerit beneficiorum quorum ſe ſuosque memores futuros eſſe profitetur Gozbertus, idque magis congruat cum ratione temporis.

Hunc igitur *Arnoldum* ex monumento Friſingenſi iam notum, et Sundergouiae Comitem in monumentis S. Emmeramenſibus celebratum, autumo filium fuiſſe Berchtoldi perduellionis a. 955. occiſi. Veriſimile eſt eum natum eſſe circa annum 945. Anno itaque aerae milleſimo aetatis ſexageſimum nondum attigerat.

Comitatum ſuum habuit Arnoldus in *Sundergowia* haud longe a *Villa Riut* ad quam Villam ſpectabant agri qui in eius Comitatu iacebant.

Vltra annum milleſimum produci potuit commode vita Arnulfi. Non credo tamen ita producendam eſſe ut annum decimum ſaeculi undecimi ſuperauerit.

Quemcumque igitur Arnolſum reperimus poſt hunc annum, multo magis poſt vigeſimum aſſerere poſſumus diuerſum fuiſſe ab Arnulfo Adelheidis coniuge.

§. IV.

Litterae Chunigundae Imperatricis Auguſtae, [a] quas ſaepe laudauimus, bis exhibent nobis, quem libenter offendimus, Arnol-

a) Hiſt. Friſing. T. 1. P. 1. p. 219.

noltum Comitem. Monui iam a Chunigunda opulentam factam fuisse „ *Praestariam* ut vocabant, „ *cum consilio gloriosi Ducis Baioa-„ riorum*, *Heinrici scilicet fratris sui*, *cunctorumque procerum et optima-„ tum*, *Comitumque Baioariae Prouinciae ac iudicum*. „ Postquam recensita sunt omnia praedia quae Frisingensi Ecclesiae post mortem suam asserebat „ *Amabilis Domina Imperatrix*, notantur *Testes* Ge-„ rolt Comes, FRIDIRIH COMES, ARNOLT COMES, Hartwic Pa-„ latinus Comes „ (et septem alii Comites, post quos filii quoque Comitum recensentur; secundus eorum est) PERAHOLT filius FRIDERICI COMITIS, puta Berahtoltum vel Berchtoldum dictum fuisse et gaude mecum hoc nomine, quo gens Friderici, quem fratrem esse puto Arnoldi reuocatur ad Berchtoldum Schirensem a. 955. occisum. Leuis huc usque coniectura est sed quae validius firmabitur, ut reliqua omnia.

Recensitis praediis, quae Episcopus Frisingensis Chunigundae ad vitam dedit, iidem iterum testes recensentur eodem ordine, Gerolt Comes, FRIDIRIH COMES, ARNOLT COMES etc.

Nec semel tantum in monumentis publicis loco insigni exhibetur Arnoltus vel Arnolfus nobis IV. biennio post, cum fieret inquisitio illa Mospurgensis, de qua fuse diximus, in placito publico Adalberonis Comitis Eberspergensis; praesens fuit primoque loco sedit et nuncupatus est COMES ARNOLFVS. Post eum Poppo ille de Rota, quem diximus Comitis Palatini vices tunc suppleuisse.

Ad hunc quoque Arnoldum IV. refero litteras quas, Meichelbeckio a. teste, Burenses scriptas fuisse credunt circa annum 1055.

a) Chronic. B. Bur. P. 1. p. 73.

1055. tribuuntque *Arnoldo Comiti* Leopoldi Dieſſenſis, Andecenſis et Hohenwartenſis Comitis, ut putant, filio, quem primum Comitem Tyrolis Albizius nuncupauit. Nihil hic monebo de fictitio illo Leopoldo; id vero contendo has litteras paulo vetuſtiores vel inde dici debere quod teſtes pleroſque legiſſe mihi videor iam anno 1025.

§. V.

En tibi litteras integras ſiſto, quas tamen notitiam eſſe magis credes, quam inſtrumentum exactum.

„ Notum ſit qualiter quidam *Comes* nomine *Arnoldus* NOBILISSIMVS BELLATŌR *Imperatoris atque* FIDISSIMVS DEFENSOR S. BENEDICTI tradidit ad altare S. Benedicti quicquid proprietatis habebat in villa *Taerzins.* Actum in loco Burren. Teſtes per auriculas tracti *Engildie* Comes, *Albero* Comes, *Poppo Comes*, *Otto Comes*, Iohannes Comes, *Pilgrimus Comes*, *Dietricus* Comes qui dedit Pfans.

Villa Tarzens hodieque exſtat in Tyroli trium horarum intervallo ab Oeniponte. Pfans haud procul a Tarzens iacet.

Niſi multum fallor *Albero* Comes eſt Adalbero Comes Eberspergenſis, Poppo Comes idem qui Poppo Comes de Rota. *Otto* Comes haud diuerſus ab Aduocato Friſingenſi qui tunc vixit eiusdem nominis. Piligrimus Comes idem eſt qui vixit anno 1025. ut ſcimus ex litteris Chunigundae, cuiusque viduam Hazacham duxit Poppo. Dietricus denique alius non eſt quam Dietricus ille de quo inter Friſingenſes Aduocatos actum eſt cuiusque filii fuerunt Vgo et Papo.

Quae cum ita ſint non dubito quin conſtet de aetate *Arnoldi Bellatoris*, certumque ſit, aut fere eundem illum eſſe qui anno 1025. teſtis adfuit Chunigundae, anno vero 1027. Iudex in inquiſitione Moſapurgenſi. Iudicis munia tunc ſuſtinuit quia unus erat ex proceribus Hoſiorum, rarior tamen eſt in monumentis Friſingenſibus quia praecipuam fortunarum ſedem in montanis habuit, ſiue in Alpibus, quae nunc a caſtro Teriolis nuncupantur.

Fridericus autem, quem Arnoldi Bellatoris fratrem fuiſſe ſuadent, praeter alia quae inferius producentur, conſtans in teſtando ſocietas, legitur etiam ante annum 1028. in traditione S. Emmeramnenſi Dietrici Comitis Libro VIII. a nobis ex Pezio citata: [a] legitur quoque apud Friſingenſes in inſtrumento quo ipſe in manus *Geroldi Aduocati* tradidit proprietatam ſuam in Gerhaſtunga [b] ſub Epiſcopo Egilberto.

Hic vero paulisper ſubſiſtamus. Memineris interea, velim Lector, Arnolfi II. Palatini filium fuiſſe Bertholdum II. a. 955. caeſum. Bertholdo II. ex noſtra quidem ſententia, natum eſſe Arnolfum III. Adelaidis maritum circa annum 1000. defunctum. Arnolfo III. procreatos mihi quidem videri Arnoldum IV. bellatorem atque Fridericum I. Bertholdi III. patrem.



CA-

a) Anecd. T. I. inter trad. Emmer. c. 62. b) Inſtr. Friſing. Meichelb. 1164.

CAPVT SECVNDVM

SYNOPSIS.

De fundatione Vsenbouensis Abbatiae deinceps Schiram translatae. Fundatores Bertholdus ipsiusque cohaeres Otto. OTTO *coniugem habuit* HAZAGAM, *filios tres e quorum primo natus* OTTO PALATINVS COMES, *gentis Augustae sator proximus.*

§. I.

Obtuli tibi lector ingentis argumentum operis, quod aggredi vix non reformido Sed veritatem quaerere professus conditionem humanam subibo, si errauero, nec temeritatis notam deprecabor, hoc uno contentus, si sincerus et bonae fidei tibi visus fuero.

Ordine agam id omne quod agere suscepi, a certis ad incerta, a perspicuis ad obscuriora progrediar.

Primus Schyrensium, qui nobis notissimus sit, Otto dictus est uxoremque habuit *Hazacham* vel *Hazigam* quae marito ipso celebrior est. In parentes Hazachae alibi inquiram ut et in primum illius coniugem Hermannum. Iam audiamus Conradum Schirensem: a. „ Hermannus *Hazachae maritus ingressus cum seruis „ et rusticis suis de legitimis curtiferis apud Willingam liberam syluam „ in loco qui dicitur Helingersuuenga, modo autem interior cella nuncupa-*

a) Sect. I. et. II.

„ *patur, et sibi eam suaeque uxori Comitissae Hazigae absque omni con-*
„ *tradictione apprehendit, sicut mos erat et est communem syluam de le-*
„ *gitimis curtiferis apprehendere, et in potestatem iuris sui tam popula-*
„ *ri more arborum scilicet incisione, ignium ustione, domorumque aedi-*
„ *ficatione quam trium dierum in eodem loco, quo haereditario iure hae-*
„ *reditatem retinere mos est, sessione a monte qui dicitur Chetinrin usque*
„ *ad locum qui dicitur Cheuirinis Vrsprinch vendicauit* „

Hic tractus haud longe a Vischpachau situs totusque est inter Comitatum hodiernum Waldeccensem et Oenum fluuium, ubi mons altissimus Windelstein assurgit.

„ De sylua exculta decimae oblate sunt apud Willingan „ quousque eo secedentibus viris religiosis et nobilibus Othone „ et Adalbrechto ecclesia ibi condita fuit. Tunc Haziga Comi- „ tissa id impetrante ab Ellenhardo Episcopo Frisingensi, noua ec- „ clesia consecrata fuit a Polensi Episcopo anno 1077. , eoque „ translatae sunt Nouales Decimae „ Ecclesia illa hodie est S. Margarethae in Zell.

„ Consecratio ea non contigit nisi multis annis postquam „ Hermannus syluam occupauerat et rusticis suis colendam de- „ derat.

„ Interim enim obiit Hermannus Comes, nupsitque Hazi- „ ga Comitissa Ottoni.

„ Ex Ottone peperit Haziga tres filios Ottonem Bernhar- „ dum et Eckhardum Comites. Ex iis Eckardus Frisingensis Ad- „ uocatus iam erat quando Haziga cum *eius manu et fratrum eius* „ *Bernhardi et Othonis Comitum* dedit nouae Ecclesiae et fratribus

„ ibi-

„ ibidem degentibus decimam apud Willingan et allodiola quae-
„ dam ad eamdem villam pertinentia.

„ At incommoda erat haec mansio propter viae salebras „ et montium asperitatem. Decreuit igitur Haziga *concambium* „ *facere* cum Episcopo Frisingensi, cui dedit praedia sua apud „ *Chitinreiniscbowa* et apud Arnoltisowa, et apud Wenga, col- „ laudante Episcopo Meginwardo, collaudante quoque et susci- „ piente Aduocato *Eckbardo de Scbyren*; ita saltem Conradus rem „ narrat.

At duae chartae tunc fuerunt conscriptae. Alterius [a] sententia est conuenisse inter *Meginwardum Episcopum et Comitissam quandam nomine Hazacbam de Skiran commutationem quandam facere quam et perfecerunt. Tradidit* enim praefata Comitissa cum consensu et manu FILIORVM SVORVM EKKAHARDI ET PERANHARDI in manum COM. OTTONIS praedia sua apud Chitanreinishowa et apud Arnoltisowa et apud Wenga *ad alt.* S. Mariae collaudante Episcopo et *accipiente Aduocato* suo Ottone.

E contra Pontifex cum manu eiusdem Aduocati sui retradidit eidem Comitissae terminationem quam habuit Frisingensis apud Vischpachisowa infra Rotinpach etc. Testes nobiles Otto, Gotescalch etc.

Litterae quae sequuntur [b] apud Meichelbeckium de Decimis conscriptae sunt non de praediis ipsis de quibus actum iam fuerat collaudante *Ottone Aduocato.* De Decimis actum est ab Ha-

a) Instr. Frising. 1252. b) Ib. n. 1253.

zacha cum *manu filiorum suorum Bernhardi et Othonis Comitum* collaudante et *suscipiente Aduocato Eckhardo de Schyren.*

Constat igitur Hazigam et Hazacham unum idemque nomen fuisse, constat quoque Hazacham tres filios habuisse *Ekkihardum*, *Bernhardum* et *Othonem.*

Noua Ecclesia in Vischpachau condita fuit anno 1087. Hoc igitur anno supra pubertatem erant tres illi Hazachae filii, immo iam anno 1074. pubertatem egressi erant Ekkihardus qui Aduocatus tunc fuit in pacto Aquileiensi, et Otto, quippe qui, viuente adhuc Ellenhardo a. 1078. defuncto, Aduocatum egit in pacto quod Frisingensis et Salisburgensis Praesules inter se inierunt a. Anno itaque, qui tardissimus est 1054. vel circiter; nasci debuit Eckehardus.

Anno 1100. viuebat adhuc Comitissa Haziga quandoquidem hoc anno mutauit coenobium Vischpachauiense in Abbatiam. Addit Conradus Schyrensis consecrationem eiusdem Monasterii anno 1101. a *venerabili Conrado Salisburgensi Archiepiscopo* factam fuisse. At errat, si verum est Conradum Archiepiscopum electum non fuisse nisi anno 1106. ut docet Hundius et scripsit Biographus S. Gebehardi: b. falsum tamen non est quod sequitur apud Philosophum „*Postea non multo elapso tempore Erchimboldum Abbatem egisse* „ *cum* COMITISSA HAZIGA *ut locum Vispach Romanae sedi traderet*, „ *hanc nuncium Romam misisse*, *Romanum priuilegium acquisiuisse*, *lo-* „ *cum Vispach in Romanam tuitionem tradidisse*, *et Beato Petro in* *pro-*

a) Hist. Fris. Tom I. P. I. p. 273.

b) Vita S. Gebeh. Canis. T. III. P. II. p. 441.

„ *proprietatem dedisse*, *actaque illa esse anno* 1103. *Pontificatus Domini Paschalis Papae anno IIII.* „ Si enim contuleris litteras huius Papae Vispachensi Monasterio collatas cum iis quas idem, anno proxime secuto, contulit Monasterio Vsenhouensi, deprehendes anno 1103. saltem ineunte, adhuc vixisse Hazigam: anno proxime secuto *bonae in Christo memoriae fuisse.*

§. II.

Annum itaque 1103. saltem attigit Comitissa Hazacha de Skiran, hacque de causa altius quam a. 1050. repetendos non esse puto natales Ekkihardi et fratrum eius. Scimus tamen viuente adhuc Meginwardo qui obiit anno 1098. aetatem legitimam iam attigisse filium Ekkehardi qui testis ita notatur in litteris Frisingensibus. a) *Testes autem sunt* OTTO FILIVS EKKEHARDI etc. Nepotem itaque iam grandem natu vidit Hazacha; hinc sequitur eam anno circiter 1045. nupsisse Ottoni qui tunc aut fere euasit Aduocatus Frisingensis; vixit vero adhuc anno 1060. cum discerperetur beneficium Ottonis filii Berchtoldi III. Comitis.

Agam alibi, ut iam pollicitus sum, de Hazachae maioribus et posteris. Historiam sacram Schyrensium, prosequi nunc expedit.

Si Conrado credimus „ obiit *Haziga Comitissa*, *obierunt Eckhardus et Bernhardus antequam Erchimboldus Abbas Vispachensis secum pertractaret locum Vispach Religioni Monasticae aptum non esse et in multis dispendium pati. Consilio igitur habito cum magni nominis principibus* OTTONE COMITE DE SCHYREN, *filio iam saepe dictae Hazigae et nobili Comite de Purgecke* PERICHTERO *mutationem loci auxi-*

a) 1259.

„ *lio et consilio eorum feliciter inchoauit et Vsenbouen iuxta Glanum trans-*
„ *ferre disposuit.*

Nunc vero utamur verbis ipsissimis quibus res narratur in diplomate Heinrici V. Imperatoris anno 1107. conscripto.

„ (Cognoscant omnes) quod in regno nostro regulare quod-
„ dam monasterium situm est, in prouincia *scilicet quae dicitur No-*
„ *rica, in Episcopatu Frisingensi in* PAGO VGESHOWE IVXTA FLVVIVM
„ *qui dicitur* GLANA in COMITATV VSEN, quod VSENHOVEN anti-
„ quitus *modo* autem Monasterium S. Petri nuncupatur. . . . rei
„ gestae seriem perstringimus et qualiter vel a quibus Monasterii
„ huius structura primitus coeperit . . tradimus.

„ Magni *nominis duo Comites* OTHO videlicet unus et ALTER
„ PERICHTOLDVS NOMINE PRAEFATI *Monasterii locum* COMMVNEM
„ INTER SE A PARENTIBVS, uti pluribus patuit, EATENVS HABVERE
„ ut *constructo eodem inibi Monasterio,* A COMITE *scilicet* PERICHTOL-
„ DO partium termini utrorumque infra murorum ambitum clau-
„ derentur, et altare quoddam in Orientali theca positum, iti-
„ dem et in honorem B. Petri consecratum PARTI OTHONIS ce-
„ deret. Aliud vero ex aduerso occidentalis plagae constitutum
„ altare in parte ALTERIVS COMITIS locatum appareret.

„ Sed ut paululum istic a directo narrationis tramite diuer-
„ tamus, saepe iam dicti OTHONIS COMITIS parens piae mem.
„ HAZIGA COMITISSA cum reliquis duobus filiis suis *Comitibus*
„ PERINHARDO scilicet et ECKAHARDO supra reliquias B. Mar-
„ tini Praesulis et aliorum item Sanctorum, quas undecum-
„ que collegerat, *bona vel praedia longe seu prope posita sub*
„ *chiro-*

„ *chirographo et multis coram testibus donarat. Post aliquod autem de-*
„ *cidentis temporis spatium supra memoratus iam saepenumero* Comes
„ Otto matre sva *et* fratribvs *feliciter ex mundi huius naufragio*
„ *translatis ante iam dictas S. Martini reliquias clausit cum praediis man-*
„ *cipiisve ad eas pertinentibus in dedicatione templi sub sigillo altaris quod*
„ *locatum iam diximus in* parte Perichtoldi Comitis *et locum ad se*
„ *illic pertinentem cum aliquibus agrorum et siluae adiacentis iugeribus*
„ *super eiusdem sanctuarii reliquias in proprietatem tradidit.*

„ Exinde Comes Perichtoldvs iam nihil moratus praeci-
„ puam praediorum suorum partem, mancipiorum, censuum,
„ pecuniarum seu quarumcumque rerum ex toto super altare idem
„ S. Martini delegauit contradidit Domino Deo, S. Mariae, S.
„ Petro Apostolo, S. Benedicto in proprietatem et praedicti Mon.
„ Abbati tunc temporis Erchemboldo...

Rogant etiam praedicti Comites per nos *concedi* praedictae
„ cellae aduocatum *unum ex ipsis* Othonem scilicet Comitem, nunc,
„ et post eum Seniorem duntaxat filivm Othonem... coete-
„ rum nec ipsis nec aliis Aduocatiam loci liceat quasi haeredita-
„ riam vindicare. „

Summa sententiae est pagum Vgeshoue seu potius Vsgowe vel Vskowe, ut rectius dicitur in alio Heinrici diplomate, haereditarium in familia Perchtoldi et Ottonis, eosque a *parentibus communibus* recepisse communem locum Vsenhouen in Comitatu *Vsen* situm ibique templum condidisse ita *ut pars altera ad Perchtoldum* qui eam S. Petro dicauit, *altera ad Ottonem* qui eo transtulit

reliquias et cultum S. Martini Vispacensis pertinerent. Alter in alterius altari condidit indicia largitionis suae, ut alter alterius fideiussor esset. Aduocatus datus est OTTO fundator et FILIVS HAZIGAE et post eum *filius eius Otto.*

Cum vero reliquiae S. Martini in hanc nouam Ecclesiam translatae essent, eo quoque translatae sunt largitiones ab Haziga et filiis factae, ideoque eas recenset Heinricus Imperator his verbis:

„ Praedia autem vel villae a quibuscumque praedictorum hic „ traditae sunt. Haziga primitus haec: *Hegelingam cum Decimis apud* „ *Willingam et allodiis quibusdam ad eandem Villam pertinentibus et cur-* „ *tiferum I. apud Amindorf, et Chochprunnan et Hugenraen, Howe,* „ *Liuzenabesen, Grauingan cum pertinentiis quibuscumque suis et prae-* „ *dium suum in Cylarestale et mansum unum apud Trunnes, Fridendorf,* „ *item et Enbensdorff iuxta fluuium Regan; apud Swianta octo mansos.* „ *Haec itaque adbibita manu* TRIVM FILIORVM ECKEHARDI, BERIN- „ HARDI *et* OTHONIS ... *et cum quadam item apud Pausanum vinea.*

„ *Berinhardus vero Comes haec:*

„ *Willingan duos curtiferos et Gotingan item unum ... Hegelin-* „ *gan unum mansum, apud Hutthusen curtiferum* I. *Mosaba item* I. *Velt-* „ *mochingen duos, vineas insuper suas apud Pauzanum, et omnia quae* „ *illi in partitione obuenerant in Orientali parte fluminis Ambare. Prae-* „ *dium item suum apud Husen et Mittelinsteten, et Wehtringen et Otin-* „ *gan, et Wenge, Harda, et vineas duas apud Saliginbere et Hertes-* „ *husen cum curtifero uno Brule.*

Otho Comes haec:

Ho-

Hochenbrunnen, Vberſe curtiferum 1. et duos manſos.

„ Perichtoldvs *vero* Comes haec;

„ *Hollzchirchan* 2 curtiferos et Baſilicam ibidem Perga *Eccle-*
„ *ſiam* cum Decimis et *Lamprechtshuſen* unum curtiferum, Etels-
„ huſen item Eccleſiam cum Decimis et curtiferum 1. Wahelen-
„ houen unum curtiferum. Simechenhuſen 4. manſos, Waltge-
„ reshouen Eccleſiam cum decimis et curtiferum unum, Ehin-
„ gan Eccl. (item) et Trugenſteten, Buſenhuſen 1. curtiferum,
„ Affoltrach et Woluotesperc cum manſis etc.

Prolixior eſſem ſi minutatim indicare vellem ubi et quo nomine unaquaeque illarum villarum hodie nota ſit. Id unum annotauiſſe ſatis eſt Hazigam multa in tractu Viſpachauienſi, non pauca in Nortgouia ad Reganum flumen, ne unum quidem agellum in pago Hoſiorum et tractu Schyrenſi dediſſe, Berinhardum filium eius multa circa Vischpachauiam, plura in pago Hoſiorum largitum fuiſſe; Othonem perparce dediſſe et nihil quod Schyrenſi caſtro vicinum eſſet. Perichtoldi vero largitionem, quae tota fere pago Hoſiorum continetur, complexam eſſe loca quaedam in Montanis ſita, nempe *Aſſoltbach in Montanis*, ut ait Conradus, *videlicet in Luichenthal.*

§. III.

Hic Schyrenſis ſcriptor ob oculos habuit litteras quibus Perchtoldus et Otto fundationem Vſenhouenſem firmarunt. Recenſet enim nomina teſtium qui in diplomate Heinrici deſiderantur.

Primis teſtis fuit *Otho Comes de Schyren*, ſubſecuti ſunt:

Ar-

ARNOLDVS COMES et filius eius *Conradus* DE SCHYREN.

OTHO et VDALRICVS fratres *de Schyren* (Iam itaque viuebant anno 1107. quatuor illi principes et praeter hos) OTTO Comes filius Hazigae unicus superstes et PERICHTOLDVS Comes.

§. IV.

Obiit anno 1111. Erchinboldus Abbas et successorem habuit Brunonem, qui postquam 8. annis praefuisset Monasterio in Vsenhouen, obtinuit ut tota congregatio Abbatiaque Schyram transferrentur. Contigit igitur haec translatio anno 1119. Annum 1124. mauult Conradus, quia nempe hoc anno scriptum fuit diploma quo Heinricus V. Imp. mutationem eam ratam habuit.

Cesserunt tunc haereditate sua quotquot Comites partem in Schyrensi castro habebant, „ videlicet Comitissa *Beatrix* et FILII „ EIVS COMITES CONRADVS et OTHO de DACHOWE nec NON PALATINVS COMES OTHO et PATRVELES SVI OTTHO, BERNARDVS, et „ ECKHARDVS et alii quinque Comites„ addit Conradus.

Ita vero Calixtus Papa ad Brunonem Abbatem anno 1123. postquam inciderat mentio de translatione in Schirum. „ Qui nimirum locus, inquiebat, ab OTHONE PALATINO COMITE, con„ sentiente EGREGIA FOEMINA PETRISSA COMITISSA et aliis quinque „ Comitibus... oblatus „

„ Igitur statuimus ut quaecumque praedia *nobilis memoriae* „ HAZACHA cum FILIIS SVIS *Eckahardo*, BERNARDO, OTHONE *Co*„ *mitibus seu etiam illustris recordationis* Comes PERICHTOLDVS, Comes

„ mes etiam CONRADVS et frater eius OTHO, et FRATRES OTHO,
„ BERNARDVS et ECKAHARDVS *aliique fideles... obtulisse noscuntur etc.*

Hic frustra quaeras alios quinque Comites praeter eos quos nominatim recensuit Conradus. Sed erroris fontem palam facit priuilegium Eugenii Papae, quod male secutus est scriptor Schyrensis.

Confirmat Eugenius „ quicquid OTHO PALATINVS COMES
„ eiusdem loci fundator, consentiente nobili *foemina Petrissa* Co-
„ mitissa et ALIIS QVINQVE COMITIBVS, et quicquid *Haziga cum*
„ FILIIS SVIS Eckhardo, Bernardo et Othone Comitibus, seu etiam
„ *illustris recordationis Comes* PERTVLFVS, *Comes* etiam CONRADVS
„ et frater EIVS OTHO, BERNHARDVS et HENICHARDVS, *aliique fi-*
„ *deles Christi obtulisse noscuntur.* „

Manifestum est hoc priuilegium ad normam Calixtini emendandum esse *et quinque illos Comites alios, quibus consentientibus fundatio in Schyra* facta fuerat, eosdem esse qui postea nominantur. Comitem nempe *Conradum* et *fratrem eius Othonem*, OTHONEM iterum cuius nomen excidit et fratres eius BERNARDVM et EKAHARDVM.

Idem docet Heinricus Caesar in alio diplomate quod iam laudauimus.

„ In regno nostro, inquit, quidam magni nominis Comites
„ PERICHTOLDVS et OTHO cum CONIVGE SVA HAZAGA, et *filiis suis*
„ ECKEHARDO et BERNARDO quoddam monasterium... in pago
„ *Ouskobowe*, iuxta *fluuium Glana* in *Comitatu Vsen*, quod Vsenho-
„ uen dicitur fundauerunt.

Hic dicere videtur, immo aperte dicit Heinricus Othonem Comitem Perichtoldi focium in fundando Vfenhouenfi Monafterio eumdem effe cuius uxor fuit Hazacha, ideoque inter eius filios omittit Othonem. Subiungit Heinricus,

„ *Tranfacto autem tempore ... praedictorum virorum* NEPOTES, videlicet *Comitiffa* BEATRIX ET FILII *eius Comites* CONRADVS *et* OTTO DE DACHAV, *nec non Palatinus Comes* OTHO *et patrueles fui* OTHO, BERNARDVS, ECKEHARDVS praedictum *coenobium Schiren transferri fecerunt* „

Addit denique Imperator:

„ *Aduocatiam eiusdem coenobii* nemo nifi DOMINVS OTHO PALATINVS Comes et FILII EIVS SVCCESSORESQVE FILIORVM *eorumdem absque omni contradictione habeant.* „ Morem gefferunt huic Diplomati Schyrenfes. Anno enim 1129. ut fcimus ex litteris Hermanni Epifcopi, [a] Abbas et fratres Hobam in Solzimos dederunt per manum PALATINI COMITIS OTHONIS. Fuit quoque anno 1142. Aduocatus Abbatis et fratrum OTTO PALATINVS COMES. [b] Haud fecus anno 1144. [c] Ita et ante annum 1209. [d] Aduocatus fuerat OTTO *tunc Palatinus* Comes de VITELINSPACH, ut difcimus ex litteris in quibus Dux Bauariae (Ludouicus) *dicitur Aduocatus* et fundator faepe dicti coenobii. Hic Ludowicus in quadam traditione Schyrenfi dicitur FILIVS Ottonis pronepotis HAZIGAE [e].

Illa vero funt fere omnia quae nobis fubminiftrant monumenta Schyrenfia. Supereft ut hanc fupellectilem expendamus, ex eaque eliciamus quicquid certiffimum effe poteft.

CAPVT

a) ap. Conrad. p. 76.
b) Hund. T. III. p. 216.
c) ib. p. 217.
d) p. 218. et 219.
e) ib. p. 221.

CAPVT TERTIVM

SYNOPSIS.

De familia Bertboldi de Purgeck. Probatur ipſum Schyrenſem fuiſſe, filium Bertholdi alterius qui natus eſt Friderico I. Schirenſi. Origines gentis Lechsgemundanae et Greisbacenſis adſtruuntur.

§. I.

Sepoſitis in praeſens aliis principibus viris, prima mihi cura erit de *Berchtoldo*, *Berichtero*, Peroaldo, vel *Perichtoldo*, magni nominis Comite, qui ſocius Ottonis fuit in condenda Abbatia Vſenhouenſi.

Conradus Philoſophus cognominat eum a Ciuitate PVRGECKA, quae hodieque exſtat et BVRCKHEIM dicitur, ſita haud longe a Danubio ubi cum Lyco confluit. Addit Conradus hanc ciuitatem et villam PERGAM, quae iuxta *erat*, *in Bauaria ſitas*, exceptas fuiſſe a largitione qua *Perichtoldus* nouam *Abbatiam* ditauit. Scimus tamen quod Villam quandam *Pergam* quae RVRIS dicta eſt *in Dioeceſi Auguſtana* Comes *Pertholdus de Purgeck* itidem contulit Vſenhouenſibus [a]. De alia itaque PERGA ſcripſit Conradus.

Berchtoldum ex domo, quae Schyrenſis poſtmodum audiit, oriundum fuiſſe conſtat 1. ex poſſeſſionibus quas cum Ottone communes habuit, quasque ambo a PARENTIBVS acce- pe-

U 2

a) Priuil. Schyrens. p. 72.

perunt: 2. ex parte, quam habuisse videntur nepotes Bertholdi in castro Schyrensi, 3. ex societate cum Ottone inita ut fundarent coenobium Vsenhouen. 4. ex ipso quoque nomine. Addunt recentiores 5. ex testimonio *diserto Heinrici IV. Imperatoris*, quod tamen non aliunde eruerunt quam ex diplomate Heinrici V. quo docemur communes fuisse parentes *Otboni* et *Berchtoldo*. Et sane hoc testimonium instar omnium est.

Operam itaque nauassent eximiam ii qui arrepta hac ansa illustrandam sumsissent gentem vel maxime ignotam. Verum enim vero aut non dictum est hucusque aut leuiuscule dictum, scilicet ubi Perchtoldus de Burgeck ditiones suas habuerit, qui filii, qui haeredes, qui maiores tanti et tam opportuni viri fuerint.

Auentinus non dubitat eum *Lechmondi*, seu Lycostomatis Regulum nuncupare et ex Schyra oriundum pronunciare, ubi scribit de fundatione Abbatiae Eysenhouensis, ut hic locus postea dictus fuit, abolita Husiorum memoria [a].

Hundius [b]. Auentinum secutus est, et Mathaeum Marescallum qui agnoscit Lechsmundanos oriundos fuisse a *Schyrensibus*; collegit praeterea nonnullos viros tam ex ludorum militarium libris, quam ex templorum aerariis, eosque in huius familiae album retulit, sed, ne Auentino doctior videretur, seriem Lechsmundanorum exorsus est a *Berchtoldo* nostro, eiusque autorem fuisse ait *Babonem* illum de *Abensberg*, quem Adamum, Deucalionemue Boicum libenter nuncupares.

Qui vero Auentinum Hundiumque nunc quoque sequi gestiunt, non satis perpenderunt hoc ipso aeuo vixisse Heinricum quen-

a) Annal. Boior. Lib VI. p. m. 614. b) Stammb. P. 1. p. 192.

quendam de Lechsgemunde, quem Biographus Chunradi Salisburgensis Archiepiscopi, autor fere coaeuus, nepotem fuisse ait huius Praesulis *ex* MATERTERA EIVS. At vero auum certo certius habuit Pabonem Abensbergensem Chonradus. Quod si ergo Lechsgemundanorum genus ad Babonem referri debet, maternum tantummodo ad ipsum referendum esse clarissime probat Biographus noster.

Sed alium quoque nouimus Henricum Lechsmundanum qui, furente bello Saxonico, in proelio ad Methelricheftad oppetiit anno 1078. diciturque Heinricus de Lechesmundi [a].

Henricus hic, quem Primum dicimus, pater fuit Henrici II. ex matertera Chunradi Archiepiscopi. Haec, ut pridem dictum est, patrem habuit *Heinricum* Ratisbonensem Praefectum.

§. II.

Scimus ergo eodem prorsus, quo Berchtoldus de Burgecka vixit, aeuo floruisse Comitem de Lechsgemunde qui Heinricus dicebatur. Falsum est itaque hunc Berchtoldum Comitem fuisse de Lechsgemunde, falsum satorem fuisse Lechsgemundanae gentis.

Fabulae ansam dederunt, quae vix arripienda non erat litterae [b]. quae supersunt de Monasterio Schoenfeldensi.

Dicunt illae BERHTOLDVM a *Greifspach* (seu Greispach) huius nominis II. cum uxore Adelheide BVRCHAIMII siue *Burgeckae* monasterium D. GEORGIO dicasse, cumque locus haud esset op-

U 3 por-

a) Annal. Saxo. ad. h. a.

b) Hund. Metrop. Salisb. T. III. p. 224. et seqq.

portunus, consentiente BERCHTOLDO *translatum coenobium fuisse in locum* SCHOENFELD, *haud longe ab* OSTIIS *Lyci* AMNIS, anno vero 1241. id contigisse. Et reuera hac de re exstant *Litterae Sibottonis* Episcopi *Augustensis* hoc *anno datae*, quibus *Sibotto* ait inclinatum se *fuisse ut licentiam daret piis desideriis* ILLVSTRIS DOMINI „ CHONRADI *Romanorum Regis* nec *non et fidelium fundatorum* NO- „ BILIS COMITIS BERCHTOLDI *de* GREISELBACH AC VXORIS SVAE „ DOMINAE ADELHEIDIS. Addit *translationem reipsa factam a loco* „ BVRCKHAM *in campum speciosum Schönfeld. Confirmat insuper quam-* „ *dam commutationem, quam fecerant virgines, dato loco quem habe-* „ *bant in Lechsgemunde.*

Anno proxime secuto BERCHTOLDVS Dei *gratia Comes de* LECHSGMVNDEN *quoddam priuilegium indulsit* virginibus in Schonfelt litteris datis *apud Graispach.*

Sibotto vero Episcopus cum anno 1246. alias litteras scribi iuberet de hospitalibus in Murnac et *Burckham*, dixit id se fecisse AD PERSVASIONEM DOMINI COMITIS BERCHTOLDI DE LECHSGEMVNDE.

Certissimum itaque est coaluisse in unius viri ditionem castra Lechsgemundam, Greispachium et Purgeckam, ita ut non sine veri quadam similitudine dixerint recentiores Berchtoldum de Purgecka Comitem Lechsgemundanum fuisse.

Aut igitur unus e posteris Bertholdi Burgeccensis aut saltem unus ex haeredibus eius fuit *Berchtoldus* fundator Schoenfeldensis. Dico unum EX HAEREDIBVS FVISSE, plures enim habuit ut statim dicemus.

§. III.

§. III.

In excerptis Schyrensibus a. leguntur litterae quibus „ *Co-*
„ *mes* PERICHTOLD DE SCAWENBERCH, QVAE EST SITA APVD
„ RHENVM *in Germania*, COGNATVS ILLIVS PERCHTOLD DE PVR-
„ GEKHE FVNDATORIS *coenobii Vſenhouenſis, acceptis triginta talentis*
„ *ab Abbate Baldemaro tradidit ſuper altare S. Mariae praedium cum*
„ *hominibus quod habebat in Alpibus in Affalterpach*, „ *quae villa ſita eſt*
„ *in Luichenthal. Teſtes fuerunt ipſe* PERCHTOLD COMES, *Conra-*
„ *dus quidam liber de Michiluelt apud Rhenum*, *Gerungus de Perge.* „

Baldemarus Abbatiam adeptus eſt anno 1171. obiit anno 1203. Hoc igitur temporis ſpatio vixit Berchtoldus Comes de Scauenbergh.

Meminiſti vero Perichtoldum de Purgecka dediſſe coenobio Vſenhouenſi AFFOLTBACH *in montanis* videlicet in LVICHENTHAL, aut igitur non dedit totum praedium quod illic habuit, et pars contigit haeredibus eius e quibus unus fuit Perchtoldus Comes de Scauenberch, aut illic cohaeredem habuit cuius hic haeres fuit.

Notemus quoque gloſſam eſſe, ut dicunt, a Monacho Schyrenſi additam quod *legiſti Schauenberch ſitam fuiſſe in Germania ad* RHENVM; id tamen non negabo abrupte; ſed contendo aut hunc Berchtoldum Comitem fuiſſe de Schauenberg ultra OENVM haud longe a Danubio; aut ex hac familia ortos fuiſſe Comites qui utrumque *Schauenberg* alterum ad *Rhenum*, alterum *trans Oenum* poſſederunt; ita ut originem communem habuerint, et utrique conſanguinei fuerint Berchtoldi de Purgecka. male notat auctor

§. IV.

a) Hund. Metrop. Salisb. T. III. p. 222.

§. IV.

Eodem fere tempore quo Perchtoldus de Scauenberch vixit *Gerardus Comes* de *Schawenburg* [a]. qui se dixit esse haeredem Ecclesiarum *Ettelshusen* et *Holtzkirchen*, easque hac de causa contulit *Walthero Clerico de Nucenbusen.*

Intercessit Baldemarus Abbas. At Waltherus Papam Coelestinum adiit et impetrauit ab eo litteras commissionis „ *tacita* „ *veritate*, illa scilicet quod eaedem Ecclesiae tunc temporis quan„ do ipse *a praedicto Comite*, non patrono, *eas accepisse* se dixit, ha„ buerint POSSESSORES SCHYRENSES *qui eas possederant a 40. annis* „ *et supra*, *iusto titulo donationis a vero Patrono* COMITE PERCHTOL„ DO *de Purgeck.* „

Impetrata itaque commissione, Iudices quoque apud Spiram impetrauit, qui timentes offensam praedicti Comitis, vel quacunque de causa, iustitiam Abbatis audire noluerunt; iudicium tandem latum anno 1198. ab Abbate de Wihenstephen, postquam a Baldemaro probata fuisset possessio 40. annorum.

Sequitur ex hac lite, id enim Abbas nunquam negauit, Gerardum Comitem de Scauenberg, ut et Berchtoldum iure sanguinis haeredem fuisse Perchtoldi *de Purgecka.*

At aliunde scimus ex diplomate [b]. nempe Eichstettensi anni 1156. Gerardum illum Comitem fuisse *Eystettensem*, quin et anno 1186. vixit Gerardus quidam Comes de Tollenstein ita dictus a castro quod urbi Eichstettensi imminebat. [c].

Notum

a) Priuil. Schyr. p. 71. et 399.
b) Codex Eychstet. n. 19.
c) Ibid. n. 27.

Notum est eumdem Comitem plura saepius cognomina a pluribus castris gessisse; nemo igitur nobis succensebit, si, ratione habita temporis et nominis, dixerimus Gerardum de Tollenstein eumdem esse qui semel dictus fuit a Schawenberg: Gerardum vero Eystettensem Comitem qui vixit anno 1156. eumdem esse qui anno 1157. dictus est *Comes Gerhardus de Berchtaim*, seu potius de Burchaim, in diplomate Friderici Imperatoris Tegernseensibus concesso. [a] At praeter temporis rationem alia quoque de causa id dicimus, quae inferius explicabitur.

§. V.

Vidimus castra et oppida Burgeckam vel Burcheim et Greiffbach coniuncta fuisse in patrimonio unius eiusdemque Comitis, qui haeres erat Bertholdi nostri de Burgeck.

Nihil itaque temere faciemus si dixerimus Perchtoldum de Purgecka Comitem quoque de Greiffpach fuisse aut saltem sanguine coniunctum cum iis qui hoc castrum possederunt. Verum enim vero ex diplomate Henrici III. Imperatoris [b] scimus anno 1057. Heinricum dedisse *Episcopo Eichstettensi* 12 *mansos* cum 24 mancipiis *in villa* BERG dicta in pago MILARSHOVEN IN COMITATV BERTHOLDI COMITIS.

Idem Comes anno 1065. [c] *Bertholdum Dei gratia Comitem de Greisbach* sese nuncupat et concepta formula agnoscit tenere se ab ecclesia Eichstettensi, ut a suis progenitoribus et ministerialibus pro certo didicerat, feuda videlicet *mediam partem castri in* GREISBACH, *item vicos dictos* HOLTZHAVSEN, *item ius patronatus in*

a) Diplomat. Tigur. Oefel. T. II. p. 82. c) Ibid. n. 15.
b) Codex Eichstet. n. 13.

Moersheim, *item in Lechsmund duas vineas*, *item in Altheim ius fori et theloneum*, item decimas etc. item *Aduocatiam.* Item apud Eichstett 8. areas, item ibidem de telonio 2 liberas denariorum, praeterea alia plura feoda, quae per ignorantiam in praesenti scripto designare nequimus, saluo tamen iure Eystetensis Ecclesiae et nostro quaecumque nobis melius ad cognitionem venerint ea nominatim plenius exprimemus.

His omnibus rite perpensis affirmare nullus dubito, quod ante me iam suspicatus est Lector, Bertholdum de Burgeck filium fuisse Bertholdi de Greisbach anno 1065. celebris, Bertholdum hunc de Greisbach, aut eundem esse cuius filius a. 1060. dictus est *Otto* Aduocatus Frisingensis, aut, quod magis placet, filium Bertholdi illius, fratremque Ottonis fuisse et hoc ipso anno 1065. rerum potitum quo feoda sua Eistettensia agnouit. Vxorem Bertholdo huic Willitruden infra lib. XII. Cap. 8. tribuemus.


Superest ut addamus Bertholdum Ottonis patrem eundem esse qui a. 1025. dictus est filius Friderici Comitis et videbimur nobis assecuti fatorem familiae Greisbacensis, Burgeckanae, et Lechsmundanae.

Iam ad Gerhardos nostros Tollensteinenses et Eichstettenses properamus, nonnulla de Faleyensibus Comitibus praemissuri.



CA-





CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS.

In originem Comitum de Faleya inquiritur. Exploditur ſententia hactenus recepta, qua ex ramo Dachauienſi prodiiſſe dicuntur. Probatur ipſos a GRVBE *caſtro primitus cognominatos, Neuburgenſis familiae proceres fuiſſe. Praeparatur dilucidatio originis ipſorum a Schirenſibus.*

§. I.

Ab Ottone de Dachau, qui filius fuit Beatricis Comitiſſae et Arnoldi Dachauienſis, et cum matre coniunctus anno 1124. legitur, repetunt recentiores originem Comitum *de Faleya* ſeu Valeie, ut eos nuncupat Conradus Philoſophus, adiiciens eos primum nomen habuiſſe *Comitum de Gruebe* qui locus ſitus eſt ſupra ripam fluminis Monfall, paulo infra arcem quae hodie communiter Ahamſtein audit, haud longe a Faleya.

Affirmat praeterea Conradus eos partem habuiſſe caſtri Schyrenſis, *et haereditate loci ob amorem Dei* ceſſiſſe. Cum ergo Ottonem quendam conſentiente matre Beatrice inter fundatores Schyrenſes repererint Hundius Auentinus aliique, ſatis ipſis id fuit ut Valeyenſes ab Ottone Beatricis filio deriuarent.

Arnoldus, inquiunt a) de Dachau filium habuit Ottonem. Eodem tempore vixit Otto fundator coenobii Bernriedenſis ad

 ſtag-

a) Hund. Metrop. Tom. II. p. 101.

ſtagnum Wirmſee, cuiusque uxor Adelhaidis vocatur in Bulla Calixtina de anno 1122. At vero in monumentis Bernriedenſibus legitur a. 1211. Ottonem Comitem de Valey dediſſe coenobio liberam poteſtatem eligendi Aduocatum in villa Malchingen, alioque priuilegio indulſiſſe „ ut omnes qui in Eccleſia Bernried „ contrahunt matrimonia perpetuo iure eidem cum omni poſteri„ tate ſua inſeruirent „ Recte inde conficiunt Valeyenſes Comites haeredes fuiſſe Ottonis fundatoris.

Atqui, pergunt noſtri, Otto fundator Bernriedenſis eodem vixit tempore quo viuere debuit filius Arnoldi Dachauienſis. Quid pronius inde fluit quam Ottonem Dachauienſem primum fuiſſe Faleyae Comitem?

Specioſa hercle haec ſunt omnia. Sed urgent me Comites de *Gruebe*. Valeyenſes dicti ſunt Comites de Gruebe antequam de Faleya nuncupari coepiſſent. Ergo maiores Ottonis de Faleya qui Bernriedum fundauit Gruebenſes dicti ſunt non Dachauienſes. Adde ſis Ottonem de Dachau adhuc anno 1124. ſub tutela matris Beatricis vixiſſe, Ottonem Bernriedenſem autem iam anno 1122. ſuarum rerum potentem, maritumque fuiſſe Adelhaydis, quae ſuum locum in diplomatibus Bernriedenſibus egregie tuetur nulla Beatricis facta mentione. Et credin Conradum Philoſophum, qui et Gruebenſes nobis ſiſtit et Dachauienſes ita ignarum aut incurioſum fuiſſe, ut nihil de neceſſitudine inter utroſque intercedente memoriae prodiderit, ſi Otto de Faleya frater fuiſſet Conradi Dachauienſis.

Sed rem omnem expediunt litterae Dietramscellenſes a. anno 1102. datae, in quibus teſtis legitur *Otto de Gruobe*. Quin et

a) Hund. T. II. p. 171.

et in pacto inter Henricum Frisingensem Episcopum et Aribonem Tegernseensem Abbatem de decimis apud Gmundum, Weheringen, et Munchen inito, inter *testes Nobiles* primus nuncupatur *Otto de Grueba.* a. facile mihi concedet Lector anno 1102. vix dum aura frui coepisse Ottonem Dachauiensem, tantum abest ut testimonium praebere potuerit. Antiquiores ergo sunt ipso Grubenses Comites, sicque in ruinas corruit systema quod Hundius aliique tenuerunt.

Caeterum Ottonem de Gruba anno 1102. celebrem eundem omnino fuisse reputo cum Ottone fundatore Bernriedensi; eiusque filios Conradum atque Gerhardum primos omnium a Faleya cognominatos esse coniicere est inde quod ipsos in castro *Faleya* obsedit Leopoldus Austriacus, cum soli ex Noricis Baronibus in parte Ducis Henrici starent. b. Probat autem coniecturam charta donationis a Friderico Palatino Comite a. 1156. factae, cuius testis fuit *Conradus Comes Valeyae.*

§. II.

Memorauimus modo pactum a. 1114. inter Frisingenses et Tegernseenses initum. Aduocatus Tegernseensis tunc erat *Sigiboto* cui anno 1102. datus est collega Bernhardus quidam, cum Abbas Vdalscalcus fundaret Dietrami cellam. In litteris Henrici Frisingensis fundationem illam firmantibus dicitur fundationem factam fuisse cum *adstipulatione Bernhardi et Sigibtonis de Newenburg Aduocatorum monasterii Tegernseensis* c.

a) Diplomat. Tigur. ap Oefel. T. II. p. 81.

b) Otto Fris. VII. 25.

c) Meichelb. Hist. Fris. T. I. P. 1. p. 292.

Vterque igitur dictus fuit a castro Neuburg, uterque Aduocatus fuit Tegernseensis. Ne vero Bernhardus credatur deteriore iure Aduocatus fuisse quam quo fuit Sigiboto; (utpote qui solus nuncupatur inter testes litterarum quibus Dietramicellam muniuit Heinricus Episcopus, solus Aduocatus vocatur in pacto a. 1114.) Afferimus tibi alias litteras [a] ante annum 1098. scriptas, quibus BERENHARDVS ADVOCATVS S. MARIAE FRISINGENSIS mutauit famulos cum Perinhardo Aduocato S. Quirini Tegernseensis.

At quorsum illa? inquies. Hoc unum huc usque credas velim Bernhardum et Sigbotonem de Newenburg Aduocatos Tegernseenses, fratres fuisse, sicuti Aduocati Frisingenses tunc temporis simul fuerunt tres fratres, Hazachae filii. Suadent illud idem utrique cognomen, indiuise gesta Aduocatia; si minus fratres, consanguineos dicas necesse est: uterque enim a Neuburg cognominatus fuit.

Nunc vero audi scriptorem Historiae S. Quirini apud Oefelium meum, narrantem ab Vdalscalcho Abbate fundatam fuisse Dietrami cellam, conniuentibus tum Episcopo Frisingensi Heinrico I. tum matricularibus nostris, Aduocatis BERNHARDO DE GRVEB ET SYGYBOTONE COMITE DE NEVBVRG. Duplex igitur cognomen gessit Bernhardus ut alii Baioariae proceres de quibus aut egi aut breui agetur. Dictus est forte a *Neuburgo* quod illinc oriundus esset, ut et Sigiboto, dictus a *Gruebe* quia illic sedem fortunarum suarum fixit suamque arcem habuit. Nuncupatur in litteris Heinrici Episcopi, non vero inter testes comparet: obierat nempe

a) Instr. Fris. n. 1254.

pe ſtatim poſt fundationem ipſo conniuente factam et antequam confirmaretur: ideoque inter teſtes cenſetur OTTO DE GRVEBE quem filium pronuncio *Bernhardi de Grueba.*

§. III.

Quo validius probaui Gruebanos cum Neuburgenſibus coniunctos fuiſſe, eo magis forte dubitabis ipſos inter Schyrenſes referre. Verum enim vero Valeienſes qui olim Gruebani dicti ſunt partem habuerunt *Caſtri Schyrenſis.* Affirmat illud Conradus Philoſophus, cui addo ex traditionibus Eberspergenſibus a. argumentum validiſſimum. *Chuenradus de Valeie*, qui Ottonis et Ludouici Ducum coaetaneus fuit, vendidit praedium ſuum in Hornbach Abbati Burchardo de Eberſperg, „ *utque traditio conſummaretur Cuenradus ſe contulit cum* VXORE *et filio in Wernbersmute ſecus fluuium* MANICWALT; *ad maiorem vero cautelam dedit praedium* „ ODOLDESHVSEN *in manus Friderici Palatini Comitis*, ut ſi venditio alterius impugnaretur hoc obligatum Abbati 100. libris argenti foret.

Odoldeshuſa vero aut nunc eſt Oedelzhauſen haud longe Schrobenhuſa, aut Odltzhauſen nuncupatur ad Glanum fluuium haud longe ab Vſenhoua, qui ſitus uterque optime decet principem Schyrenſem, et indicat conſanguineum cohaeredemque Berchtoldi de Purgecka.

Sigibotonem quod attinet verum eſt Dominum illum fuiſſe caſtri Neuburg ad Oenum et praedia habuiſſe ultra Oenum eadem quae

a) Codex T. Eb. ap. Oefel. n. 215. 221.

quae anno 1078. Heinricus IV. in proprium dedit Sigibotoni quicquid nempe *beneficii habuit in pago Osterriche* in *Comitatu Luipoldi Marchionis.* a.

Verum est item Sigibotonem aut hunc ipsum aut filium eius Aduocatum fuisse Tegernseensem adeoque aut praedia aut saltem beneficia in eo tractu possedisse. Verum est quoque anno 1133. vixisse *Sigebothonem*, qui aut idem fuit cum Aduocato Tegernseensi, aut filius eius *Monasterium Weiarn fundauit* b. in SVO PRAEDIO, ita ut bona habuerit necesse sit illic omnino ubi habere debuit cohaeres Bernhardi de Gruebe, Valeiensium Comitum sator.


Hoc adepti scimus quisnam fuerit *Sigboto* ille de *Wiare* qui in charta Frisingensi c. et in excerpto Conradi Philosophi nuncupatur, vel SIGEBOTO COMES DE WIARE, qui primus testis est pacti ab Hazacha eiusque filiis de decimis ante annum 1098. initi. Nempe is ipse est Sibotho de Neuburg qui cum Bernardo de Gruebe Aduocatiam Tegernseensem gessit et a *Neuburg* quoque castro, cuius partem possidebat nuncupatus est, a *Wiare* vero siue *Weiarn* ideo forte maluit dici quod et notior ex hoc castro in eo tractu esset, et totum solus hoc praedium possideret: forte et scriptori litterarum haec nominis mutatio tribuenda est. Patrimonium itaque satis amplum in tractu quem alluit Mancwaltus possederunt Neuburgenses illi, quorum alii a Neuburgo et Weiarn, alii a Gruebe et Valeia cognominati sunt.

At monstro simile forte est Neuburgenses Comites a Schyrensibus originem duxisse. Monstro iterum simile eosdem cum Ger-

a) Oefel. T. I. Excerpt. Passau.
b) Hund. Metrop. T. III. p. 342.
c) Instr. Fris. 1253.

Gerardis Comitibus de Eychſtett et Tollnſtein, cum Greispacenſibus et Schauenbergenſibus vinculo neceſſitudinis coniunctos fuiſſe.

Caue tamen id neges Lector; praedia coniuncta habent cognomine tantum diuerſi Proceres in Alpibus et circa Tegernſeenſem Abbatiam; praedia coniuncta in pago Hoſiorum. Dubita itaque ſaltem et ſolutionem nodi exſpecta. Soluam, ut ſpero, non praecidam.



Tabula XXIII.

Arnulphi Ducis Posteri
Schirensibus ex latere iuncti.

Arnulphus Dux.

Arnulphus II. Comes Palatinus a. 953. occisus.

Bertholdus II. Comes ab Vngaris a. 955. occisus.

Arnulphus s. Arnold III. † circa 1010. Vx. Adelhayd.

Arnoldus IV. dictus Bellator circa 1025. v. Lib. XI.	Fridericus I. Comes a. 1025. - 1040. Vx. Kunegunda.

Otto I. † 1070. v. Lib. XII.	Bertholdus VI. de Greisbach † ante 1065.

Necrol. Admont. apud Pezium Script. T. II. p. 202. 13 Apr. Willibirk Comitissa de Greiffpach, monacha nostrae congreg.

Otto II. circa 1060. seq. † ante 1070. Vx. Tuota haeres Comitatus Neuburgensis.	Bertholdus VII. de Greisbach circa a. 1065. Vx. Willitrudis Palatina † 1080.

Agnes v. lib. XII. cap. 8.	Bertholdus VIII. de Burgeck fundator Vsenhofenamus. Vx. Iuta awaie.

Heinricus Comes de Lechsgemunde occisus a. 1078.	Ernestus de Cregelingen † circa 1100.	Sigeboto Comes de Neuburg et Weiarn Aduoc. Tegernseensis a. 1114.	Bernhardus de Gruebe a. 1102. adhuc celebris.
Heinricus Comes de Lechsgemund circa a. 1100.	Hartwicus de Kregelingen a. 1138. — Altmannus de Cregelingen † ante 1138.		Otto de Gruebe a. 1102. fundat Bernriedense coenobium a. 1122. Vx. Adelhayd.
Heinricus Comes de Lechsgemund circa a. 1140.	Gerhardus I. Comes Eistettensis et de Cregelingen Dnus in Tollenstein 1156. seqq.		Conradus I. Comes de Faleya a. 1156. — Gerhardus de Faleya.
	Gerhardus II. de Tollenstein a. 1183. Alio nomine vocatur Comes de Scauenburg.		

Reliqua recentiora dabit Hundius.

CAPVT



CAPVT QVINTVM

SYNOPSIS.

De familia Comitum Eichstettensium seu de Tollenstein, qui et de Cregelingen et Kirchberg. Probatur ipsos agnatos fuisse Comitum de Schauenberg et una cum ipsis haeredes Bertholdi de Burgeck qui Schirensis erat. A Schauenbergensibus descendunt Comites de Iulbach. De IVOTA *filia et haerede Comitis Heinrici de Farnbach et Neuburg. Probatur ipsam nupsisse Ottoni Schirensi principi, ex hocque connubio prodiisse Heinricum Lechsgemundanum, Ernestum de Cregelingen, Sigibotonem de Neuburg et Bernardum de Grube Faleyensium satorem, Ottonis vero fratrem fuisse Bertholdum de Greisbach, qui pater erat Bertholdi de Burgecke.*

§. I.

Gerardus I. Comes Eistettensis pater Gerardi de Tollenstein filius fuit *Hartwici Comitis de Cregilinga.* Haec ita probo. Fridericus Comes Aduocatus Ratisbonensis delegauit a. „ in manus *Hartwici Comitis de Cregilinga praedium in Timenhusen quod receperat a Diepolto Marchione cum filiam eius duceret. Idem praedium emerunt fratres S. Stephani in Frisinga, eiusque delegationem susceperunt hoc modo :* GERHARDVS COMES FILIVS PRAEFATI HARTWICI, PATRIS HAEREDITARIVS SVCCESSOR IN CIVITATE SVA TOLNSTAINE; *delegauit idem praedium in manus Wernheri de Gibestorf* delegandum per eum Ecclesiae S. Stephani, assidente ibi MATRE COMITIS

a) Hund. Metrop. Tom. III. p. 320.

„ *et testificante quia* PATRI EIVS *esset legitime delegatum.* Testes fue-
„ runt Eberhardus de Sunzen (et alii) *Ministeriales Gerhardi Co-*
„ *mitis.* „

Habes Gerhardum Comitem Eichstetensem qui castrum Tollenstein possedit, a quo tamen dictus fuisse non videtur, ut ab eo nec pater eius dictus est. Nuncupatus est hic Hartwicus Comes de Cregilinga. At hoc cognomen Hartwici abunde nobis indicat GERARDVM DE KREGELINGEN ILLVSTREM COMITEM, qui vixit intra annos 1158. et 1183. eumdem fuisse cum Gerardo I. Comite Eichstettensi.

Comparet Gerardus I. cum eo cognomine et encomio in litteris ex Weihenstephanensi Codice a Meichelbeckio a. excerptis quibus notum esse iubetur „ QVALITER ILLVSTRIS COMES GERHAR-
„ DVS DE KREGELINGEN *in celebratione Curiae Wirzeburch acceptis octo*
„ *talentis et garrada vini, et coniugi suae duabus aureis armillis, a Do-*
„ *mino Rapotone loci huius Abbate resignauerit in manus Adalperti* ve-
„ nerabilis Frisingensis Ecclesiae antistitis beneficium decimae quale habuit in praediis nostris (Weihenstephanensibus) ADLHERSHOVE et HOLARN.

Cauebo ne afferam Holam eumdem locum esse qui Alarum quamuis id maxime congrueret rationibus nostris: monebo duntaxat Palatinum Wittelspachium hoc aeuo in *Holarn* quoque beneficium habuisse.

Nonnihil praeterea obtinuimus cum ostendimus *Gerbardum* habuisse aliquid commune cum Frisingensibus, quod quidem de Creglingensibus eo certius asseuerare possumus quo disertior est char-

a) Instr. Fris. n. 1352.

ta [a]. qua *Otto II. Frisingensis Episcopus* soluit a Comite GEBHARDO de CHREGLING quoddam beneficium quod ipse iam longo tempore CVM SVA PROGENIE *possederat a Frisingensi Ecclesia*, *villam videlicet Hebign* sub castro *Otnburch et vineas apud Veltens. Dedit ergo pro eodem beneficio* 350. marcas argenti quod *resignauit et nemo de sua posteritate iure beneficii posset impetere.*

Hartwici fratrem nouimus ex litteris [b]. quibus Comes Hartwic praedium quod habuit apud *Perchouen* ad altare Sanctae Mariae pro anima fratris sui videlicet ALTMANNI COMITIS delegauit ante annum 1138. Perchouen tractum indicat qui nobis est commodissimus.

Nihil vero nostrae opinioni accommodatius reperire potuimus quam quod docet diploma [c]. Lotharii Imperatoris datum anno 1130. coenobium Vndenstorf situm fuisse *in Episcopatu Frisingensi* et in *Comitatu* HARTWICI *de* KREGELINGEN.

Idem cognomen gessit Altmann frater eius testibus litteris Frisingensibus [d]. quibus primus testis notatur de *nobilibus Altmann Comes de* CHREGELINGEN.

Patrem utriusque exhibet charta [e]. in qua cum Arnolto de Diezan et Schyrensibus aliis testis notatur ALTMANN *filius* ERNVSTI COMITIS ante annum 1098.

Alibi [f]. ERNVST Comiti statim postponitur ARNOLT de SKIREN eodem aeuo.

a) Ibid n. 1373.
b) Ibid. 1301.
c) Hund. T. III. p. 303.
d) Instr. Fris. 1279.
e) Ib. 1268.
f) Ib 1269.

Ernufti pater huc ufque latet. Memineris tamen Ernuftum ipfum patrem fuiffe iam ante annum 1098.

§. II.

Redeo ad Chregelingenfes recentiores, ut oftendam quam verum fit eos in pago Hofiorum et in vicinia Schyrenfium praedia fua habuiffe „ Quidam *Comes de Chregelingen duo beneficia quae* „ *iure ab Ecclefia* S. Mariae (Frifing) *poffederat*, *coram Ottone ve-* „ *nerabili eiusdem ecclefiae Praefule* (adeoque poft annum 1137. ante an. vero 1158.) „ *remifit hoc pacto ut in minifterium fratrum S.* „ *Stephani illa traderet: et loco eorum praedicti fratres duo viciffim* „ *alia praedia* COMITI *reftituerent. Reftituta vero a fratribus fita* „ *funt unum* MORSPACH *aliud* HOLTZHVSEN. *A Comite autem da-* „ *ta Curia una Guntzenhaufen et Hubae duae Madalhartzhouem fitae* „ *funt; inter quos ne poftmodum fieret ulla diffenfio fub teftimonio nobili-* „ *um teftium confirmatum eft praediorum utrorumque concambium.* „ GERHARDVS *Comes de* CHREGILIGGEN, *Conradus Comes de Dacho-* „ *we*, *Heinricus Comes de Wolfratesbufen.*

Incertum eft utrum Gerhardus teftis idem fit qui concambium fecit. Mallem tamen diuerfum fuiffe, et hoc pactum initum effe a GEBHARDO DE KREGLING qui tunc temporis vixit. Anno enim 1143. *Heinricus Epifcopus Ratisponenfis impetrauit* [a] *a* GEBHARDO COMITE DE KREGLING *quatenus Aduocatiam* (Monafterii Pruelenfis in fuburbio Ratisbonenfi) *quam idem Comes ab Epifcopo in beneficium habuerat*, *deinde commendatam certis modis haberet*, *ut de agris monafterii infra milliare unum nihil penfionis exigeret refignato omni iure placidationis infra ambitum monafterii etc.*

Ma-

a) Hund. Metrop T. III. p. 83.

Madalhartzhouen ubi GEBHARDVS vel Gerhardus praedium habuit aut nihil aut parum differt a Madalhartesdorff, qui locus in Abbatiam mutatus [a] fuerat paullo ante ab Heinrico et Ernesto Comitibus, ut aiunt, DE KIRCHBERG, hodieque Mallerstorf dicitur ad Laberam fluuium haud longe a Kirchberg.

Ne vero credas iterum me euagari docebo *Madalbartzdorf* aeque et *Madalbarzbouen* praedium fuisse *Tollensteniorum.* Hi enim diuersi non fuerunt a Kirchbergensibus Comitibus, quorum praecipua sedes, ut vides, aut in pago Hosiorum fuit aut admodum vicina.

Kirchbergenses et Tollenstenios unam eamdemque familiam fuisse probo ex litteris Friderici Ducis Sueuorum anno 1189. datis [b] quarum testes fuerunt *Hartmannus de* KIRCHBERC *et filius eius Gebbardus de Tollensteine.*

Madilhartisdorff Abbatia condita est anno 1109. [c] et a Lothario Imperatore confirmata anno 1129. Autor fundationis HEINRICVS COMES *vel* NOBILIS *de* KIRCHBERG; socius ERNESTVS FILIVS EIVS a SCHIRLING cognominatus, loco nobis peropportuno.

Primus Abbas Burchardus postulatus est ex conuentu Michelfeld. Agnoscis locum *Michilinfelt*, a quo nomen habuit unus e sociis Berchtoldi de Schauenberch.

Non dudum stabat Abbatia cum Abbas vendidit praedium *in loco Niuenbusen.* [d] Agnoscis iterum locum a quo dictus est Clericus

cus

a) n. 1312.

b) Hund. Met. T. III. p. 252. Orig. Guelph. L. VI. Prob. n. 143.

c) Hund. Met. T. II. p. 316. et sq.

d) Instr. Fris. n. 1312.

cus *Waltherus* cui Gerhardus de Schauenberch contulit Ecclesias quarum patronatum sibi contigisse contendebat ut haeredi Berchtoldi de Purgecka.

§. III.

Ad eamdem familiam referas oportet *Fridericum* qui de CENGILINGEN corrupte, reuera de CREGILINGEN *Comes* dicitur in litteris [a] quibus Altmannus Episcopus Tridentinus filius Comitis Vdalscalchi recepit a patre suo et matre Adelheit subunam et altare „ S. Lamberti in ius proprium ad diuinum seruitium clericis „ ibidem seruientibus secundum maiorum suorum constitutionem „ (restituendum). Huius rei testes fuerunt FRIDERICVS COMES DE „ CINGILINGEN ET FILIVS EIVS CHVNRAT, *Weregand Comes, Meginhardus et frater eius Fridericus.* „ Annus quo haec acta sunt nescitur. Coniectura est tamen circa annum 1100. acta fuisse.

Addidit praedium Comitissa Adelheit cum filio suo „ *Altmanno testibus Marchward et filio eius Gebehardo.*

Addidit et Altmannus sine matre sed iam Episcopus Tridentinus, „ *in Vichtinstein mansum unum, dimidium portum in loco qui dicitur Schardingin, in loco qui dicitur Halla dimidiae sartaginis locum. Carinthiae* „ *quicquid Adalbero Comes habuit in loco qui dicitur Malmantin quae omnia dedit, praefatus in* SVBVNA *corpora parentum suorum sepulta* „ *fuisse.*

„ Aliae sunt Altmanni litterae [b] quibus parentes suos con„ cambium fecisse *ait, tempore Gebebardi Archiepiscopi* (qui Salisburgi Praesul fuit ab anno 1061. usque ad annum 1091.) „ id confir-

a) Hund. Metr. T. III. p. 264. b) Ibid. 265.

„ firmauit Altmannus et nonnulla ſtatuit de eccleſia Malantina an-„ no 1126. *Huius rei teſtes fuerunt* SIGEBOTO COMES, Heinricus Comes Ratisbonenſis (ambo cognati et affines Altmanni ſi vera in mente habemus.)

Praedium Malentin dederat Eccleſiae Subenenſi Adalbero Comes filius Vdalscalci Comitis; donatio abſoluta eſt iuſſu Altmanni Epiſcopi.

Si detexerimus qui fuerint fundatores et Domini Subenenſis Eccleſiae ſciemus quoque qui fuerint maiores Altmanni.

§. IV.

Vt vero Lector excurſionis vagae et inutilis nos non damnet, meminerit FRIDERICVM DE CREGLINGA primum teſtem fuiſſe cum Altmannus a patre Vdalscalcho reciperet Eccleſiam Subenenſem ad Oenum modico interuallo a caſtro Neuburgenſi ſitam, quae teſtandi praerogatiua, praeſertim ubi Clerici res agitur, proximum aut conſanguineum aut cognatum et decet et nobis indicat.

Meminerit iterum Altmanno largitionem facienti primum teſtem adeſſe SIGEBOTONEM COMITEM DE NEVBVRG quem ad Shyrenſes retulimus, ratione vero cognominis neceſſe eſt ut referamus ad Subenenſes fundatores.

Meminerit denique Tollenſtenios et Schauenbergenſes aut haeredes aut cohaeredes fuiſſe *Berchtoldi de Purgecka*, Schyrenſis viri, et Lechsgemundanorum, qui et ipſi Schyrenſes fuiſſe dicuntur.

§. V.

Moneamus vero, posteros fundatorum Subenensium recentissimos, quos nouerimus, fuisse ipsos Comites de *Schauenbergk*. Horum unus Iohannes dictus anno 1423. confirmauit [a] Praeposito et Capitulo in Suben omnia iura quae ei contulerant *consanguinei sui*, PATER ET OMNES ANTECESSORES SVI COMITES DE SCHAWNBERG VT VERI FVNDATORES ILLIVS ECCLESIAE. Idem fere scripserant anno 1301. HEINRICVS SENIOR ET HEINRICVS ET WERNHARTVS COMITES DE SCHAWNBERG. [b]

Quo contigit modo ut Domini de Weiarn et Bernried quales fuerunt Neuburgo - Gruebani magna praedia nanciscerentur ad Oenum et ultra Strenberg in Austria, hoc contingere potuit et debuit ut Comites de Schawnberg, qui Berchtoldi haeredes fuerunt, castrum hoc ultra Oenum, praedia vero avita circa Bernriedam haberent.

Quin et haeredes Berchtoldi praedia habuerunt in ipsis Alpibus, ubi vestigia originis eorum deprehendisse mihi videor in castro *Scoynburg* quod postea *Schaunwurg* dictum fuit; nunc rudera sunt in monte prope Ottstadium, medio fere intervallo Buram inter et Etal, et haud longe a Schlechdorff ubi fere assurgunt montes Alpibus contigui. [c]

In hoc ipso tractu divites agri fuerunt Gruebani, nec hospites ibidem Schavenbergenses. Habemus sane anno 1161. [d] *Heinricum*

a) Hund. Metrop. T. III. p. 262.
b) Ibid. p. 259.
c) Meichelb. Hist. Frising. T. I. P. I. p. 312. et seq.
d) Instr. Fris. n. 1349. Chron. B. Bur. p. 93.

cum Comitem de Suwenburch vel Heinricum *de Schowenburch*, testem statim post *Ottonem Palatinum*, cum ageretur de beneficio quod Otto Palatinus Comes habebat in *Holaren*, ubi et Gerhardus de Kegelingen hoc ipso aevo beneficium habebat ab Abbate S. Stephani.

Iterum testis et judex *fuit Heinricus de Schowenburch* cum lis dirimeretur inter Burenses et Admontenses de praedio Elsindorf, quod in eo ipso tractu situm erat ubi ditiones suas habuerunt Kirchbergenses et Tollenstenii.

§. VI.

Credo omnino quod credidit Hundius [a] Comites de Iulbach eosdem fuisse cum Schavenbergicis quandoquidem duo fratres reperiuntur Eberhardus et Heinricus e quibus ille de Iulbach hic de Schaunberg Comites dicti sunt. Ex iis itaque fuerunt Bernhardus de Iulbach et Heinricus filius ejus qui anno 1146. testes laudantur in litteris quas Conradus Archiepiscopus Salisburgensis dedit coenobio Fornbacensi, quod ipsis domesticum fuit, ut breui dicam. At non haereo ubi haesit Hundius in litteris nempe Theodebaldi Episcopi Passauiensis anno 1173. datis, quarum testes sunt *Theodoricus Comes de Viechtenstain*, *Luipoldus Comes de Plaigen*; *Conradus Comes de Pilstein*, HEINRICVS DE IVLBACH CVM. DE SCHAVNBERG, asseroque legendum esse *Heinricus* de Iulbach *Comes de Schaunberg*.

Fuerunt olim viri nobiles qui dicebantur PVERI DE IVLBACH, si verum est, quod suspicatur Hundius, hos eosdem fuisse qui *Seligkind*, *felices pueri*, vocabantur, habemus iterum quod optare ma-

a) Stammb. P. I. p. 96.

maxime poteramus, *Kregelingenses Comites* cum Schauenburgensibus coniunctos.

Scilicet cum *Gerbardus illustris Comes* pacisceretur cum Rapotone Abbate S. Stephani tertius testis est Heinricus felix puer. [a] In transitu monebo vocem *Seligkind* fortassis reddi debuisse per *Salicos pueros*. Praemissis hisce inquiramus jam in autores Subenensis coenobii.

§. VII.

Hos indicant nobis litterae [b] Eberardi Archi Episcopi Salisburgensis A° 1153. exaratae „ *Piae memoriae Tridentinus Episcopus* „ ALTMANNVS *Subonensem Ecclesiam a quadam* REGINA TVTA nomi- „ ne de qua *secundum carnem* GENVS DVXIT *primo fundatam*, *sed suc-* „ *cedentibus baeredibus circa divinum cultum* MINVS DEVOTIS *tam reli-* „ *gione quam reditibus delapsam restauravit* (et) *contulit Ecclesiam S.* „ *Margarethae apud Hengest*, *et partem Halchendorff quae locavit in* „ *manum Marchionis Engelberti de Chrayburch*, *qui rogatu ipsius Episco-* „ *pi delegauit ea Subensi Ecclesiae in consecrationem altaris S. Mariae*, „ *quod memoratus Episcopus consecravit ac eisdem praediis dotauit* „ *anno* 1136.

Timeo ne subfabulosae sint hae litterae cum ferunt *Tutam* REGINAM fuisse. Idem tamen astruebatur in inscriptione quadam Germanica qua *Tuota* dicebatur REGINA VNGARIAE. At nihil simile occurrit in monumentis melioris notae quae de *Tuota* exstant.

In hac vero Tuota vertitur omnis cardo huius machinae, quantae molis est.

Insigne

a) Instr. Fris. n. 1352. 1353.

b) Hund. Metrop. T. III. p. 256.

Insigne de ipsa monumentum sistet narratio quam hic transcribere operae pretium est, scripta a Monacho Farnbacensi fere coaeuo et huius antiquitatis gnaro. [a]

„ *Quoniam quidem*, inquit, *saepe dissensio inter Formbacenses et* „ *Subenenses de utilitate transitus aquae qui est in Skerdingun, qui-* „ *que ambobus largitione Principum seruis* (seruiens) *facta est dignum* „ *duximus . . . describere . . . quibus vel quot annis Forbacenses, et* „ *quot Subenenses praefatam utilitatem sint assecuti.*

„ *Duae namque sorores* TVOTA *et* HIMILITRVD *tam nobilissimis* „ *quam etiam ditissimis parentibus ortae, cum possessiones suas amplas in-* „ *ter se diuiderent, contigit ut praenominatus transitus in ista parte in* „ *qua monasterium Fornbacense situm est aequaliter inter eas partiretur,* „ *videlicet ut uno anno Domina* TVOTA *altero Domina* HIMILITRVD „ *ipso uteretur, ex altera vero parte in qua Subenense monasterium* „ *constructum est plures conparticipes eiusdem transitus videlicet filios* „ *Meginhardi* COMITIS *Vdalricum et Hermannum ac filios* TIEMONIS „ *Ekkebertum et Heinricum et Dominam Itam habentes definierunt,* „ *quatenus primo anno Domina Tuota, secundo soror eius Do-* „ *mina Himildrud, tertio Odalricus et frater eius Heinricus ipsius* „ *transitus utilitate potirentur, et Domina Ita in ipso, in omni anno* „ *singuli septimana quolibet tantum die frueretur.*

„ *Domina Tuota partem suam quam utrimque habuit Ecclesiae S.* „ *Lamberti quae est in Subene, et soror eius Domina Himildrud partem* „ *suam ex utraque parte Ecclesiae S. Mariae quae est in Fornbacensi lo-* „ *co, tradidit. Dehinc Dominus Odalricus et frater eius Dominus* *Her-*

a) Hund. Met. Salisb. T. II. p. 223. et seq.

„ *Hermannus cum sanguineis suis scilicet Ekkeberto Comite, et fratre*
„ *suo Domino Heinrico etiam suas partes Formbacensi Ecclesiae dederunt.*
„ *Post haec Diepoldus de Locheim in utilitatem diei quam Domina Ita*
„ *habebat in beneficio a Domina sua tenens, impetrauit ab ea ut ipse eti-*
„ *am hanc Formbacensi Ecclesiae daret.*

Dicemus alibi cui Himildruda nupserit quemque filium habuerit, nunc dicamus oportet in hac procerum caterua qui utriusque sororis cohaeredes fuerunt, fuisse quoque Comites de Formbach et ex parte quidem Dominos de Neuburg. Liquet inde cohaeredes eosdem fuisse Sigebotonum nostrorum.

Certum est ut postea dicemus, Himildrudam aequalem fuisse Timoni Comiti et Praesidi qui vixit annis 1040. et 1048. Eodem itaque tempore vixit Iuota quam Iutam quoque nuncuparunt. Cui nupserit illa nemo huc usque dixit.

§. VIII.

At scire mihi videor, immo affirmo omnino Iutam nupsisse Ottoni Comiti Schyrensi. Ita enim Hundius [a] ex Auentini Epitome; *Otto Princeps et Comes de Scheyrn* sepultus fuit *Frisingae*; EIVS CONIVX DOMINA IVTA.

Id procul dubio temere non scripsit Auentinus, infelix quidem nonunquam in hallucinando, sed veri tenax amansque cum ex veteribus monumentis illud eruere fas erat.

Cum igitur tempus congruat affirmemus audacter IVTAM nostram quam Reginam dicunt nupsisse *Ottoni* Comiti qui sepultus est Frisingae.

Sci-

a) Stammb. P. 1. p. 133.

Scimus iam falſum eſſe quicquid fere de Schyrenſibus congeſſit Hundius; ſcimus Ottonem qui Aduocatus Friſingenſis fuit poſt Vodalscalchum et Sigihardum ſatorem quidem Schyrenſium extitiſſe, ſed Hazacham, quae ſuperſtes fuit non Iutam coniugem habuiſſe. *Iutam* vero ab Auentino memoratam ſtatuimus nupſiſſe Ottoni qui filius fuit Berchtoldi Comitis, quique anno 1060. beneficium, quod iam habebat ab Eccleſia Friſingenſi, imminui permiſit.

At viduam Iuotam duxit Otto, ſi verum eſt quod abrupte negare non audeo, ſcilicet Ivtam Reginam fuiſſe, prout dixit Eberhardus Epiſcopus, qui minus integro ſaeculo poſt hoc aeuum vixit, imo Reginam Vngariae, ſi fides habenda monumento Subenenſi. Quid ergo? Si dicamus Iutam ingentis patrimonii haeredem collocatam fuiſſe Petro illi Aquitano ſiue Pictauienſi [a]. cuius leuir fuit Adalbertus Auſtriacus, in cuius gratiam bella Vngarica geſſit Heinricus III. Imperator, quique tandem oculis et regno non immerito priuatus eſt.

Vnam ex hoc connubio filiam natam fuiſſe autumo Adelheidem ſcilicet Vdalscalchi ſi fas eſt coniugem, et Altmanni Tridentini Epiſcopi matrem. Secundo nupſit Iuta Ottoni et ex hoc connubio nati ſunt haeredes Berchtoldi de Purgecka, ſcilicet Heinricus de Lechesgemunda, Erneſtus de Creigilinga ſator Comitum de Tollenſtein, Kirchberg et Schauenberch, Sigiboto qui Comes fuit de Neuburg et Weiarn, et Bernardus Comes de Neuburg et de Gruebe.

Er-

a) v. Aloldus.

Ernufto contigit pars praediorum quam Iuta habuerat ultra Oenum prope caftrum Schauenbergk cum parte ditionis cuius caput arx Tollenftein Aduocatia Pruelenfis coenobii, Comitatus quoque in quo Vdenftorffenfe monafterium conditum fuit. Sigibotoni pars haereditatis maternae, quae complexa eft partem caftri Neuburgenfis, et pars haereditatis paternae Weiarn, et praedia circumjacentia. Bernhardus et Sigiboto haereditatem maternam ita diuiferunt ut ex praediis Iutae nihil reliquum effet Bernhardo, nifi partem caftri Neuburgenfis diuifit cum Sigibotone, ex patrimonio vero Ottonis adeptus eft Gruebam et Bernriedam, aliaque praedia in pago Hofiorum.

Ita conftat tandem quod aiunt Gruebanos Comites a Bernhardo fratre Sigibotonis oriundos, Schyrenfes fuiffe, conftat quoque Comites de Tollenftein et Schawenbergk haereditatem creuiffe Berchtoldi de Purgeka, cuius pater Berchtoldus de Greisspach frater fuit Ottonis illius cui Iuta nupferat.

Si quis explicandae huius parentelae aliam viam iniverit felicius, non refragabor, eoufque tamen liceat affirmare quod omnino credo, a Iuta Neuburgenfi et Ottone oriundos effe proceres Schirenfes quotquot eorum arctius coniuncti fuerunt cum Berchtoldo de Purgecka, et cum fundatoribus Subenenfibus.

Addam quod magni quoque momenti eft Sibotonem de Niuenburch, vel Neuburg ad Oenum, haeredem Sigibotonum antiquiorum, qui ab eodem caftro Neuburg dicti fuerunt, tenuiffe anno 1140. a Duce Baioariae Comitiam in *Luichenthal*, ubi et Berchtoldus

toldus de Purgecka [a] et Berchtoldus de Schauenbergk praedia habuerunt. Quae *Comitia* quid indicat nisi Sibotonem illic quoque aut praedia habuisse aut beneficium quod olim praedium fuerat? habuit quoque ab Episcopo Frisingensi Aduocatiam super montem S. Petri quo nomine veniebat tunc coenobium Usenhouen a Berchtoldo de Purgecka fundatum.

Eadem aut simili de causa Sigeboto de Neuburg qui vixit ante annum 1100. habuit a capitulo Frisingensi beneficium in Strazloch. [b] Quae omnia jam jam adeo mira non sunt, ut quidem forent, si minus vera essent, quae huc usque perorauimus.

§. IX.

Restat ut probemus Ottonem Berchtoldi Comitis filium Iutae maritum praedia habuisse in Austria ubi agri ditissimus fuit Sigiboto de Neuburg filius Iutae haud dubius.

At vero huc pertinet omnino beneficium illud ipsum cuius pars fuit *Alarun*, et a quo Otto auelli siuit hobam unam quae daretur Wintherio. [c] Alarun autem curtis regia vocatur et sita dicitur *in* MARCHIA *et in* COMITATV ADALBERTI MARCHIONIS anno 1033. quo Chunradus Imperator et Heinricus filius eius hanc curtem dederunt Egilberto Frisingensi Episcopo. [d]

a) Hund. Metrop. T. III. p. 344.
b) Meichelb. Hist. Fris. T. I. P. I. p. 289.
c) Instr. Fris. n. 1234.
d) Meichelb. Hist. Frising. T. I. P. I. p. 227.

Ne dubitemus itaque quin Otto in eodem tractu alia quoque beneficia et praedia habuerit, quorum viciniae ergo Alarun ab Episcopo Frisingensi concedi sibi cupierit impetraueritque.

Quae cum ita sint, et ita esse mihi constet, praeterquam quod Schyrensium, ut vocant, principum cateruam haud exiguam collegimus, quam huc pertinere nemo huc usque diserte pronunciauit, nonnihil lucis affudimus seriei procerum antiquiorum, quibus nati sunt principes Schyrenses. Si enim Otto filius Berchtoldi Comitis Schyrensis fuit cum facile nobis concedi queat Berchtoldum hunc eumdem esse qui anno 1025 dictus est filius *Friderici Comitis* assequimur Fridericum Comitem unum fuisse *ex Schyrensibus* Princibus, quod quanti sit momenti breui patescet.

§. X.

Antequam vero ab hoc argumento discedam monere debeo Lectorem ne mihi plus aequo succenseat inaudita narranti, scilicet Iutam et Himildrudam filias fuisse Heinrici, qui filius erat *Tiemonis de Varnbach* potentissimi et amplissimi viri, ut alias dicemus. Hinc nomen Heinrici in hanc domum illatum est. Quaeres forte unde et Ernesti nomen et tot ditiones ad ostia Lyci ipsi accesserint? Responderem libenter non omnia nitescere posse in hac antiquitate, et satis esse quod indicaui Greisspacenses ab Arnulfo Duce oriundos illic Comites fuisse ubi fuerat Arnulfus.

At

At cum is qui novarum rerum autor eſt undique tutus eſſe debeat, et ego toties audax fuerim, dicam praeterea in hoc tractu et uſque ad Nickarum flumen, maxime vero ubi hodie eſt Pappenheimenſis ditio, ditiſſimos fuiſſe olim proceres nonnullos qui Erneſti dicebantur, ab Erneſto illo Duce et Carlomanni Regis ſocero oriundi.

Hic patebat pagus Retienſis in quo Nordilinga, et Wemedingen ſita erant, et ubi praedia habuit anno 898 quaedam nobilis foemina Winpurch [a] mater Zuentipulchi. Ibidem inuenies pagum Sualaueldun qui anno 914. erat in Comitatu Ernuſti Comitis, ampleſtebaturque Altheim et Pappenheim, Pinczwanga et Tetenheim, Wimereheim et Echineperc. [b]

Circa annum vero milleſimum vixit Comes *Erneſtus*, cuius coniux fuit *Pilifridis*; haec propriam ancillam Wanburc dedit Eccleſiae S. Emmerami. [c] Memento nomina dominorum ad ſeruos ſaepe tranſiiſſe.

Obiit Erneſtus, obiit Pilifridis, tuncque demum ſcripta vel exſcripta fuit charta [d] qua *ſcire* jubemur *qualiter quaedam bonae memoirae* „ *matrona nomine* Pilivrada *tradidit ad S. Emmerammum* „ *cum manibus Aduocatorum ſuorum Gotopoldi et* Diemonis *in manus* „ *Domini Abbatis* Richoldi et Aduocati ſui *Magenonis*, quicquid „ proprietatis habebat *in locis* Orilihheim et Pietunprunna (ad haec

A a 2 „*tra-*

a) Codex Ratisb. Pez. col. 36.
b) ib. col. 45.
c) Cod. S. Emmeram. C. 44.
d) ib. c. 65.

„ *tradiderat* multa mancipia) poſt haec tradidit *unum molendinum* ſi-
„ tum juxta fluuium *Luttaraba* in loco Alaraſpah, adiunxit locum
„ ad onerandas naues aptum in vico Smidimulni.

Illae traditiones factae ſunt poſt annum 1007. et ante annum 1029. Tempus itaque congruit. At vidua fuit matrona donatrix, ut arguitur ex eo quod *duos Aduocatos* habuit; puta generos fuiſſe, cum reuera deinceps familia Erneſtorum in pago Retienſi nunquam compareat, hoc vero nomen tranſierit ad poſteros Thiemonis. Ne tamen dubites de nomine matronae quam aegre concederes nunc Pilifridim, nunc Piliuradam dictam fuiſſe, offero tibi aliam chartam Emmeram. a. in qua legitur *qualiter quaedam ma-*
„ *trona nomine* PILIVRIDA tradidit cum manu Gotopoldi ſui Aduo-
„ cati tale praedium quale habuit in loco qui nuncupatur Suuant,„
(hodie Schwant in Nordgowia haud longe a Schwandorf.) Nomen Aduocati probat Piliuradam et Piliuridam eamdem matronam fuiſſe.

At dices ex praediis nihil argui poſſe quod cum opinione noſtra congruat et reuera opinor quotquot fere praedia a Pilifridi data ſunt ad eam magis quam ad Erneſtos pertinuiſſe, hacque de cauſa pleraque ſaltem in eo tractu a nobis non reperiri in quo Erneſti potentes fuerunt.

Erneſtorum haeredes uxorio iure fuerunt Timo vel Diemo et Gotopoldus. De *Timone* dubium non eſt quin praedia habuerit

a) Ib. c. 109.

rit in eo tractu in quo Ernesti diuites agri fuerant, postquam ad nos usque peruenerunt litterae [a]. quibus *Timo de nobilibus parentibus natus post omnia sua bona derelicta, postque ensem in altari jam positum, tradidit pariter cum sua familiari domestica Ruodheida in loco Memmindorf nuncupato tam illam partem eidem Ruodheidae ab eo in dotem contraditam, quam etiam partem sibimet ipsi reseruatam cum totis usibus in nemore Cheskinga juste habitis &c.* Cheskinga enim hodie est *Keschinq* vicus haud longe Ingolstadio ad Boream situs, et a cuius nomine vicina sylua dicitur *Keschinger Forst*. Quod adepti asserimus Pietunprunnam locum in quo Piliurada praedium habuit, eumdem esse qui hodienum dicitur Petprun in ipsa fere Keschingana sylua. Timonis iam veterani largitionem accepit Maganus Aduocatus, idem acceperat largitionem Piliuradae ita ut et tempora et loca optime congruant.

Vix itaque non asseueramus verum esse id omne quod suspicati sumus de connubio Timonis, et de iure quo ipse atque haeredes eius successerunt in praedia Ernestorum, in quorum Comitatu situm fuit oppidum Pappenheim.


Hinc est quod in Historia S. Quirini [b]. Eberardus Abbas natione SVEVVS dicatur, quamuis CONSANGVINEVS fuerit DIEMONIS Comitis, ut ipse testatur.

Hinc quoque intelligimus quam falsa non scripserit Marescalcus de Pappenheim, cum *Lechsgemundanos a Calatinis originem duxisse*

a) ib. c. 45.


b) ap. Oefel. II. p. 69.

xisse perhibet, quos tamen alibi Schyrenses fuisse affirmat. Scilicet in familias duas abierat Ernestorum prosapia, quarum altera sub Calatinorum nomine deinceps innotuit, altera vero masculis orba per foeminas genti Neuburgensi inserta est.



LIBER



LIBER VNDECIMVS.

De Comitibus Andeccensibus et Wolfrathusanis Schirensium agnatis; obiterque de Familia Neuburgensi atque Bogensi.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS.

Vulgaris de origine Comitum Andeccensium à Ratoldo Notho repetenda hypothesis exploditur. Origo ipsorum Schirensis adstruitur et ad Arnolfum IV. bellatorem Friderici I. Schirensis fratrem, Arnolfi III. filium refertur. Plura de Friderico I. eiusque coniuge Kunegunda, item de Friderico ROCHO ANDECCENSI. *Stemma producitur usque ad Bertholdum Comitem, Diessensis monasterii circa annum* 1130. *fundatorem.*

§. I.

Vitus Arnpeckhius, praeter Dachauienses et Faleyae Comites, ex domo Schyrensi ait oriundos quoque fuisse *Comites de* ANDAECHS, *Comitesque de Wolfratshusen.* Fumum venditare nobis heic Arnpeckium clamitabunt recentiores, interque eos,

† Chron. Mellicense ad an. 951

ſcripta legebantur verba; *Kenegundis peccatrix, huius loci Domi-*
„ *natrix, iſtam conſtruens aulam II. Nonis Martii anno MXX.*

Licet igitur per aeuum quo vixit Kenegundis ut nuptam dicamus Friderico noſtro Schirenſi, quem et Andeccenſem fuiſſe contendimus. At mendum ſubeſſe in aera quam exprimit illa inſcriptio, facile demonſtrari poteſt.

Necrologia Dieſſenſia duo nuper publici iuris fecit Oefelius, a. quae in eo diſcrepant plerumque, quod in altero funera Dieſſenſium ſeu Andechſenſium noſtrorum uno die ſerius quam in altero notantur.

Atqui in hoc ipſo leges: *Nonis Martii Kuniza* Comitiſſa obiit. *Sepulta in media Baſilica Sancti Stephani. Vxor Friderici Comitis Rochen.*

Quod ſi ergo dicas Kunizam *Friderici Rochi* coniugem pridie Non. Martii obiuiſſe, incides in eum ipſum diem qui *Kenegundae peccatrici* fatalis fuit: manifeſto indicio Kunizam ac Kunegundam unam eandemque fuiſſe matronam. Obſtare quidem videbitur aetas Friderici Rochi qui poſt medium demum ſeculum XI. floruit, aetasque *Kenegundae* quae anno MXX. mortua eſſe dicitur. At hic latet is ipſe error quem modo indicauimus, quemque facillime emendaveris, ſi lateri inſcribi debuiſſe, imo inſcriptum fuiſſe affirmes a. MXXC. 1080. aut ſi malis MXC. qui uterque annus optime conuenit cum aetate qua viuere, viuendique finem facere debuit Friderici Rochi coniux. Adde ſis Fridericum ipſum frequenter in Alemannia deguiſſe quin et diem ſuum ſupremum obiiſſe et in Monaſterio S. Blaſii ſepultum eſſe.

a) Script. rer. Boicar. Tom II.

Optime haec cadunt in generum affinemque Alemanici Comitis.

§. II.

At vero praeter Kunegundam ſeu Chunizam Rochi coniugem, alia in Necrologio Dieſſenſi occurrit *Kunegunda Comitiſſa IV. Idus Februarii defuncta.* Hanc Friderico noſtro I. Schirenſi collocare nulli dubitamus. En tibi Lector, coniecturae rationes.

Memorauimus pridem Fridericum I. anno 1025. patrem fuiſſe filii qui *Bertholdus* dictus eſt. Memorauimus quoque Libro V. Paponi Burgrauio Ratisbonenſi anno 1028. uxorem fuiſſe Mathildam, cui mater ipſius *Kunegunda* praedium contulit in *Gundenesbuſa* ſeu Gunzenhauſen.

Atqui in his ipſis Gundeneshuſanae traditionis litteris *Kunegundae* Mathildis matri filius quoque tribuitur *Perahtold*, ſeu *Bertholdus*.

Quid obſtat ergo quo minus Kunegundam Bertholdi a. 1028. iam adulti matrem uxorem fuiſſe dicamus Friderici, qui et ipſe anno 1025. filium habuit adultum Bertholdum? Coniecturam iuuare videtur ſitus praedii Gundeneshuſani utpote perquam vicini patrimonio quod *Bertholdus* de Greisbach et *Lechsgemund* Friderici I. filius ad poſteros transmiſit. Nec eſt de nihilo quod Fridericus I. ipſe frequenter occurrat in monumentis Ratisbonenſibus [a].

De

a) Cod. Trad. S. Emmer. Cap. 62. et 85.

De Kunegundae natalibus dicere arduum foret; quod ſi tamen aliquid dicendum eſſet perquam lubenter crederem ipſam de Francico ſanguine ortam ſororemque forte fuiſſe Ottonis Franciae et *Karinthiae* Ducis. Fateor tamen ingenue haud aliam me aſſerti ſeu coniecturae potius rationem habere quam *Ottonis* et *Conradi* nomina, quae peregrina admodum apudque Arnolſigenas Schirenſes noſtros huc usque incognita, ſubito apud illos euadunt gentilitia, qualia omnino apud Weiblingenſes Francos, quos Conradigenas dixeris fuerunt. Adde nomen Geberhardi vel Gerhardi apud hos, et apud Creglingenſes frequentiſſimum.

Sufficiat haec de Friderico I. Schirenſi Kunegundae marito memorauiſſe, loco fortaſſis minus opportuno, ſed quae memoranda fuerunt explicaturis quo tandem pacto Andeccenſes a Schirenſibus deſcenderunt.

Ad Fridericum Rochum redeamus, cuius patruum fuiſſe Fridericum I. omnia ſuadent, moxque ibitur demonſtratum.

§. III.

Hic ſcilicet ille eſt ipſe *Fridericus Rochus* Monaſterii Atilenſis deſtructor, et nunc *Rochus* propter morum aſperitatem, nunc *Hochus* propter elatos animos cognominatus. Ad Rochum hunc ſpectare tantum non aſſevero quae in Chronico Mellicenſi leguntur: [a] Anno 1058. quidam FRIDERICVS *in Germania contra Imperium ſe erigens* VICTVS AB AGNETE „

Fuſius Annaliſta Saxo ad annum 1057.

 Rex

a) Ad a. 1058. ap. Pez. Script. rer. Auſtriac. T. I.

Rex *puer Heinricus natale Domini Ratisbonae celebrauit . . . Agnes mater eius Ducatum Bawariae* obtinuit. Et paulo post: Eodem tempore QVIDAM FRIDERICVS et FRATRES *eius in quibusdam Germaniae partibus tyrannidem contra Romanum Imperium exercentes ab Agnete Imperatrice a principibus Regni victi ad deditionem venerunt.* Illas Germaniae partes quid obstat quin Baioariam fuisse dicamus quam regebat tunc Agnes Imperatrix, Baioariae, in curia Ratisbonae, recens praefecta.

Suspicarer haud aegre *Fridericum et fratres eius* muliebris imperii impatientes originem suam in animum reuocasse, et nouandis rebus adeo potissimum studuisse ut tandem aliquando auitum Ducatum recuperarent.

Quae si ita sunt, videntur autem omnino ita esse, quid mirum quod Fridericum Rochum variis conuitiis impetierint Baioariae scriptores monastici, superbum, asperumque nominantes virum cui animus haerebat a Monachis vel maxime alienus, ita quidem ut Arnulphigenam et Schirensem facile agnosceres.

Sufficiat audiuisse Engelbertum Hallensium Comitem in litteris non quidem anno 1087. ut apud Hundium est, sed circa a. 1160. ut recte monuit Auentinus, exaratis: [a] *Ego*, inquit *Engelbertus, locum Atilensem in territorio Frisingensi restauraui; idem namque locus priscis temporibus a Principibus de Diessin magna praediorum copia nobiliter est fundatus, sed a peruersis hominibus et maxime a quodam Friderico cognomento* HOCKE, *personis expulsis, rebus abstractis, ita destructus est, ut tribus tantum praebendariis illic remanentibus vix tandem paruissimum pristinae habitationis ibidem seruaretur indicium.*

Fri-

a) Hund. Metrop. Salisb. T. II p. 80 et seq.

Fridericum Hockum vel ROCHVM Diessensem fuisse constat abunde ex Necrologio Diessensi superius allegato, cum de *Kenegunda* ipsius coniuge sermonem faceremus, quae in inscriptione Auentiniana Dominatrix Diessensis dicta est.

Quinam fratres fuerint Rochi nostri explicabitur postquam in patrem eius inquisiuerimus. Lege interim diploma [a] quo Heinricus III. a. 1156. monasterio Burano restituit praedia quaedam *consilio Principum* suorum BERTOLDI, FRIDERICI, OVDALRICI etc. Iam vero euolue mecum monumenta Ebersbergensia ab Oefelio vulgata [b].

§. IV.

„ *Notum sit quod* BERCHTOLDVS COMES DE ANDESSE (primus omnium qui hoc nomine veniat) *ob factam S. Sebastiano seruitoribusque eius iniuriam praedium quod habuit apud villam Diechun* „ *tradidit Deo super altare praedicti Sancti, ea lege firmiter interposita* „ *ut sub aliquo Abbate ipsum praedium alicui hominum in beneficium concedatur protinus a proximo haerede praedicti Comitis in proprietatem* „ *possideatur, et ob hoc testes isti per aures sunt tracti.*

Bertholdi patrem indigitant nobis eaedem traditiones Ebersperg enses his verbis, [c]

„ *Quidam vir nobilis videlicet Arnolt de* RIHHERISHVSVN *in manum Geroldi qui erat Aduocatus loci Eberspergensis donauit decem ingera syluae sita in sylua quae dicitur Leginhart, eo pacto ut per eum darentur quinque seruis S.* SEBASTIANI PRO CVLPA QVAM IN EIS FECIT BER-

a) Chron. Buran. P. 1. C. 7.
b) Trad. Ebersb. cap. 6.
c) Ibid. n. 118.

„ BERTHOLDVS EIVSDEM ARNOLDI filius. Isti sunt testes etc. (Sex-
„ tus est) *Luitpolt, quod pactum Geroldus impleuit dans praedictis*
„ *seruis ea iugera quae denotauimus, quorum duo Dietmarus Praeposi-*
„ *tus emit his testibus* LVITPOLDO etc. *emit quoque alia his testibus* LVIT-
„ POLDO etc.

Luce meridiana clarius est Arnoltum nobilem virum de RIH-H.RISHVSA patrem fuisse Berchtoldi Comitis de Andesse. Nota quidem temporis desideratur; sed non absque causa notaui Luitpoldum ter testantem. Idem ille est *Luitpoldus miles* qui post Comites primus testis fuit, cum Arnolfus bellator daret praedia in Alpibus sita monasterio Benedicto Burano. [a]

Eodem itaque aeuo id est circa a. 1030. utraque donatio contigit. Idem eruimus quoque ex nomine Aduocati qui heic Geroldus dicitur. Constat enim inde ab anno 1060. Aduocatos apud Eberspergenses alios non reperiri, quam qui Waltherii dicebantur quorumque tres eiusdem nominis semet inuicem excepisse inuenio.

Geroldus quidam de Ebraha Aduocatum egit sub Egperto Ebersbergensium Abbate qui coaeuus erat *Poponi de Rota* et Rihlintae Adalberonis Comitis viduae; quin et extat charta in qua diserte dicitur FISCALIS ADVOCATVS. [b] Atqui Egbertus Abbatiae Eberspergensi praefectus est A° 1046. anno autem 1047. relicto hoc coenobio, Abbas Fuldensis euasit. Hoc igitur ipso anno Geroldus Aduocatus fuit et Aduocatiam adiuisse potuit circa annum 1030.

Viden

a) v. supra L. X. cap. 1.

b) Trad. Ebersb. n. 30. 48. 49. 51. 70. ap. Oefel.

Viden quam optime congruat aeuum Geroldi Aduocati cum aetate Arnolfi Bellatoris qui anno 1025. Comes erat; at vero dubitare eo minus licet quin Bellator noster idem sit cum *nobili viro de Ribberishusa* qui pater *fuit Berchtoldi Comitis de Andesse*, quod et utrique Arnoldo, Bellatori nempe et Rihherihusano testem adfuisse Luitpoldum militem asseruimus.

Arnolto circa a. 1040. aetatem satis prouectam fuisse arguit causa ipsa largitionis quam Ebersbergensibus fecit. Resarciuit iniuriam a filio Bertholdo Eberspergensibus illatam. At unde quaeso cognomen eius? Castrum Rihherishusam produnt monumenta nostra et ne dubites quin idem sit locus qui nunc *Reichertzhausen* dicitur, castrum hodieque conspicuum in superiore Bauaria, Monacensi Procuratione, Pfaffenhouensi Praefectura, Dioecesi Augustana, haud longe ab Illmunster, nullo fere interuallo a *Lampershausen*, quod fuit praedium Berchtoldi de Purgecka. Illic igitur lares et arcem habuit Arnoldus pater Berchtoldi Andechsensis, quo uno situ praedii eius praecipui argui posset Schyrensem eum fuisse, recteque Arnpeckhium Andechsenses ex hac domo oriundos esse pronunciasse.

Recte itaque et ego mihi statuisse videor Arnoltum vel Arnolfum Bellatorem fratrem fuisse Frederici I. Comitis, patremque Bertholdi de Andechs. At patrem quoque ipsum fuisse Friderici Rochi suadet ipsa rerum hactenus tractatarum series; quod si enim Arnoldus bellator sator fuit Andeccensis et Diessensis gentis non potuit non pater esse Friderici Rochi qui et ipse Diessensis erat et per aetatem Arnoldi filius esse debuit. Adde his ipsum a. 1056. loco valde memorabili coniunctum fuisse cum *Bertholdo* de Andesse; nec

nec obliuiſcaris velim eum male mulctaſſe Atilenſes Monachos, ab Arnolfo Comite Dieſſenſi fundatos. At vero quis alius quam Dieſſenſis ipſe, inuadere potuiſſet bona a Dieſſenſi Comite Atilenſibus conceſſa, ut taceam recentiores omnes uno ore affirmare, Rochum fratrem fuiſſe fundatoris Abbatiae Atilenſis, in quem nunc inquirendum eſt nobis.

§. V.

Nouimus iam unum Rochi fratrem, Bertholdum ſcilicet de Andechs. Alium qui patrem nomine referebat ſuppeditat nobis diploma Heinrici IV. de anno 1073. quo confirmauit et in ſuam protectionem ſuſcepit monaſterium a Conone Palatino fundatum *in loco qui dicitur Rota quem praeterfluit Enus fluuius, qui eſt in Comitatu* ARNOLFI COMITIS. Locorum ſitum inſpicienti dubium eſſe vix poterit, quin *Arnolfus Comes* in cuius Comitatu Rota erat, ni forte idem, ſucceſſor ſaltem fuerit Arnolfi qui monaſterium Atilenſe juxta Rotam in altera Oeni ripa fundauerat. Hunc ſane recentiores omnes Atilenſem fundatorem fuiſſe pronunciant ipſique uxorem tribuunt *Giſilam.* Arnoldi obitus in annum 1080. reponitur ab iisdem, quod quidem cum temporis ratione optime congruit, difficileque foret dictu Arnoldi Bellatoris qui A° 1025. jam inclaruerat armis filium ultra ſeculi XI. finem vitam produxiſſe. Arnoldum noſtrum Necrologium Dieſſenſe defunctum eſſe tradit 6. *Id. Februar. inque Atilenſi coenobio ſepultum.* Geſila Comitiſſa ibidem (Atilae) ſepulta obiit 8. Kal. Martii. Iam vero cum circa annum 1100. et ſequentibus frequens occurrat *Arnoldus Comes de Dieſſen qui et Praeſes Hallenſis fuit*; nil obſtat quo minus ipſum filium fuiſſe affirmemus Arnoldi V. A° 1080. defuncti; ex Giſela ſuſcep-

susceptum, patremque adeo Bertholdi Diessensium fundatoris qui inde ab A° 1130 usque 1160. in monumentis nostris frequentissimus est.

§. VI.

Per te mihi liceat Lector hic paulisper subsistere, ut notem quam operae plenum sit inuestigare natales Diessensium et Andechsensium, qui omnes fere aut Arnolfi aut Berchtoldi dicebantur: quam arduum, ne impossibile dicam, assuere eos fictitiis illis Ratoldigenis quos inter ne unus quidem reperitur qui ea nomina gesserit: quam denique moribus XI seculi congruum, ut Arnolfi et Berchtoldi nuncuparentur viri qui originem suam referebant ad Berchtoldum nostrum ab Vngaris occisum, ad Arnulfum I. Comitem Germaniae Palatinum, ad Arnulfum denique Baioariae Ducem, cui frater fuit Berchtoldus Dux improlis is quidem, ita ut haereditatem eius cernere debuerint Arnulfigenae, at qui terrarum ditissimus erat in eo ipso tractu ubi Arnolfus Bellator, et post eum potentissimi fuerunt Andechsenses.

Notes quoque velim quam non temere vendicauerimus nobis Arnolfum illum Sundergouiae anno 980. Comitem, in cuius Comitatu sitae erant partes praedii *Riutani* haud longe ab Atila dissiti, haud longe a Comitatu Arnulfi V. a. 1073. conspicui.

Non repudio profecto Berchtoldum illum quem Lambertus Schaffnaburgensis monet anno 982. cum aliis strenuissimis militibus in Calabria a Saracenis caesum esse. Credo libentissime illum fratrem fuisse Arnolfi III. Comitis, nec negabo potuisse patrem esse

 sobolis

ſobolis quam Arnulfo tribuo, ſed cum dubitare nefas ſit ubi fruſtra dubitatur, ſtatuo Arnulfum, qui longiore vita fruitus eſt, cuiuſque uxorem nouimus, patrem fuiſſe *Friderici I.* et *Arnoldi Bellatoris* quidni et Berahtolti cuiusdam, quem virum Principem apud Friſingenſes a. eo tempore reperio quo viuere debuit frater Friderici et Arnolti.

Sed nec omnia affirmare poſſumus, nec ſingula quae dici poſſent, operoſe magis quam utiliter, coaceruare in animo habemus. Satis ſit ex origine Andechſenſium reſtituta eruiſſe id fere omne quod ad muniendam originem Schyrenſium deſiderari poterat.

Tabula XXIV.

Bertholdus Comes anno 955. occiſus v. Tab. XXIII.

- Bertholdus III. Comes in Calabria occiſus a. 982.
- Arnolfus III. Comes in Sundergau a. 980. † circa 1009. Vx. Adelhaydis.
  - Arnoldus III. dictus Bellator a. 1025 - 1046.
    - Bertholdus V. Comes de Andechs.
    - Fridericus Rochus Vx. Cunegund. Alemannica † 1080. ſeu 1090.
    - Arnolfus V. Comes Atilenſis Coenobii fundator Vxor Giſela 1073. † 1080.
      - Arnoldus VI. Comes de Dieſen et Hallenſis a. 1100. ſeqq. Vx. Agnes de Fornbach.
        - Bertholdus IX. fundator Dieſſenſis Vx. Sophia † circa 1160.
    - Conradus Clericus v. Cap. III.
  - Bertholdus IV. a. 1020.
  - Fridericus I. Vxor Kunegunda v. Tab. XXIII.

a) Inſtr. Friſ. 1159. 1161. 1164.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM

SYNOPSIS.

De Comitibus Fornbacensibns vel Neuburgi, qui et Praesides Halenses. Ostenditur diuersam fuisse omnino gentem ab Andeccensibus, licet Arnoldus V. de Diessen Praeses Halensis quandoque nuncupetur. Cognatio Diessensium cum Fornbacensibus explanatur.

§. I.

Cum attentius inspicerem monumenta Diezensium et Andechsensium Principum, miratus sum 1. coenobium Atilense a *Principibus de Diessin* olim fundatum ab Engilberto Halensium Comite restauratum fuisse. Sciunt enim omnes ad solos fundatorum posteros ita spectasse coenobia et aedes sacras, earumque curam, seu Aduocatiam dixeris seu procurationem 2. miratus sum quoque inter Diessenses reperiri Arnoltum virum principem qui Praeses Hallensis dictus fuerit, quem titulum gessit quoque Engilbertus.

3. Mirari denique subiit in Necrologio Diessensi notari mortem *Dietrici et Gebhardi Comitum* quos aliunde noueram, eosque fratres vocari *Berchtoldi* Diessensium fundatoris. His adde Ecbertum quendam Comitem, cuius obitum aeque notant Necrologia Diessensia.

Quae omnia postquam inter se contuli, speraui fore ut iis elementis nonnihil conficerem quod illustrandae genti Andechsensi conducere posset.

§. II.

In Codice Traditionum Eberspergensium [a] reperi duas chartas Arnoltum Praesidem referentes. In prima primus testis nuncupatur *Arnolt Praeses Hallensis*, quartus *Diepolt de Perga.*

Altera exhibet [b] largitionem quam fecit *Diepolt de Perga* cum Henricum filium suum offerret ad monachicam vitam. Primus testis est Arnolt Praeses. In utraque nota temporis desideratur.

Ad istam vero inuestigandam contuli nomina testium reliquorum cum iis, quos exhibent aliae chartae nomina Aduocatorum aut Abbatum simul referentes.

Reperi vero *Dietpoldum* de Perga, qui unus est ex nostris coniungi cum *Lanzone de Engilbalmingen* qui ipse coaevus erat Williramo Abbati [c].

Megingozum de Perga alium ex nostris coniungi [d] cum *Gozprebto et Milone*, qui et ipsi coaevi fuerunt Williramo Abbati.

Aribonem de Poubenheim cum Arnolto quoque testem occurrere quandoque cum Sinzone, Engildeone et Gozprehtis duobus, hos autem omnes indicare [e] aetatem Willirami Abbatis, aut Waltheri Aduocati qui coaeuus fuit Rutperto Abbati et Ottoni Praefecto Ratisbonensi.

Reperi denique [f] nam omnia curiosius notare operae pretium non est, Dietpoltum de Perga ipsum res suas in Perga dedisse aut commutasse cum Hartwicus Abbas esset.

Nunc

a) ap. Oefel. n. 143.
b) Ibid. 143.
c) Ibid. n. 76. 79. 81.
d) Ibid. 115. 116. et 117.
e) Ib. 115. 116. 117. 123. 132. 162. 178.
f) Ib. 179.

Nunc vero constat Williramum Abbatem obiisse anno 1085. Ruodpertum eius successorem fuisse et vixisse usque ad annum 1115. Adalberonem Ruodperti successorem nonnisi duobus annis, Hartwicum denique non supra sex menses anno circiter 1117. praefuisse. Quod si itaque coniiciamus, et sane coniicere illud par est, *Dietpoldum* et socios eius cum iuuenes adhuc essent testimonium praebuisse sub Williramo Abbate, senes autem vel senectuti proximos fuisse sub Hartwico Abbate, facili negotio assequemur aeuum quoddam medium ad quod referenda videtur aetas *Arnolti Praesidis*, ipsa nempe seculi XII. incunabula.

Hoc postquam operose quidem sed certo assecuti sumus iuuat nos reperire *Arnoltum Comitem de Diezan* in charta [a] quae scripta est sub Meginhardo Episcopo Frisingensi. Hic enim Arnoltus est idem qui *Praeses Hallensis* euasit, eoque magis idem quod successor ipsius in praesidio Halensi, Engelbertum puta, restaurauit coenobium Atilense a Diessensibus fundatum.

At cum de Praesidio Hallensi hic maxime agatur operae pretium est in hanc siue prouinciam siue dignitatem inquirere, fidemque sic exsoluere qua nos obstrinximus, cum de Comitibus Neuburgensibus supra scriberemus.

§. II.

Video [b] anno 1002. Halae ius dixisse vel praesidem fuisse *Thiomonem* venerabilem Comitem et consanguineum Eberhardi Tegernseensis Abbatis, qui ipsum rogauit ut bona sua ad Hallam sita protegeret.

 Eber-

a) Instr. Fris. n. 1268.

b) Pez. Thes. Tom. VI. Cod. dipl. n. 32. ep. 5. et. 6.

Eberhardus dicitur [a] sponte ferulam abdicasse quia legitime electus non fuerat, suspicor tamen inuito ereptam fuisse, et ideo Theomonem vel Timonem eius consanguineum successisse [b] Monachis Tegernseensibus. Prostat Epistola [c] Beringeri Abbatis qui Eberhardo suffectus est, ad Heinricum Regem, qua querebatur de *Diemone Comite*, *qui monasterium persequeretur, seruos spoliaret*, *nauem vehendo vino destinatam et retia abstulisset.*

Habuit igitur *Diemo* ditionem quam praeterfluebat fluuius nauibus vehendis aptus et cum Danubio confluens quo aduerso vina Tegernseam ex Austria ferebantur.

Nunc lege sis diploma Heinrici II. Regis anno 1005. datum [d] quo villam, *Flinspach* dictam, sitam ait in pago *Sweinichgowin* et in Comitatu Tiemonis Comitis. Aliae eiusdem Regis litterae nos edocent a. 1009. villam *Helingerinperch* prope monasterium *Altabense* fuisse in *Comitatu* Thiemonis Praesidis.

Sisto tibi, ut vides, Thiemonem Praesidem et apud Hallenses potentem. Ne dubites igitur quin Praeses Hallensis fuerit, Comitatum vero illic fere habuerit ubi Oenus Danubium influit.

§. III.

Inter proceres Baioariae quos Chunigunda a. 1025. consiliis adhibuit post *Adalberonem* et ante *Popponem* nuncupatur Tiemo Comes tunc iam grandaeuus, quandoquidem post Comites primus omnium testis legitur Heinricus filius Tiemonis Comitis.

Vi-

a) Oefel. T. II. p. 69.
b) Pez. ub. s. n. 33. ep. 1.
c) Ibid. ep. 5.
d) Hund. Metrop. T. II. p. 15. seq.

Vixit adhuc Tiemo anno 1028. quo ſcripta fuit charta Emmeramenſis [a] de largitione Gotscalci, *facta ſunt haec anno Dom. Incarnationis* 1028. *regnante Henrico Imper. filio Chunradi, Epiſcopo Ratisponenſi Gebehardo II. Abbate Ribcholfo, Aduocato eiusdem* DIOECESIS TIMONE DE FORMBACH, *qui hoc praeſentes audierunt et viderunt.*

Si quis enim perpenderit ea quae de fundatione Monaſterii S. Nicolai in ſuburbio Paſſauienſi in vulgus nota ſunt, vix non adigetur ut mecum credat TIMONEM DE FORMBACH eumdem fuiſſe cum TIMONE COMITE noſtro.

Coenobium Formabacenſe fundatum eſt anno 1050. vel circiter, ut vult Auentinus, quem lubenter ſequor, quamuis litterae in hanc rem ſcriptae quas vetuſtiſſimas habeamus, annum 1074. in calce referant. Sed qui eas attente legerit facile deprehendet vetuſtiores alias fuiſſe quas tunc demum confirmauit Altmannus Epiſcopus Patauienſis [b]. Fundator fuit ipſe Altmannus „*adiuuante „ feliciſſima Imperatrice Agnete, multaque contulit de ſuis dominica„ libus; nonnulla Agnes Imperatrix, multa terrae nobiles quorum auxi„ lium fauorabile acceſſit, cumque illi agri in diuerſis terrarum partibus „ eſſent poſiti, ut ii ab aliorum Aduocatorum ſeruitio liberi omnino „ eſſent Altmannus* DOMINVM HENRICVM DE VORNBACH COMI„ TEM PROVINCIALEM *ex utraque parte Oeni fluminis ſuper omnia prae„ dia dicti monaſterii quocumque in loco in Baioaria eſſent poſita Ad„ uocatum perpetuum duxit ordinandum (eique hac de cauſa dedit) duo„ decim vineas in Roetarn caſtro ſuo adjacentes Griesbach cum aliis prae„ diis et agris ad culturam eorum pertinentibus. Idem autem nobilis Co„ mes pro exhibito ſibi Aduocati honore donauit eisdem fratribus pro jure „ perpetuo ut in ſuo* FORESTO CASTRO SVO NEVBVRGENSI *contiguo re„ cipere*

a) Cod. S. Emm. Pezii. c. 51.　　b) Hund. Metrop. T. II. p. 366.

„ *cipere omni tempore debeant omnia ligna &c. Dominum vero Leupol-*
„ *dum piissimum Marchionem terrae Australis super Curiam in Mauturn*
„ *et generaliter super omnia praedia in sui Marchionatus districtu posita*
„ *Altmannus Aduocatum instituit.*

Erunt profecto quibus displiceat terram Australem a Baioaria distingui. Sed ita quoque distinguebatur a Baioaria tractus ille in quo fontes sunt Regani fluuii. Magis suspectum est quod ab anno 1064. quo Altmannus Episcopus euasit, et etiam ab anno 1043. quo obiit Luitpoldus Adalberti filius, usque ad annum 1074. quo scriptae dicuntur litterae, nullus fuerit in terra Australi Princeps qui Leupoldus diceretur.

Obiit Aº 1043. Luitpoldus Adalberti filius. Obiit Adalbertus filio superstes Aº 1056. successorem relinquens Ernestum quem anno 1075. in proelio caesum excepit tandem filius unicus Luipoldus Pulcher cognominatus. Credo itaque anno MLXXIV. quem praefert charta substituendum esse annum MLXXXIV. vel LXXVI. ita ut et *Heinricus* reuera *Comes Prouincialis* et Luipoldus Marchio fuerint quo tempore eos ita compellabat Altmannus.

Interim certum est Heinricum qui circa annum 1080. rerum potiebatur unum fuisse ex successoribus et haeredibus Tiemonis I. Praesidis, distinguendus tamen omnino ab Henrico illo qui anno 1025. dictus est filius eiusdem et jam adultus erat.

§. IV.

Caeterum Henricus noster II. de Vornbach nuncupatur, castra *Neuburg* et *Griessbach* possedit et ita prorsus comparatus est, ut dubitare non liceat quin haeres fuerit Tiemonis I. At medio inter pri-

primum alterumque Henricum aeuo praesto habemus alium Principem qui aeque certus haeres erat Tiemonis I.

Dictus est is *Tiemo* vel Dietmarus. DIETMARVS PRAESES anno 1040. ab Heinrico III. producitur in litteris [a] quibus Ecclesiae Rinichnachensi confirmat praedia *sita in Sweincowa in Comitatibus Adalberti Marchionis et* DIETMARI PRAESIDIS. *Dietmari* ergo *Praesidis* Comitatus idem fuit qui 40. ante annos fuerat Tiemonis I. Adde quod villa Helingerisberk prope Monasterium Altahense quae a. 1009. sita erat in COMITATV TIEMONIS I. PRAESIDIS anno 1049. sita dicatur in COMITATV TIEMONIS II. PRAESIDIS.

Certum itaque est Tiemonem II. filium et successorem fuisse Tiemonis I. At ditiones eius partitus est cum fratre Heinrico, cui filias tribuo *Himildrudam* et *Iuotam* matronas nobis celebratissimas ditissimasque quae posterorum Tiemonis cohaeredes fuerunt.

Nominaui Ottonem Schirensem Iuotae maritum. Himildrudae coniugem et filium suppeditat mihi charta Emmeramensis [b] quae hanc matronam viduam exhibet, et tradentem cum manu filii sui HERIMANNI *ob requiem animae Domini sui* HEINRICI *totam dimidietatem praedii sui nuncupamine Weleisdorff cum lege reuersionis ad proximum eiusdem Dominae haeredem.*

Coaeua fuit Himildruda Tiemoni II. Eadem enim est cui adscribunt fundationem Formbacensis monasterii, qua de re lubet audire Beringerum I. Abbatem circa annum 1100. scribentem. [c]

a) Hund. T. II. p. 27.
b) Cod. Emmer. Pez. c. 56.
c) Hund. T. II. p. 220.

„ *Tradidit inprimis Domina* HIMELDRVD *venerabilis matrona ad* „ *eamdem Ecclesiam cum manu Aduocati sui haec suae proprietatis loca*, „ *villam scilicet Chemnaten*, *Winebartesheimin*, *Machingen*, *Harteim* „ *etc. accepit quidem eadem ipsa materfamilias* THIEMONEM COMITEM „ IN ADVOCATVM *sibi*, *etiam dictae Ecclesiae et his omnibus*, *qui*, *vel* „ *quae ad hanc pertinent ea ratione et complacitatione ut is post illum eius-* „ *dem Aduocationis curam et regimen susciperet*, *qui in filiis eius primus* „ *esset aetate*, *et sic simili modo de filiis in filios suae posteritatis huius* „ *tutelae procuratio transiret.*„

Aut igitur tunc obierat Herimannus, aut morem gessit Himildruda legi quae adhuc tum vigebat, cuiusque intuitu Heinricus IV. anno 1073. affirmauit *legitimam successionem Aduocatorum Rotensis Monasterii cessauisse mortuo sine liberis filio* (fundatoris) QVIA AD FILIOS FILIAE EIVS ILLVD NON PERTINEBAT.

Lege itaque egit Himildruda cum Thiemonem patruum instituit Formbacensis Ecclesiae Aduocatum. Quis fuerit Heinricus coniux Himildrudae nondum scio.

§. V.

Tiemo II. coaetaneus erat Egilberti Episcopi Passauiensis, quocum pactum iniit intra annos 1045. et 1065. Docemur vero ex huiusce pacti litteris [a] Tiemonem II. auum fuisse ODALRICI et HERMANNI Comitum qui patrem salutabant Meginhardum Comitem [b] Filius itaque Tiemonis II. fuit *Meginhardus Comes.*

Idem Thiemo II. teste Beringero Abbate auus fuit *Eckperti Comitis* qui Beringerum ipse Abbatem instituit anno 1094. *Eckbertus*

a) Hund. c. l. p. 221.

b) v. narrat. de transit. aquae ibid.

tus vero et Heinricus II. frater eius iuxta eamdem, quam modo citauimus, narrationem filii fuerunt TIEMONIS III. COMITIS. Conſtat ergo Tiemonem III. filium quoque fuiſſe Tiemonis II.

Tertium eiusdem Tiemonis III. filium, ſed cuius poſteros huc uſque nescimus, indigitat Heinricus III. Imperator in diplomate [a] an. 1048. quo profitetur VDALRICVM filium TIEMONIS II. COMITIS *praedia babere* IN ORIENTALI PAGO IVXTA FLVMEN SWARZHA, quem, docente Conrado Imperatore, rigabat quoque fluuius Regin. [b]

Eadem narratione teſte Tiemo III. filiam Eckbertus et Heinricus ſororem habuerunt Itam. Addamus tertium fratrem Thimonem IV. ſcilicet vel Dietmarum qui floruit ineunte ſaeculo duodecimo, *quique poſtmodum Abbas apud Ozziacb claruit; is enim fuit patruus Ekberti II. Senioris Comitis de Putene*, qui filius erat Ekberti noſtri I. pater vero Ekberti III. Iunioris et Putenenſium ultimi. [c]

Itam obiter notabo Comitiſſam fuiſſe *de Burcbuſun*, et Miniſterialem habuiſſe Diepoldum de Loheim. Domina Ita in narratione de tranſitu aquae ſine adiecto titulo occurrit, in charta vero largitionis [d] quam fecit Eccleſiae Formbacenſi, nuncupatur DOMINA ITA COMETISSA DE BVRCHVSEN. Fuit itaque uxor SIGIHARDI Comitis a. 1104. occiſi ſi rationes noſtrae conſtant. Et reuera *Sigebardus Comes* poſt *Hermannum* Itae patrem primus teſtis fuit cum Adalricus Hermanni frater nepos Tiemonis II. largitionem faceret. [e]

a) Hund. T. II. p. 18.
b) p. 26.
c) Vita S. Gebehardi Can ub. ſ. p 442.
d) Hund. ub. ſ. p. 223.
e) Ibid. p. 221.

Eadem eſt illa haud dubie quae in necrologio Mellicenſi dicitur *Ita Comitiſſa de Scala*, quia nempe Sigehardus Comes fuit de *Burchuſa et de Scala*. Obiit Ita 5. nonas Martii. [a]

§. VI.

Non negligam hanc occaſionem recenſendae familiae nobiliſſimae quae a Tiemone II. originem duxit.

Odalricus Meginhardi filius cognomen habuit a caſtro Windenberge [b] ſed tranſiit poſtea hoc cognomen ad *Herimannum fratrem* eius qui dictus eſt itidem Herimannus *Comes de Windeberg* [c] Vdalricus vero a *Ratilinberge* dici maluit, quod aſtruo ex Chronico incerti autoris apud Caniſium [d] ubi legitur anno 1097. obiiſſe *Vdalricum de Ratilinesberg*. Scio autem Vdalricum hunc noſtrum eſſe 1º quia Conradus filius eius et nepos Herimanni dictus eſt Comes Conradus de Ratilinberge [e] 2º ex charta cuius teſtis eſt cum Erneſto Marchione adeoque ante annum 1075. VDALRICVS COMES DE RATELNBERGE. [f] Suſpicor Conradum eiusdem filium ſine prole obiiſſe, quandoquidem traditio quam Herimanno patruo faciendam moriturus commendauerat, is vero morte praeuentus non fecerat, abſoluit Comitiſſa Hediwiga vidua Herimanni I. et filius *utriusque Herimannus II.* [g]

Coniux Vdalrici fuit *Machilt* (vel Mechtild.) [h]

Suſpicor hos Principes *a Windeberge* dictos, coniunctiſſimos fuiſſe cum illis *Comitibus de Bogen* qui itidem cognominati ſunt a *Wind-*

a) Pez. Script. Rerum Auſtr. T. I.
b) Hund. T. II. p. 221.
c) p. 222.
d) Tom. III. P. II. p. 258.
e) Hund. T. II. p. 221. et 222.
f) Hund. Stammb. P. I. p. 126.
g) Hund. Metrop. T. II. p. 222.
h) Ibid. T. II. p. 221.

Windberg et Aduocati fuerunt Altahenses atque Ratisbonenses, eumdemque Comitatum habuerunt qui fuerat Thiemois I. Sed cruda haec sunt adhuc et indigesta.

Ex eadem charta quae Vdalricum de Ratelnperge nobis exhibuit haurio, ante annum 1075. vixisse *Geberhardum Comitem de Vornpach* quem credo fratrem fuisse Ekkeberti, Heinrici et Itae, hacque de causa unum e filiis Itae nomen habuisse Gebehardi Comitis de Burchusa a nomine scilicet auunculi.

§. VII.

Heinricus II. Eckeberti frater Tiemonis II. ex filio Tiemone III. nepos, idem procul dubio fuit, qui anno 1086. nam hoc tempus mihi maxime placet, dictus est COMES PROVINCIALIS creatusque Aduocatus S. Nicolai in suburbio Passauiensi: fuit itaque et ipse Praeses Hallensis, ipsique, si aetatem utriusque rite compares, succedere debuit *Arnolt Praeses Hallensis*.

Ekkeberto I. Comiti Heinrici III. fratri natu maiori contigit Aduocatia Formbacensis Ecclesiae quam in Abbatiam mutauit anno 1094. *conuocatis* ob id ipsum *praeter alios et consultis* MARCHIONIBVS [a].

Marchiones isti fuerunt opinor, Luipoldus Marchio Austriae, *Gotfridus Marchio de Putina* urbe metropoli versus Pannoniam. Gotfridi huius filia nupsit Ekkeberto Comiti de Neun-

 burg

a) Hund. T. II. 220.

burg[a] imo huic nostro. Hinc est quod Eckpertus cum largitiones Ecclesiae Formbacensi faceret *de sua et mulieris suae haereditate annuentibus filiis eorum, praeter praedia in Hartheim dedit Ecclesias parochiales duas, unam sub castello Butino Parochiam Butinensem et alteram in villa Neukirchen in orientali plaga.*

Nomen matronae fuit Mechtildis, eiusque iurium ergo adeptus est Eckbertus Marchiam Butinensem.

Ex Mechtilde duos saltem filios suscepit Eckebertus I. *Eberhardum* et Eckebertum II. [b].

Eckeberto Iuniori vel II. nupsit Willipirga ex qua genuit Eckebertum III. ut nos docent monumenta a Gewoldo collecta [c]. Hic Ekkebertus cum ultimus fuerit ex hac domo Neoburgensi alibi quoque a nobis memorabitur.

§. VIII.

Ex iisdem monumentis a Gewoldo collectis eruimus quoque Eckeberto I. coaetuum ab eoque testem adhibitum fuisse *Dietricum Comitem* de *Formbach* [d].

Alibi dicitur Abbas Wernt nonnihil impetrasse a Domino *Dietrico Comite* et eius coniuge *Adelheida.* [e] Adde sis quod cum Ecke-

a) Excerpt. Passav. ap. Oefel. T. I. p. 710

b) Hund l. c. p. 222.

c) Ibid. p. 223.

d) Ibid. p. 220.

e) Ibid. 222.

Eckebertus I. Comes largitionem faceret hi teſtes fuerint, DIETRICVS COMES *nepos* IPSIVS *Dominus Rapato filius Ducis Engilberti* a.

Occurrit tandem *Dominus Dietricus Comes* DE VIECHTENSTEIN faciens traditionem *pro remedio tam ſuae animae quam uxoris ſuae Dominae Adelheidae.*

Nomen aeuumque Rapatonis indicat Eckebertum Comitem cuius nepos fuit Dietricus fuiſſe Eckebertum II. Willibirgae coniugem. At manifeſtum fere eſt Dietricum duo cognomina habuiſſe modoque a Formbach, a Vichtenſtein modo cognominari conſueuiſſe.

Superſtes fuit adhuc Dietricus Comes anno 1126. quo ſub Imperatore Lothario et *Epiſcopo Paſſauienſi Regimaro* Aduocatus erat Eccleſiae S. Nicolai in ſuburbio Paſſauienſi, ut nos docent litterae b. Leupoldi Marchionis et Agnetis uxoris eius.

Aliquot iam annos Aduocatiam S. Nicolai tunc geſſerat *Dietricus* Comes. Scimus c. enim *Dietricum Aduocatum* dediſſe S. Nicolao praedium unum in Chrenenreich antequam Vdalricus I. Epiſcopus Paſſauienſis coenobium illud litteris ſuis muniret; at Vdalricus obiit anno 1124.

Regimbertus Vdalrici ſucceſſor ſimiles litteras coenobio S. Nicolai conceſſit praeſente *Comite Dietrico fratrum Aduocato.*

Mem-

a) ibid. 223.
b) Hund. Metrop. T. II. p. 395.
c) Ibid. p. 381.

Meminiſti Aduocatiam S. Nicolai ab Altmanno Epiſcopo datam fuiſſe Heinrico de Vornbach Prouinciali et Neuburgenſi Griesbacenſique Comiti. Non dubitabis itaque quin Dietricus Comes de Vornbach et Viechtenſtein iuxta Greisbachum, et Aduocatus S. Nicolai haeres fuerit Heinrici Comitis Prouincialis vel Praeſidis Hallenſis.

At ante obitum quoque Vdalrici I. Epiſcopi vixit Comes quidam *Gebbardus*, qui in litteris Vdalrici ſtatim poſt Dietricum dicitur dediſſe S. Nicolao *Schacham cum pertinentiis ſuis*.

Habes igitur *Dietricum* et *Gebbardum* illos de quibus ita in Necrologio Dieſſenſi: *Iunii Kalendis Dietricus Comes noſtras obiit frater Bertholdi* Comitis fundatoris noſtri. 6. *nonas Octobris Gebebardus Comes frater Bertholdi Comitis fundatoris noſtri.*

Has nugas non eſſe facile deprehendet quisquis perpenderit *Arnoltum Bertholdi* patrem Praeſidem fuiſſe Hallenſem, *Engelbertum* vero Comitem *Hallenſem* de Viechtenſtein et Waſſerburg, qui a. 1140. poſtque vixit, filium habuiſſe Dietricum qui Comes et ipſe fuit de Viechtenſtein et *Gebbardum*, qui Comes Hallenſis dictus eſt.

Ca-

Castrum Viechtenstein mansit penes Wasserburgenses Comites usque ad annum 1218. quo Conradus Comes de Wasserburg Comitatum suum oppignorauit Vdalrico II. Episcopo Passauiensi a.

Dubium igitur non est quin *Dietricus* et *Gebhardus* alter Comes de Vormbach et Wiechtenstein aduocatusque S. Nicolai, alter benefactor S. Nicolai, pertinuerint ad domum quae postea Wasserburgensis dicta fuit.

Aliunde constat utrumque et Engelbertum quoque Halensium Comitem haeredes fuisse *Heinrici de Formbach* Praesidis Hallensis, et coenobii Atilensis a principibus de Diezen fundati.

Si is ego essem qui omnia inuadere vellem, quid obstaret quominus *Dietricum* et *Gebhardum* reuera filios fuisse pronunciem *Arnolti* Comitis de Diezen et Praesidis Hallensis, alterum ex iis genuisse Engelbertum Halensium Comitem adeoque Domum Vasserburgensem ex Andechsensi prodiisse. Id vero nec credo, nec dicam, error enim mihi non placet, quantumuis speciosus. Hoc vero credo dicoque omnino *Arnoldum de Diezen* duxisse filiam Heinrici II. Comitis prouincialis, ideoque praesidem Hallensem fuisse: hanc viduam tunc fuisse amisso coniuge ex quo mater iam fuerat Dietrici et Gebhardi; Arnoldum uxori in proprium

a) Hund. Metrop. T. I. p. 208.

dedisse ditionem Atilensem, ut tunc mos erat, mortua vero matrona potentissima, quam Agnetem nuncupare licet, diuisam fuisse eius haereditatem inter tres filios; Dietrico contigisse castra Viechtenstein et Vornbach, quae paterna Giselae praedia fuerant, et Aduocatiam S. Nicolai; Gebehardo Praesidium Hallense, ut saltem suspicor; et alterutri illorum praeterae cessisse ditionem Atilensem ipsis opportunissimam, quippe vicinam castris Wasserburgo et Lintburgo antiquis huiusce Domus possessionibus; *Berchtoldo* denique Agnetis ex Arnoldo filio datum fuisse Comitatum ad Iltzam ultra Danubium, et Scherdingam aliaque praedia vicina quae reuera scimus contigisse Principibus Andechsensibus.

Addam alterum ex fratribus Gebehardo et Dietrico prole caruisse. Dietricum credo, cum in largitione quam is pro anima sua et uxoris fecit filiorum non meminerit: opinor itaque Gebehardi filium fuisse Engelbertum Comitem Halensium, ut dici amabat, quandoquidem praeter hunc Comitatum certo certius possedit quoque ditionem Atilensem, et castra Wasserburg et Viechtenstein. De hoc Engilberto Comite Hallensi et eius filiis Gebhardo et Dietricho abundant monumenta. Satis itaque mihi erit laudauisse Chronicon Reicherspergense [a]. „ *Anno* 1169. *unus de magnis et nobilissimis* „ *Regni Principibus Dominus Gebhardus Hallensis Comes, filius Domini* „ *Engelberti item Hallensis Comitis, gloriam mundi ingentesque diuitias* „ *relinquens cum esset admodum iuuenis, una cum matre sua venerabili et* „ *nobilissima matrona Domina Haedewig ad monasterium* Richerpergense „ *ubi et duae sorores eius filiae eiusdem Comitissae regulariter et religiose viuebant, diuertit Domino deinceps inibi militaturus cum seculo in armis militasset per annos fere tredecim.*

„ *An-*

a) ap. Ludewig. Script. rer. Germ. Tom. II. col. 305.

„ *Anno* 1170. *Domina Hadeuuich ex Comitiſſa conuerſa feliciter* „ *quieuit in Domino* 3. *Non. Februarii.*

Anno 1180. *obiit Dominus Gebebardus* 17. *Kal. Nouembris ex Comite ſubdiaconus.*

Luitgarda f. Engelberti de Hallon ex [illegible] nupsit Adelberto [illegible] Comiti [illegible] peperit Bertholdu Conradum Adelbertum [illegible] filiam.
vid. [illegible] Coll. 2. p. 21 Chron. [illegible]

Tabula XXV.

Comites de Vornbach, Wafferburg et Neuburg ad Oenum

Thiemo I. Comes feu Praefes Halenfis ex gente Vornpacenfi a 1002. — 1028.

Heinricus I. de Vornbach et Neuburg a. 1025. fequ.

Thiemo II. Hallenfis Praefes a. 1040. 1049.

Himiltrud nupta Heinrico de N.

Iuota uxor Ottonis Schirenfis p. tab. XXIII.

Meginhardus Comes.

Tiemo III. Comes.

Vdalricus I. Comes a. 1048.

Vdalricus II. Comes de Windberg et Ratilinberg circa a. 1070. fq. Vx. Mathild.

Hermannus I. Comes de Windberg Vx. Hedwig.

Conradus † ante patrem.

Hedwig nupta Alberto Begenfi v. Cap. IV.

Hermannus II. Comes de Windberg.

Bertholdus de Bogen cognatus Bertholdi IX. de Andechs

Ekbertus I. Comes a. 1094. Vx. Mathild filia Gotfridi Marchionis de Butene.

Heinricus II. Comes Ao. 1080. 1086. Comes Prouincialis.

Tiemo Ita IV. nupta Sigehardo V. Comiti de Burghaufen fq. Tab.

Eckbertus II. Vx. Willipiriga.

Eckbertus III. gentis Butenenfium ultimus.

Agnes nupta 1. N. N. 2. Arnoldo VI. de Dieffen qui iure uxorio factus eft Praefes Hallenfis v. tab. XXIV.

Dietericus Comes de Fichtenftein et Vornbach.

Gebhardus Praefes et Comes Neuburgi.

Bertholdus IX. Andeccenfis et de Dieffen praecipuus fundator Abbatiae Dieffenfis v. tab. XXIV.

Engelbertus Comes Halenfis Atilenfis Coenobii reftaurator Ao. 1060. Vxor Hedwig.

Gebhardus II. Comes † 1180.

Dietericus II. &c.

CAPVT



CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS.

De Comitibus Andechsensibus iterum. Stemma ipsorum ab Arnolfo qui, seculo XII. ineunte, Praeses Hallensis fuit ad Bertholdum Primum Meraniae Ducem a. 1180. usque producitur. Exploditur fabula qua Diuus Otto Bambergensis Episcopus inter Andechsenses refertur. De latifundiis Meranensium Ducum. Inquiritur in titulum quo ipsa et Ducatum, Istriaeque Marchiam acquisierunt Andechsenses.

§. I.

Satis operose exsecuti sumus capite superiore quicquid de Vornbacensi Halensium Comitum gente notatu quam maxime dignum videbatur, simulque dum lucem affunderemus Stemmati celebratissimo, *Arnoldum Diesensem Halensium Comitem* e tenebris, quibus obruta erat viri egregii memoria, generi parentibusque imo et posteris restituimus. Constat enim mihi, fortassis et tibi, Lector, Arnoldum VI. Diessensem, ineunte seculo XII. clarum, filium fuisse Arnoldi V. Diessensis qui anno circiter 1080. exuuias deposuit mortales. Nec minus mihi constat Arnoldum VI. qui et Praeses Halensis erat genuisse *Bertholdum IX. Diessensis* Monasterii fundatorem. Legisti argumenta quae in istam me induxerunt opinionem. Aetas congrua, successionis ordo, imo et necessitudo quae Bertholdum inter et Dietericum Halensem intercedebat,

bat, alio vix modo explicanda, quam illo quem ego quidem inilui; nil ergo nos morabitur quin ulterius progrediamur.

Arnoldo VI. fratrem, Arnoldo V. Atilensium fundatori filium fuisse *Conradum* colligo ex charta Admontensi [a] a. 1153. in qua prouocatur ad largitionem a Bertholdo IX. factam *unius salinae in villa Halle iuxta Salzburch quae ad eum mortuo* PATRVO SVO CHVNRADO CLERICO DE DIEZEN *haereditario* iure peruenerat. Necrologium Diessense ad *Idus Maii* refert obitum: *Chunradi Canonici huius loci quondam possessoris &c.*

Sororem quoque Arnolfi VI. nouimus *Hemmam* nuptam *Waltherio* Aduocato Ebersbergensi, cuius filius Waltherius Comes largitionem fecit [b]. Ebersbergensibus *pro anima matris suae Hemmae et pro anima* AVVNCVLI SVI COMITIS ARNOLFI etc.

Bertholdum IX. Diessensem et Andechsensem Comitem, eiusque filium Bertholdum X. quod attinet prostant magno numero chartae memoriae ipsorum dicatae. Vnas allegabo litteras anno 1140. scriptas, quae utrumque simul exhibent; litteras scilicet Luipaldi Austriaci Baioariae Ducis [c] quarum testis nuncupatur PERTHOLT filius PERTHOLDI COMITIS DE ANDEHSE; quae formula satis superque indicat superstitem tunc fuisse adhuc *Bertholdum Patrem*; huncque adeo eundem esse qui cum CONIVGE SVA SOPHIA A° 1132. sedi Apostolicae obtulit coenobium Diessense. [d]

§. II.

a) Cod. Admont. Cap. 25. ap. Pezium.

b) Cod. Tradit. Ebersb. c. 162. ap. Oefel.

c) Orig. Guelf. Lib. VI. prob. n. 89.

d) Hund. Metrop. T. II.

§. II.

Dicunt recentiores ad unum fere omnes Bertholdo IX. praeter Bertholdum X. peperisse quoque Sophiam Diuum Ottonem Bambergensium Episcopum. Dixit idem Koehlerus, vir maximae autoritatis, dum Ducum Meraniae originem historiamque ex instituto prosequeretur; scilicet Bertholdum Sophiae maritum Diessensis Abbatiae fundatorem A°. 1132. diem obiisse supremum autumat; huicque filium cum Hundio aliisque bene multis tribuit quem modo nominaui Ottonem I. Bambergensem Episcopum, Diuamque Mathildam.

At vero misere heic turbantur omnia. Ansam errori dedisse videntur litterae, Ottonis Bambergensium Episcopi, anno, si Diis placet, 1002. datae quibus Otto Monasterio Andeccensi concessit *Sacramentum S. Gregorii Papae*, PRECIBVS PATRIS NOSTRI CARNALIS PERTHOLDI COMITIS DE ANDESS, ET IVSTIS POSTVLATIONIBVS FRATRIS NOSTRI BERTHOLDI MARCHIONIS ISTRIAE.

Clara sunt haec si librarii errorem in aera commissum excipias. Nec is ego sum qui negem vixisse *Ottonem Bambergensem Episcopum*, qui filius fuerit Bertholdi Andeccensis. Legi sane plusque vice una relegi cartam [a] qua *Otto Episcopus Bambergensis frater* BERTHOLDI MARCHIONIS Ecclesiae Diessensi donauit praedium suum *Chirchaim*, sed Otto ille, teste Necrologio Diessensi a Luitoldo quodam consarcinato, obiit demum Kal. Maii A°. 1196. nec Sancti encomio uspiam ornatur: indicio manifesto diuersum ipsum longe fuisse ab *Ottone Sancto.* Nec de nihilo est quod Luitoldus idem, dum Non. Septembr. obitum refert *Sophiae* disertis verbis ipsam

a) Monum. Diessens. n. 62. ap. Oefel. T. II.

ipſam *matrem* vocat *beatae* Mathildis; diſertis verbis alibi VI. Kal. Iul. *Bertholdum Comitem*, Dieſſenſis coenobii *fundatorem Patrem* nuncupat Beatae *Mathildis Abbatiſſae*; nulla de Ottone, qui beatos inter diuosque aeque iam tunc relatus erat, facta mentione.

Verum enim vero ſi haec omnia ſeponas obſtabit ſemper temporis ratio, quae in his quidem rebus tutiſſima norma eſt, quo minus Diuus Otto Bertholdo et Sophia natus dici queat. Concedunt omnes Diuum Ottonem ferulam adeptum eſſe anno 1102. poſtquam in aula Caeſaris Heinrici IV. ut Capellanus aliquantiſper meruerat; triginta annos ipſum natum tunc fuiſſe nemo facile negabit, adeoque natum circa a. 1070.

At vero Bertholdus Comes atque Sophia Ottonis, ut aiunt, Parentes ſuperſtites adhuc fuerunt poſt annum 1152. En tibi ſiſto Lector aſſerti probationem, quam vix dedignabere.

Noſti Fridericum I. Caeſarem ſolium conſcendiſſe a. 1152. Audi iam Engelhardum, Biographum Stae Mathildis, et Meraniae Ducum Clientem haud dubium. Docet ille [a] Mathildem, cum Abbatiſſa eſſet in *Oetiliſteten* vocatam eſſe ad aulam a Friderico tunc Imperatore cvivs cognata erat; inde reducem *aegrotaſſe et in Diezzen reuerti voluiſſe, ut ibi vita fungeretur ubi viuendi initium fecerat.* „ *Ibi conuertens ſe ad* PARENTES B. MATHILDIS [b] PATREM SVVM BERTHOLDVM ET MATREM SVAM SOPHIAM *coram* „ *omnibus lenta voce ſic alloquitur:* O PATER *memor eſto quod me iuuenculam deſtinaſti in hanc eccleſiam . . . num, pater mi, ſi me deſponſaſſes viro mortali, nonne illi partem ſubſtantiae tuae, nomine dotis,* „ *mecum*

a) c. 17. b) Ibid. c. 21.

„ *mecum tribuiſſes, et isdem deinceps, non ſolum pro genero, immo pro* „ *haerede totius tuae ſubſtantiae ſe geſſiſſet. Cognoſce igitur, Pater Pie,* „ *quod Eccleſia* DIEZZEN A TE ET PROSAPIA *mea fundata ſita eſt in loco* „ *nemoroſo, aquoſo et infructuoſo. Da ergo pater chariſſime ſponſo meo* „ *immortali non de tuis ſed de ſuis decimam ſubſtantiae tuae quam habere* „ *dignoſceris circa Iſaram in confinio Diengen.*„

ANNVIT PATER B. MAETHILDIS COMES BERTHOLDVS. Tempore opus fuit ut adduceretur decima de confinio Diengen „ *Interim Co-* „ *mes Bertholdus et mater Maethildis de ea noctu colloquuntur &c.*

Satis ſuperque ex iis manifeſtum eſt, Maethildi ſuperſtites fuiſſe Berchtoldum Comitem et coniugem *Sophiam*, ipſam vero virginem anno demum 1160. obiiſſe, et ſi iſtud negare velis, aut ſaltem in dubium reuocare, conſtabit utique vixiſſe ipſam adhuc aliquot annos poſtquam Fridericus Rex Germaniae ſalutatus fuiſſet.

Quod cum ita ſit A° 1160. ut ocius, obierunt Comes *Bertholdus* et uxor *Sophia* B. Mechtildis Parentes. Qui ergo fieri potuit ut parentes quoque eſſent viri, qui Capellanus fuit Heinrici IV. Imperatoris et anno iam 1102. ferulam Bambergenſem gerebat. Sed conſtat hinc quoque erraſſe illum qui Necrologio Luitoldi addidit annum funebrem *Bertholdi* ſcilicet a. 1151.

§. III.

Obſtare quidem videntur litterae Eberhardi Archiepiscopi Dieſſenſi coenobio datae, ex quibus coniici poſſet *Berchtoldum* Sophiae maritum obiiſſe ante annum 1153. At ſi rem diligentius

inſpicimus deprehendemus has litteras aut mendo laborare in temporis nota, aut ex aliis duabus conflatas fuiſſe. Quid enim ſibi volunt duae donationes in iisdem litteris hiſtorice magis quam diplomatice narratae? fas ſit ergo affirmare *Berchtoldum* Dieſſenſium fundatorem, maritum ſcilicet Sophiae largitionem feciſſe anno 1153. hancque aeram male quidem translatam fuiſſe ad donationem quam fecit eius filius.

Dubium aliud mouere poſſet Berchtoldus ille qui in primo Necrologio Luitoldi obiiſſe dicitur 2. *idus Decembris anno* 1138. atque vocatur MARCHIO DE ANDECHS ET FILIVS BERCHTOLDI FVNDATORIS DIEZENSIS. At vero Berchtoldus fundator filiusque ipſius aequiuocus ſimul adhuc occurrunt in litteris Luipaldinis A° 1140. exaratis. Nec, quod maxime notes velim A° 1138. Marchia Iſtriae, a qua ſola Andechſenſes dicti ſunt *Marchiones*, ad gentem illorum iam pertinebat. Cum vero eliminamus Berchtoldum illum qui Koelero Secundus eſt, et *Marchio Iſtriae* dicitur, cadit eo ipſo connubium eius cum *Agnete* Neoburgenſi. Cadit quod Berthcldum ipſius Coniugem *adiutorem* dicunt fuiſſe *fundationis Formbacenſis* dato praedio Bubendorf. Concedo quidem lubenter praedium illud dediſſe Berchtoldum, Sophiae maritum, eccleſiae, quae ipſi quaſi domeſtica erat, concedam quoque Berchtoldum hunc haeredem quoad partem eſſe potuiſſe Ekkeberti de Putene [a]. qui adhuc viuebat anno 1157. et *Marchio* quoque dicebatur. Scilicet Bertholdus noſter cognatus erat Ekberti, ex matre quam Agnetem nuncupatam eſſe dicemus, ut ſic ſaltem nomen a Koehlero aliisque recentiorum feminae Fornbacenſi, Andechſenſi viro nuptae, inditum ſeruemus.

Haec

a) Origines Guelphic. L. VI. Prob. n. 109.

Haec feries Andechfenfium afferenda erat ne quis amplius titubaret in diuo Ottone, quem palam eft filium effe non potuiffe viri circa a. 1160. defuncti, cum ipfe Episcopus euaferit anno 1102. nec fratrem viri qui obiit anno 1186. cum ipfe obierit iam grandaeuus anno 1136.

Sed lubet inquirere in gentem qua ortus eft Otto. Si Andream audiamus qui vitam ipfius defcripfit ex Commentariis Sefridi, Ottonis focii: *Duxit ille originem ex generofa ftirpe et parentibus fecundum carnem liberis ex Sueuia. Nam fummis Principibus pares erant,* SED OPIBVS IMPARES PATRE OTTONE ET MATRE ADELHAIDE. a.

Ex Sueuia ergo oriundus fuit Diuus Otto, non ex Baioaria, ubi Andechfenfes florebant, imo et fi haec minus te moueant dicendum foret circa annum 1060. vixiffe et procreandis liberis parem fuiffe Ottonem quendam Dieffenfem Adelheidae cuiusdam maritum.

Id vero qui congruat cum hiftoria Diezenfium fiue mea fiue aliorum, videant qui contendere volent Ottonem Diezenfem fuiffe.

Sed fufficiat Ottonem ex *prouincia Alemannorum* feu SVEVIA oriundum fuiffe, ut diferte tradit ipfius Biographus b. fufficiat quoque Beringerum Comitem de Sultzbach teftem profecto idoneum, cum Heinricus Imp. commendaret populo Babebergenfi Ottonem recens electum, fubmurmurantem „*Domi-*

a) ap. Ludew. Script. rer. Germ. T. II. p. 397. proleg.

b) loc. cit. cap. 2.

„ *ne*, proclamasse,[a] *nescimus* QVIS *vel* VNDE SIT *quem nobis pa-*
„ *storem assignasti. Cui Imperator, si,* VNDE SIT, QVAERIS, *Babe-*
„ *berg mater eius, ego autem pater ipsius sum.* Non mihi videtur Beringerus ita locuturus fuisse, nec Imperator ita responsurus, si Otto ex nobilissima Baioariae, cuius ipse Primas fuit Beringerus, familia oriundus fuisset.

Falso itaque creditum est hactenus Diuum Ottonem ex Domo Andechsensi sanguinem traxisse. Errori ansam dedit haud dubie Otto II. Bambergensis Episcopus qui utique Andechsensis fuit, de quo omne quod sciebant retulerunt ad Ottonem Primum.

Falsissimae itaque sunt litterae Ottonis de sacramento S. Gregorii, nec iis, ut spero, quisquam deinceps utetur ad peruertendam seriem Andechsensium Principum, aut si quid illis tribuendum est fidei ad Ottonem II. qui filius reuera fuit *Bertholdi de Andess* fraterque Bertholdi *Marchionis* referatur. Id sane per notam temporis litteris praefatis adscriptam quam maxime licet.

§. IV.

Bertholdum Hadewigae coniugem nouerat Koelerus ex Codice Benedicto Burano apud Pezium, recteque statuebat eum huius Monasterii Aduocatum fuisse anno 1161. quo lis ventilata est inter Burenses et Admuntenses de praedio in Elsendorf. Abbas sane Buranus litteris publicis agnouit finem concertationi a se impositum fuisse *ex petitione Domini* BERTHOLDI COMITIS ADVOCATI scilicet NOSTRI, et INTERVENTV VXORIS EIVS HADEWIGAE.

Nesci-

a) Ib. c. 8.

Neſciuit tamen Koelerus Bertholdum hunc (nobis X) Hadewigae coniugem filium fuiſſe Bertholdi IX. fundatoris ex *Sophia*, et fratrem habuiſſe *Popponem*. Quod patrem eius neſciebat in cauſa fuerunt contracta plus aequo vita Bertholdi Sophiae mariti, et intruſus poſt eum Berchtoldus Agnetis maritus. Popponem fratrem nobis exhibent litterae quibus BERCHTOLFVS COMES *de Diezzen praeſente uxore ſua Sophia et filiis ſuis* [a] POPPONE et BERCHTOLFO *tradidit Heilradam*.

Addimus litteras [b] quibus Oudalricus de Homeras tradidit quamdam haereditatis ſuae portionem *per manus Domini ſui* OTTONIS et HEINRICI *et* DOMINAE *ſuae* LAVRITTAE IN MANVS ADVOCATI COMITIS BERTOLFI, et FILII SVI POPPONIS, *qui Comes Poppo adſtipulatus eſt*. Quod cum ita ſit adultus iam fuit Poppo cum viueret adhuc Otto Laurittae maritus anno 1136. occiſus.

Rerum potiti ſunt ſimul *Comites Poppo et Bertholfus*. Exſtant enim Litterae [c] in quibus Bertolfus de Huſen dicitur Miniſterialis *Comitum Popponis* et *Bertholfi*.

Poppo, cum natu maior eſſet, Aduocatiam Burenſem geſſit ante fratrem qui ei in Aduocatia ſucceſſit. Recte vero in utroque Luitoldi Necrologio „ 3. *idus Decembris* POPPO COMES „ *obiit*, *ſepultus Conſtantinopoli*, FILIVS BERCHTHOLDI COMITIS FVN- „ DATORIS NOSTRI „

Improlem obiiſſe Popponem certum eſt quam maxime, nec tamen coelibem fuiſſe infra §. X. adſtruetur.

Popponis et *Berchtoldi* fratrum ſoror fuit Beata *Mechtildis*.

Ff 3 §. V.

a) Codex Tradit. Dieſſenſ. c. 57. ap. Oeſel.

b) Ibid. c. 59. et 64.

c) Ibid. c. 72.

§. V.

Diuae illius virginis Biographus multa nos edoceret, nisi plus aequo breuitati studuisset cum de familia Mechtildis dicendum erat.

„ *Maethildis*, [a] *nobilis carne, sed mente nobilior de sanguine* IMPERIALI *duxit* ORIGINEM *cum Fredericus eam vocaret ad curiam, ve-* „ *niat, inquit*, COGNATA MEA *Ratisbonam* [b] *qua visa, laetabatur* „ *quam maxime talem se habere* CONSORTEM GENERIS, *mirabatur san-* „ *ctissimam de non sanctis, et quasi rosam processisse de spinis.*„

Nemo quem nouerim hanc, siue cognationem siue consanguinitatem huc usque discutiendam suscepit.

Mechtildis in Diezzen redux ibi suscepta *fuit ut loci domina, equidem de Dyezzen sanguinem traxit et sanctitatem: Principis terrae filia* [c] Hinc est quod Hartwicus praepositus ad ipsam [d] „ *Princi-* „ *pes, inquit, genus tuum sunt, omnes tui gratia gratum habuerunt lo-* „ *cum, impenderunt beneficium, auerterunt omne contrarium . . te vi-* „ *uente pacem habuerunt nostri.*„

Mechtildis a patre obtinuit, ut daret decimas substantiae suae in Diengen. Hic locus iam notus est ex domicilio quod ibi habuit *Meginhardus Comes Palatinus*, et innotescet quoque ex sepultura *Iustitiae* Comitissae.

Quemadmodum ergo Wolfratshusani, de quibus infra, et Andechsenses coniunctas habuerunt possessiones et ditionem in Diez-

a) cap. 1.
b) Ibid. c. 17.
c) cap. 19.
d) c. 24.

Diezzen, ita et in Diengen, quod antiquum fuiſſe gentis huius dominium hoc ipſo arguitur.

Scimus tamen ex vita Mechthildis plures ei *fuiſſe fratres*. Ita enim Biographus [a] „ *reſpuit blandimenta*, *fugit colloquia*; *inde et fratres ſuos Principes vix videre conceſſit*, *et tam breuiter ut puncto eis aſſediſſe ſuffecerit*, *hinc eis carior quo eorum colloquia renuit.* „ Ex hoc non Sororem *ſed dominam* ſuam eam nominauerunt, coluerunt et honorauerunt. Vix itaque intelligi poteſt quod Mechtildis patri dicebat [b]. „*num pater mi*, *ſi me deſponſaſſes viro mortali*, *nonne illi partem ſubſtantiae tuae nomine dotis mecum tribuiſſes*, *et isdem deinceps non ſolum pro genero*, *immo pro haerede totius tuae ſubſtantiae ſe geſſiſſet.*„ Vix, inquam, id intelligi poteſt, niſi fatearis opulentiſſimas tunc dotes fuiſſe virginum, et ex affinitate haeredes aequa lance cum conſanguineis diuiſiſſe.

§. VI.

Berchtoldus Mechtildis Abbatiſſae frater et Hadewigae maritus primus eſt qui Marchio audiuit, ſi Necrologiis Dieſſenſibus fidem habemus; non vero ſtatim poſt patris mortem hoc titulo uſus eſt, quod liquet ex litteris, quas de eo laudaui. Nec elogium illud, tempore, quo frater obiit ipſi datum eſſe inde colligo, quod in Codice Diezzenſi occurrunt traditiones a Miniſterialibus *Comitis Bertolfi* factae, omiſſis aeque et nomine Popponis et titulo *Marchionis*.

Scimus praeterea ex monumentis Buranis Berchtoldum anno 1161. nonniſi Comitem de Andechsen audiuiſſe. Idem quoque titu-

a) cap. 5. b) Ib. c. 21.

titulus datus est illi „*anno proxime secuto*[a] *cum Comes Pertholdus de* „ *Andechs adigeret Comitem Pertholdum de Pogen ad faciendam coeno-* „ *bio Reicherspergensi delegationem praedii, quod ipse ei delegauerat anno* „ 1157. *cum pararet se ad* EXPEDITIONEM IN LONGOBARDIAM CVM „ IMPERATORE ADVERSVS MEDIOLANVM.

Nec anno 1164. Marchio erat Bertholdus siquidem in litteris fundationis coenobii Aspacensis [b]. hoc anno testis legitur *Berchtoldus Comes de Andechese.*

Immo recte mihi videor negare anno ipso 1170. supra Comitem fuisse Berchtoldum, cum in Chronico Reicherspergensi Heinricus Patauiensis electus dicatur sororius, id est ex sorore nepos COMITIS PERTHOLDI DE ANDECHSEN. Gisala Bertholdi soror ex Necrologio nobis iam nota, duxerat Dietpoldum Comitem Bergensem, cui peperit Heinricum Patauiensem.

Anno proxime secuto Heinricus Episcopatum abdicauit et electus est pro eo frater ipsius *videlicet Dominus Dietpoldus iuuenis admodum, similiter sororius* COMITIS PERTHOLDI anno 1172. Hoc itaque anno Marchionis elogium nondum meruerat *Berchtoldus*, quod etiam euincitur ex litteris ab Heinrico Duce Ecclesiae S. Zenonis concessis anno 1172. et quibus testis citatur COMES PERTOLDVS DE ANDECHSE. [c]

Vt igitur dicamus Berchtoldum Comitem Hadewigae maritum adeptum esse Marchiam Istriae solus huc usque Luitoldus suadet cum ait, „*Idibus Iulii* HADEWIC *Comitissa obiit anno* 1176. *uxor* „ BERTHOLDI MARCHIONIS *sepulta in Capitolio*; „ quod si confe-

ras

a) Chronic. Reichersperg. Ludew. Script. T. II. col. 282. et seqq.

b) Hund. Metrop. T. II. p. 76.

c) Hund. Metr. T. III. p. 356.

ras cum iis quae Luitoldus ad 2. Idus Decembris habet, ſcilicet *Bertholdum Marchionem Iſtriae* Bertholdi fundatoris filium obiiſſe *anno MCXXXVIII.* omnia ſuadent errorem irrepſiſſe, litteramque L. quae quinquagenarium numerum notat omiſſam fuiſſe. Si enim concedatur nobis et quis neget? Bertholdum Hadwigae maritum primum audiiſſe ex hac gente Marchionem; ſi certum eſt ipſum anno 1172. adhuc Comitis elogio uſum eſſe, quis ſanus credit Luitoldo, obiiſſe iam A° 1138. *Bertholdum Marchionem Bertholdi fundatoris filium?*

Hanc autem ſi admiſeris Necrologii Dieſſenſis caſtigationem, recte legemus in primo Necrologio „ 2° idus Decembris BERHTOLDVS MARCHIO DE ANDECHS obiit anno MCLXXXVIII. FILIVS BERHTOLDI COMITIS fundatoris noſtrae Eccleſiae.„ At caſtigatio haec eo iuſtior eſt quo magis conſtat eo ipſo anno obiiſſe Berhtoldum Marchionem.

Anno vero 1174. Marchiam adeptus iam erat noſter quandoquidem *Marchio Bertoldus de Iſtria* primus teſtis citatur in litteris quibus Henricus Leo confirmauit donationes ab auis ſuis factas Monaſterio Cremiſanenſi. a.

Iterum occurrit *Bertholdus Marchio Tſtriae* in litteris anno 1180. ſcriptis de Ponte Veringenſi. b.

Quae cum ita ſint aſſerere audemus Bertholdum Hadewigae coniugem Iſtriae Marchionem euaſiſſe circa annum 1173. eumdemque eſſe qui *Marchio Bertholdus* dicitur et Aduocati Dieſſenſis offici-

Pars. II. Gg

a) Orig. Guelph. Lib. VII. Probat. n. 72.

b) ib. n. 85. add. Meichelb. Hiſt. Friſing. T. I. P. I. p. 365.

officium ſupplet in duabus traditionibus Diezenſibus. a. Harum altera facta eſt ab Ottone Epiſcopo Babenbergenſi *per manum* FRATRIS SVI BERHTOLDI MARCHIONIS.

Hinc diſcimus Bertholdum Hadewigae maritum et Yſtriae Marchionem, praeter *Popponem*, fratrem habuiſſe Ottonem II. Epiſcopum Bambergenſem. Hinc eſt quoque quod Otto ille qui anno 1192. vel potius 1196. obiit, in Chronico Dieſſenſi, quod laudat Koelerus, dicitur *frater Beatae Mathildis.* Hinc eſt tandem quod utroque Luitoldi Necrologio *Otto Epiſcopus filius Bertholdi fundatoris nuncupatur.*

§. VII.

Berchtoldus Marchio pater fuit Berchtoldi Ducis de Meran, et ſolo Marchionis titulo inſignitus eſt licet filius iam inde ab anno 1180. Dux audiret.

In hanc rem laudari poteſt priuilegium b. BERCHTOLDI MARCHIONIS ANDECHSENSIS et BERCHTOLDI DVCIS DE MERAN „*quo* „ *translatum eſt forum ultra pontem in fundum Weltbinenſis Monaſterii* ;, *autoritate Domini Heinrici* (III.) *Epiſcopi Brixinenſis, et in quo te-* „ *ſtes laudantur ipſe Marchio et filius eius.*

Addit ut haec confirmet Hundius c. fundationem S. Ottonis Babenbergenſis Epiſcopi, ſiue litteras quibus S. Otto remouit ab Aduocatia Alderſpacenſi Airamum de Chambe.

Harum

a) Cod. Trad. Dieſſenſ. n. 72. et 76.
b) Hund. T. I. p. 299.
c) Hund. T. II. p. 44.

Harum litterarum post inuocatum numen exordium est „*Ot-„ to Dei Gratia XI. Babenbergensis Episcopus.*„ Testes sunt horum Theobaldus Patauiensis Episcopus, Leupoldus Dux Austriae, Berchtoldus Marchio Ystriae, FILIVS SVVS BERCHTOLDVS DVX MERANIAE, *Comes Berchtoldus et fratres eius.*

Diuus Otto octauus fuit Episcopus Bambergensis, Otto II. autem undecimus vel duodecimus. Tribuendus itaque est error, quem hic vel coecus viderit, uni Gewoldo, qui non animaduertit litteras hacce claudi formula: Praesidente XI. *Babenbergensi Episcopo Ottone secundo Anno Dom. Incarn.* 1183.

Berchtoldum XI. Berchtoldi X. et Hadewigae filium Ducem fuisse probatione non indiget. Inter innumera fere, quae id testantur, monumenta seligam nonnulla quibus alia praeterea docemur.

Constat ex diplomate [a] quod anno 1193. Heinricus VI. coenobio Tegernseensi concessit *Berchtoldum* quemdam hoc anno *Ducem Meraniae et Aduocatum fuisse* Tegernseensis Abbatiae.

Maioris momenti sunt plus una de causa litterae [b] Adilberti seu Alberti Frisingensis Episcopi queis A° 1182. testatur *Aduocatiam bonorum suorum quae habebat in montanis in Episcopatu scilicet Brixinensi et in Episcopatu Tridentino, et in Episcopatu Curiensi a se concessam fuisse* BERTHOLDO MARCHIONI YSTRIAE ET FILIO EIVS DALMATIAE CROMATIAEQVE DVCI.

a) Hund. Metrop. Salisb. T. III. p. 274. et 275.

b) Meichelb. Hist. Frising. T. I. P. I. p. 370.

Diplomatis a Frederico Imperatore anno 1189. Frisingensibus dati post Ottonem Babenbergensem Episcopum et Theobaldum Pattauiensem Episcopum, primus testis est BERTHOLDVS DVX DALMATIAE. a.

Insigne Bertholdi Ducis monumentum habemus apud Tagenonem in descriptione Expeditionis Asiaticae Frederici I. qua constat BERTHOLDVM DVCEM MERANIAE EX BAVARIA DE CASTRO ANDECHS *natum mediam aciem duxisse.*

Conspirat Chronicon Reicherspergense quod *Dux Merani*, inquit, *societatem suam duxit et cum acie Pataujensi, quae media fuit, aciem suam habuit.* b.

Addesis expeditionem Asiaticam Friderici I. a Canisio editam, ubi tertia acies dicitur fuisse BERTHOLDI DVCIS DALMATIAE SIVE MERANIAE.

Constat hinc qualem Ducatum administrauerit Bertholdus: *Dalmatiam* nempe; nec is alio modo Dux Meraniae dictus est quam quo Duces Karinthiae ante eum dicti sunt Duces de *Krayburg* a castro scilicet, ubi utplurimum degebant.

Quod cum ita sit miror fuisse qui dicerent Fridericum I. cum Ottoni de Wittelspach Baioariae Ducatum conferret, auulsisse ab eo partem eximiam ex eaque Meraniae Ducatum conflauisse.

Successit Bertholdus in Ducatu suo Conrado Dalmatiae Duci et Comiti Dachauiensi qui ipsum auitum habebat. Falsum est itaque

a) Ibid. p. 379. b) ad a. 1190.

que et illud quod Ducatus quem gessit Bertholdus in gratiam eius fuerit erectus.

Restat ut statuamus quo anno obierit Conradus Dux ultimus de Dachaw tuncque assequemur simul annum quo Ducatus Dalmatiae et Croatiae, aut si mauis Ducatus Meraniae personatus contigit Andechsensi familiae.

Aliae praeterea quaestiones moueri possent duae non minoris momenti 1º de Marchia Ystriae, quo nempe iure contigerit illa Bertholdo Hadewigae marito. Altera de ipso Ducis titulo, cur ipso ornatus fuerit Bertholdus filius cum pater tantummodo Marchio audiret. In haec omnia mox inquiremus, iam vero paucis ea quae de Andeccensi stemmate dicenda nobis supersunt subiungemus.

Duorum filiorum, qui et prouincias auitas sortiti sunt, pater fuit Berchtoldus Dux. Heinricus audiuit Marchio Istriae. Otto Dux Meraniae nuncupatus est. Fratres fuisse hos Principes, Heinricum vero improlem obiisse constat ex litteris [a] quibus Otto *Dux Meraniae, Comes Palatinus Burgundiae, ac Marchio Istriae de proprietate sua dimidium mansum in villa Sistrans assignauit* anno 1228. coenobio Burensi pro plaustro vini quod FRATER EIVS FELICIS RECORDATIONIS MARCHIO YSTRIAE dictae Ecclesiae *testamento ultimo* pro requie animae suae reliquerat.

Alia bene multa in hoc argumentum afferre possem, sed satis esto adduxisse gentem Andechsensem ad aeuum usque quo Ducatum

a) Chron. B. Bur. p. 112.

catum adepta inter Principes Germaniae uniuersae emicuit, sicut antea inter Principes Baioariae celebrabatur.

Iam de praediis eius prouinciisque nonnihil dicendum est nobis.

§. VIII.

Meranense castrum, a quo Andechsenses nuncupati sunt, situm est inter medios Alpium Tyrolensium anfractus, in eoque ipso tractu ubi Arnolfus bellator, de Rihherishusa cognominatus, agrorum diues fuerat. In eadem illa regione Comitatum quoque habuit olim *Berchtoldus* Dux Arnolfi Ducis frater, quorum nomine nuncupati sunt omnes fere quos nouimus Andechsenses. Superfluum foret memorare hos principes dici quoque consuesse Diezenses Comites et Atilae Dominos fuisse. Superfluum aeque monere Lectorem haec omnia apprime congruere cum nostra sententia, pugnare cum aliis omnibus, quotquot earum excogitatae sunt hactenus, opinionibus.

Si cui scrupulum mouet amissa a Diezensibus Atilensis ditio, credat Arnoldum Diesensem, praesidemque Hallensium eam ex more seculi uxori donauisse. Vsus enim tunc temporis inualuerat, quem secutus est quoque Dominus *Engilscalchus de Wasin* a. cum duceret filiam Domini Sibotonis de Valchenstaine; „*tradi-*
„ *dit nimirum uxori* OMNE QVICQVID PROPRIVM HABVIT *tam in*
„ *hominibus quam in aliis praediis et ciuitatibus et rebus cultis et incul-*
„ *tis quaesitis et inquaesitis ipsam etiam ciuitatem apud Wasin, omnia-*
„ *que sua.*

Osten-

a) Hund. Metrop. T. III. p. 346.

Oſtendimus iam partem ditionis Hallenſis manſiſſe penes Andechſenſes iure Agnetis, quam duxerat Arnoldus Dieſſae et Hallenſium Comes.

Eodem iure pars praediorum, quae poſſederant Comites Eckeberti de Neuburg et Putene, contigit utrique familiae ab Agnete procreatae, Waſſerburgenſi nempe et Andechſenſi noſtrae.

Teſtem habemus Diploma Chuonradi Regis Reicherſpergenſi coenobio anno 1142. datum [a]. Conſtitutum erat coenobium tunc temporis *in ripa Ini fluminis*, IN REGIONE NORICA IN COMITATV ECKEBERTI COMITIS. At anno 1162. poſtquam ſcilicet obierant et Eckebertus II. Comes anno 1144. et Eckebertus III. anno 1158. in diplomate Friderici Imperatoris eodem anno 1158. dato *ipſum Richerſpergenſe coenobium ſitum dicitur in* COMITATV PERTTHOLDI COMITIS DE ANDECHS *iuxta fluuium Enum in pago quem tranſit fluuius Anteſin.*

§. IX.

De morte Ekkeberti III. ſuae gentis ultimi nonnihil notaſſe abs re non eſt „ anno 1158. [b] *cum in Longobardia militaret ille ſub* „ *Friderico Imperatore, et Marescalco Imperatoris ad inueſtiganda opportuna caſtrorum loca praemiſſo, ſe ſociaſſet* EKKEBERTVS *Comes* „ *Auſtriae cum* 500. *et eo amplius militibus, eruptionem fecerunt Mediolanenſes et Comitem praedictum aliquantulum moras facientem commiſſo proelio cum nonnullis interemerunt.*

In

a) Chron. Reichersp. h. a. ap. Ludew. T. II.

b) Chronica Regia ſ. Pantaleon. apud Eccard. h. a.

In Chronico autoris incerti legitur „ anno 1158. *Imp. Medio-*
„ *lanum obſedit, ubi Ekkebertus Comes occiſus eſt.* „

Eadem fere Reicherſpergenſe Chronicon habet ad annum eundem „ *Ibi* EKKEBERTVS *Comes de* PVSINE *occiſus eſt in nonis Au-* „ *guſti, qui dederat Eccleſiae Richerſpergenſi, antequam iret in expe-* „ *ditionem, curtim unam Munigen dictam et ſyluam iuxta fluuium Pinca* „ *et curtim aliam in Putinowe.*

Memini me uſpiam legere Ekkebertum MARCHIONIS titulo ornatum: ubi legerim iam quidem non memini. At vero titulotenus tantum *Marchionem* fuiſſe Ecbertum opinor.

Vltimum ipſum ſuae gentis fuiſſe vel inde conſtat, quod in Codice Admontenſi a. dicitur „ COMITIS EKKEBERTI *de Putine* „ *haereditatem Marchioni Styrenſi Otagrio per mortem ipſius acceſſiſſe.* „

Haec autem ab omni parte vera non eſſe manifeſtum eſt ex illis quae de Comitatu in quo ſitum erat *coenobium Reicherſpergenſe* in medium protulimus. Nec difficile foret probare aliam haereditatis Ekbertinae partem ad *Dietericum de Vichtenſtein*, uterinum Bertholdi Andechſenſis fratrem perueniſſe indeque auctum eſſe Waſſerburgenſis Domus patrimonium.

Credo itaque omnino Ottokarum Styriae Marchionem aut ex ſorore fortaſſis Agnetis cohaeredem fuiſſe noſtrorum, aut iure feodalis dominii recepiſſe praedia quae Ekkebertus de Putine ab eo tenuerat.

Late

a) n. 69. ap. Pezium.

Late patuiſſe Ekkeberti patrimonium probat encomium Comitis Auſtriae quo ipſum ornari vidimus. Comitatum hunc qualemcumque ad Vngariae usque fines patuiſſe arguunt et *ſitus urbis Putinae* Pannoniae imminens et monumenta quae in Chronico Reichersbergenſi integra ſeruantur. Pars tamen opimae haereditatis haud fuit Marchia Hiſtriae quae Berchtoldo Hadewigae marito non contigit, niſi anno fere 16. poſt mortem Eckeberti.

Alius quoque Comitatus eodem Agnetis iure Andechſenſibus contigit inter *Reginum* fluuium, *Iltzum* et *fines Boiobemii in quo fundatum eſt coenobium Rinicbnacbenſe* in ditione *Dietmari* ſiue *Thiemonis* Praeſidis ut ſupra monuimus.

Comitatum hunc ad Andechſenſes noſtros perueniſſe docent nos litterae eaedem quibus conſtat eundem venditum eſſe Epiſcopo Paſſauienſi. Scriptae ſunt illae [a] anno 1207. ut fidem faceret Philippus Rex, OTTONEM DVCEM MERANIAE „ PRO FEVDO COMITIS F. *de Bilſtein Eccleſiae Paſſauienſi tunc vacante et pro quadam* „ *ſumma pecuniae, videlicet mille octingentis marcis caſtrum Windeber-* „ *de* - - COMITATVM ETIAM QVEMDAM, QVI DVRAT A PONTE QVI RE- „ GENBRVGGE *dicitur uſque ad* FLVVIVM *qui* ILDSE *nuncupatur*, *et a* „ FLVVIO DANVBII *uſque ad terminum* BOHEMIAE, *quem memoratus* „ *Dux poteſtate et iure tenebat* IMPERII, IN MANVS REGIS RESIGNA- „ VISSE *ut daret Manegoldo Epiſcopo Paſſawienſi.*

§. X.

De ditionibus Andechſenſium in eo Germaniae tractu, qui nunc Franconia dicitur, ſitis, neſcio quid potius dicam. Circa

a) Hund. Metrop. T. I. p. 252.

Eichftettam praedia habuiffe non mirarer viros qui ab Arnolfo I. Comite Eichftettenfi et Baioariae duce originem trahebant, et cohaeredes fuerant *Tollenfteniorum*, *Greisspacenfiumque*, fed tam late patuiffe eorum latifundia vix credam antequam nomina noftrorum maiorumque ipforum in utraque Moeni ripa culta fuiffe deprehendam.

Antiquiffimum quod fciam huius rei veftigium reperiffe mihi videor in vita Egilberti Episcopi Bambergenfis apud Hoffmannum. a.

Anno 1142. CHVNISSA REGINBODONIS COMITIS TRVCHENDINGII FILIA REPVDIATVR PLASSEBVRGI A POPPONE COMITE.

„ *Chuniffa per repudium liberam corporis et rerum fuarum facultatem adepta de allodio fuo primaria duo caftra Gicheburgum et Lichtenfelfum Ecclefiae Babebergenfi obtulit*, *reliquam vero patrimonii fui partem cum Miftelfelda Caftro Meraniae Ducum praecipuo*, *Georgiano collegio tradidit.* CVI DONATIONI CVM POPPO COMES ESSET INFESTISSIMVS CHVNISSA VXORE FATIS ABSVMPTA (bellum geffit anno 1143. cum Egilberto Epifcopo.)

„ *Egilbertus natam controuerfiam aequis conditionibus ita diremit ut Wallenftadium*, *Stelena*, *et Sigeboldesdorffium in fua et ecclefiae poteftate remaneret*, *et Poppo Comes renuntiatis denuo Gicheburgi et Lichtefelfi munitionibus et caeteris Reginbodonis Comitis poffeffionibus* „ *et*

a) Ludwig Script. T. I. col. 120.

„ *et praediis eadem Ecclesiae Babebergensi concederet*, *dimidia vero* RE-
„ LIQVORVM PRAEDIORVM ET CASTRORVM PARTE IPSE CVM
„ FRATRE BERTHOLDO ET EIVS FILIO *dum viueret frueretur post*
„ *omnium vero eorum mortem ecclesia iis integre potiretur.* „

Credidit Hoffmannus ut palam est *Popponem*, et Bertholdum illos fratres Meranenses vel potius Andechsenses nostros fuisse; in quo quidem libentissime ipsi assentior. Scilicet hi fuerunt fratres S. Mechtildis: POPPO quem diximus improlem obiisse, et BERCHTOLDVS Hadewigae maritus et Histriae Marchio. Superstes quidem tunc erat adhuc pater utriusque Bertholdus fundator, Sophiae maritus, sed litterae Luipaldi Ducis Baioariae a. 1140. conscriptae testem iam sistunt *Bertholdum*, *Bertholdi Andeccensis filium:* Ita sane et ipse et *Poppo* frater natu maior a. 1142. facillime et uxorati esse, et Bertholdus X. filium, nobis Bertholdum XI. primumque Meraniae Ducem genuisse potuerunt.

Compertum itaque habemus quo pacto in Andechsensem domum deuenerit pars haud exigua praediorum queis potita est in Franconia. Sed enimvero aliunde praeterea, tituloque alio, uberiorem hocce in tractu creuisse haereditatem nostros, omnia mihi produnt.

Sophiam Bertholdi fundatoris coniugem, Popponis ac Bertholdi Marchionis matrem Koelerus, aliique ante eum, *Comitissam* fuisse aiunt ab *Ammerthal*. Asserto ansam dedisse videtur Iacobus Ensdorffensis Monachus qui scripsit A° 1480. Is quidem „ *fuit*, *inquit*, *Dux in Bauaria qui Ambertballi sedebat et sepultus est*

„ *Castelli in monasterio. Ille Otto, credo Ducis nomen esse, filiam suam* „ *Sophiam nuptum dedit Comiti de Andechs, hincque natus est Comes* „ *Pertholdus pater Sti Ottonis Episcopi Bambergensis, et Comes Frideri-* „ *cus qui postea Ambertballi sedit, et monasterio Castelli multa bona con-* „ *tulit.* „ Quot verba tot fere errores. Sophia ergo quae A⁰ 1156. obiit auia fuit D. Ottonis a. 1136. defuncti. *Otto Dux Baioariae* eiusdemque Ottonis proauus sepultus est in monasterio Castell circa a. 1090. fundato. Sed quid nugis inhaeremus. Legit fortasse Iacobus *Ammertablium* pertinuisse olim ad Ottonem *Ducem de Schweinfort*, suae gentis ultimum. Legit Sophiam fuisse Ammerthali Comitissam; quid ergo viro harum rerum rudi obesse potuit quin Sophiam Ottone natam diceret?

Quod si tamen fides aliqua habenda foret Iacobo, tot tantorumque errorum reo, fabulis anilibus inuolutam forte deprehendes veritatem; scilicet Sophiam filiam fuisse Comitis cuiusdam Sultzbacensis, qui Otto dicebatur, haeredem vero fuisse bonorum in Nortgouia sitorum eo minus dixerim quod floruit viguitque adhuc diu post Sophiae obitum gens inclyta Sultzbacensis. Aliam ergo viam ineamus oportet.

§. XI.

Offert semet opportune Hadewiga Bertholdi Marchionis uxor, Bertholdi, qui primus inter Andechsenses Dux audiuit, mater.

Res mira est sane, quiquid in eam differatur superstite, viribusque adhuc et aetate valente Bertholdo Marchione, Ducis elogium,

gium, Ducatumque tributum esse Bertholdo filio. Nemo fortassis erit quin suspicetur iura Berchtoldi Ducis in Ducatum quem gessit, si quae habuit, a matre deriuata fuisse.

Berchtoldi primi ex hac gente Ducis Dalmatiae antecessorem nouimus, si quid unquam Conradum Dachawiensem. Quid ergo si Hadewigam Berchtoldi Marchionis coniugem haeredem fuisse dicamus Conradi quem absque filio obiisse constat?

Haud exiguum coniecturae pondus accedet si iure huiusce connubii aucta sunt, vel augeri potuerunt praedia Andechsensium in Nortgouia seu Francia Orientali. At augeri commode potuerunt, cum sciamus, Hoffmanno id nos docente [a] „anno 1140.
„ CONRADVM DACHAWIENSEM DALMATIAE DVCEM CVM ADELHEIDE
„ *coniuge bona sua et praedia quae* BOTOSTENI MVBRICHBERGAE *et* RO-
„ TACHAE *habebat manu et calamo abdicauisse et Ecclesiae Babebergensi*
„ *attribuisse. Diploma XIV. Cal. April. Indictione III. datum est cum*
„ *ipse Babebergae adhuc moraretur.* „

Castrum Botostenum vel Bottenstein nomen habuit a *Bodone Forti* qui duxit Iuditham filiam et ex quadrante haeredem *Ottonis de Sueinuorde.* [b]

„ *Iuditha peperit Bodoni Adelheidem, ex qua Heinricus Dux de*
„ *Lintburch genuit Walrabonum Ducem qui et Paginus dicebatur et filias*
„ *duas, quarum una Agnes nomine nupsit Friderico Comiti Palatino de*
„ *Putbelendorp, alteram duxit Fridericus Comes de Arnesberge.*

H h 3 Iuuat

a) ub. f. col. 119. b) Annal. Saxo an. 1036.

Iuuat hic indulgere ingenio et Adelhayden Conradi Dachauiensis uxorem, filiam nuncupare Friderici de Puthelendorff: hoc pacto pars haereditatis opimae quam Adelhayd Bodonis filia attulerat Heinrico Limburgensi, Agnes Friderico, per coniugium Adelhaydae cum Conrado deuenisset ad Dachauienses, et inde per Hedwigam ad Bertholdum primum Dalmatiae Ducem. Fauet coniecturae nomen *Adelhaydis* bis repetitum, ut in auia nepteque decebat: fauet quoque quod hac demum ratione planum sit ius Bertholdi Ducis in Ducatum Dalmatiae, utpote a socero gestum: Planus itidem ac expeditus haereditatis vastissimae titulus, quam Andechsenses nostri subito in Franconia cernunt et cuius gratia sedem fortunarum suarum ex Baioaria meridionali illuc translatam esse iubent.

§. XII.

Restat ut de Marchia Istriaca quam inde ab a. 1173. rexisse videtur Bertholdus Hadwigae coniux, nonnulla dicamus. Coaeuus fuit nostro et post a. 1156. demum obiit a. Engelbertus Vtae Pictauiensis ex Engelberto Duce de Crayburg filius et Istriae Marchio. Singula haec, praeter diplomata plura et scriptorem Paumburgensem a nobis pridem laudatum, (Lib. IX.) docet Annalista Saxo qui Lotharium Imperatorem a. 1037. „ *ex Italia misisse ait* „ *Ducem Bauariae Heinricum ut Eggelbertum Marchionem a suis ex-* „ *pulsum priori dignitati restitueret.* „ Viuebat tunc Simon Dux Dalmatiae hostis Lotharii Imperatoris acerrimus „ *Heinricus Dux in* „ *planicie Mosellae vicit Widonem Comitem Marchioni Eggelberto rebel-* „ *lantem, et destructis tribus eius castellis, ipsum domino suo reconciliari* „ *coegit.* „

Quid

a) Herwart. Catal. Episc. Ratisb. L. III. c. I. ap. Oefel. T. I.

Quid Simoni Dalmatiae Duci contigerit ignoramus: infelicem tamen fuisse ex eo arguimus quod tunc vel paulo post Cunradus Comes Dachauiensis Ducatum Dalmatiae adeptus est.

Certa sunt haec, nec minus certum, fuisse Engelberto Marchioni consanguineos qui haeredes praediorum esse potuerunt: incertum vero an in Marchia quoque successores. Id tantum constat satisque a nobis est probatum anno demum 1173. Bertoldum nostrum hanc Marchiam esse adeptum.

Iam tibi per me licet Lector, quamcunque volueris ex hisce, quas Tibi mox aperiam, imo aliam longe amplecti sententiam. Aut Istriae Marchia Conrado Dachauiensi Dalmatiae Duci adeoque vicino, post obitum Engelberti, concessa est a Caesare Friderico, sicque una cum Dalmatiae Ducatu ad nostros peruenit: aut Fridericus, quod magis placet Istriae Marchiam Rectore vacuam Bertholdo Andechsensi, *suo* quippe *cognato* et in vicina Tyroli potentissimo regendam iure beneficiario commisit.



Tabula

Tabula XXVI.

Comites Andechſenſes Iſtriae Marchiones Meraniae Duces.

Bertholdus Comes Arnulfi Ducis nepos occiſus a. 955.
v. Tab. XXIII.

Arnolfus III. Comes in Sundergau † circa 1000 ux. Adelhaid.

Arnoldus ſ. Arnolfus (IV) (I) Bellator Dnus in Rihherishuſa 1025 - 1046.	Bertholdus IV. a. 1020.	Fridericus I. Vxor Cunegunda Dna. in Gunzenhauſen v. Tab. XXIII. et infra Lib. XII.

Bertholdus V. Comes de Andehſe (I)	Fridericus Rochus † circa 1090. Vxor Kunegunda Alemannica.	Arnoldus (V.) II. Comes in Andechs Atilenſis Coenobii fundator a. 1073. † circa 1080. Vxor Giſela.

Arnoldus VI. (III.) Comes de Dieſſen Praeſes Hallenſis circa a. 1100. † circa 1120. Vx. Agnes de Fornbach Henrici Halenſis Praeſidis filia et haeres v. Tab. XXV.	Conradus Canonicus.	Emma nupta Waltherio Aduocato Ebersbergenſi.

Bertholdus IX. (II.) Comes in Andechs fundator Monaſterii Dieſſenſis † anno 1160. Vxor Sophia † 1156. Comitiſſa, ut aiunt, de Ammertal.

Poppo Comes in Andehſe Aduocatus Buranus † circa 11.. Vx. Chuniſſa filia et haeres Reginbodonis Comitis de Truhendingen repudiata a. 1142.	Bertholdus X. (III) Comes de Andechs, Marchio Iſtriae a. 1173. † 1188. Vxor Hedwig filia et Haeres Conradi Dachauienſis Ducis Dalmatiae et in Nordgouia praepotentis.	Otto II. Epiſcopus Bambergenſis electus a. 1177. † 1192 ſ. 1196.	Sta Mathildis Abbatiſſa † 1160.

Bertholdus XI. (IV.) Comes de Andechs Marchio Iſtriae et iam a. 1180. Dux Dalmatiae † 1204. Vxor Agnes.

Heinricus	Otto I. Magnus.

Reliqua dabit Koehlerus.

CAPVT



CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS.

Familia Comitum de Bogen exploratur; ipsorum cum Andechsensibus cognatio explicatur. Comites de Arco a Bogensibus descendere probatur.

§. I.

Amicitiae dabo et operis huius ubertati, quanta esse potest, ut familiam illustrissimam insalutatam non relinquam.

Berchtoldus Comes de Andechsen praedium in manus suas delegatum, ut illud traderet coenobio Reichersbergensi, delegauerat ipse in manus *Comitis Pertboldi de Bogen, quia ipse Bertboldus de Anedechsen parabat se ad expeditionem in Longobardiam cum Imperatore Frederico I.* anno 1157.[a]

At Bertholdus *Comes de Bogen* donationem nondum absoluerat anno 1162. hinc in curia sub Heinrico Baioariae Duce habita
„ interpellauit eum Gerhohus Magister Reicherspergensis. *Ex*
„ *Dei quoque prouidentia praesens fuit Comes Pertholdus de Andechs qui*
„ *locutus est in hunc modum: facere debes* O COGNATE COMES BERT-
„ HOLDE *quod postulatur, quia ego id ipsum praedium sic in manum*
„ *tuam Ratisbonae delegaui ut hoc delegares iam dicto coenobio.*

a) Chronicon Reichersp. ad a. 1157.

Ad domum itaque Andechſenſem pertinuerunt Comites de Bogen vel Pogen; utrum vero cognationis aut agnationis ergo ad eam pertinuerint incertum eſt modo.

Erunt qui credant nec *Bertholdum de Andechs* nec Chronici Reicherſpergenſis autorem cognationem illam memoraturos fuiſſe ſi remotior illa aut a foeminis petenda fuiſſet. Ego vero nihil aſſerere audeo, cum perplexa haec omnino ſit quaeſtio.

Parum illi lucis afferunt monumenta Altahenſia ab Oefelio edita, quamuis longae Aduocatorum Altahenſium ſeriei praefixus ſit titulus *Comites de Pogen*, ſed nec temporis ratio ſalua eſt ubique, nec conſtat omnes, qui nominantur, Aduocatos genere Bogenſes fuiſſe.

Perſuaſum fere habeo *Albricum* qui ſub Bertholdo Duce Aduocatus erat eumdem eſſe cum *Albrico Comite et patruele Arnolfi Ducis.* Sed ſequitur illum ſub Heinrico I. Duce Meinhardus ſiue Meginhardus quidam Vlrici Comitis frater; ſub Bertholdo Duce notatur etiam Conradus quidam; ſub Heinrico Waeſigrinus ſeu Waſagrim.

Sub Godehardo Abbate, qui praeeſſe coepit circa annum 997. occurrunt Meinhart, Ruprecht apud Oefelium, apud Hundium vero Ripertus, ASWINVS, Albertus, Comites. Sub Ratmundo qui obiit anno 1048. uterque habet Rupertum, Vlricum, Marquardum Comites; ſub Adalhardo uterque iterum Mainhardum et ASWINVM vel ASCHWINVM.

Addi-

Additur ſtatim apud Oefelium: „ COMES ASCHWINVS DE „ POGEN *fuit tempore Heinrici IV. et Adalardi, Wenglai, Walkeri „ Abbatum Aduocatus. Hic Boiemos in terram irruentes tribus bellis „ vicit, tropbaeum Altae cum bipenni abieti infixit, quae uſque bodie vo„ catur Aſchwinner tanne.* „

Hunc genuiſſe ferunt ADALBERTVM COMITEM *cuius uxor Hadwiga:* Aduocatus ſub Luipoldo Abbate „ Adalbertus conſtru„ xit Windberg. Hic genuit *Adalbertum, Berchtoldum et Hartwi„ cum Comites. Bertholdus pacificus et diues Aduocatus fuit genuitque „ Adalbertum Comitem ex Luikarda.* „

Berchtoldus hic Adalberti et Hadwigae filius idem eſt quem Berchtoldus Comes de Andechs *cognatum ſuum* compellauit.

Hundius addit Hadewigam Adalberti uxorem Bertholdi matrem Comitiſſam fuiſſe de *Putten*, *Lambach*, *Neuburg*, *Schaerding &c.* Hinc ſequeretur quod patrem veneraта ſit Ekkebertum I. qui uxorio iure adeptus eſt urbem Putenam.

Perſuaſum habeo omnino pleroſque Aduocatos Altahae inferioris, eos praeſertim qui Vlrici et Meginhardi nuncupantur, prodiiſſe ex domo Comitum Neuburgenſium quorum ſator fuit *Thiemo I. Praeſes* et illic fere Comes ubi poſtmodum Comites fuerunt Bogenſes. Rutpertos, ſi tamen plures ſunt, adſcribo genti Burggrauiorum Ratisbonenſium et ibi terrarum diuitum, ubi nunc Straubinga urbs, olim villula in vetuſtiſſimis monumentis haud ignota, ut et *Bogen* quae Bogana dicebatur tempore Caroli Magni.

§. II.

Ex fundatione Monasterii Windbergensis a. nouimus Luitkardim beatae recordationis *Comitissam* scilicet ALTRICEM *viri qui interfuit proelio ad Vnstruth* sub Heinrico IV. et cui superuixit. Viguit ergo circa annum 1100. At vero Windbergensis Ecclesia consecrata fuit anno 1142. b. PRAESENTE FVNDATORE LOCI NOBILI COMITE ADELBERTO CVM VXORE SVA NOMINE HADEWIC ET DVOBVS FILIIS SVIS *Hartwico et Bertholdo.*

Obierat iam tunc Adalbertus tertius, Adalberti filius utpote occisus anno 1140. in obsidione Castri Phalaiae.

Nouimus eum ex litteris anni 1125. Abbatiam superioris Altahae concernentibus c. „Anno ab incarnatione Domini 1125. Ind.
„ 8. 3. id. Decembris primo anno Lotharii Regis Saxonici conue-
„ nerunt ad eumdem locum cum plurimis amicis et nobilibus vi-
„ ris et militibus suis Fridericus Aduocatus Ratisponensis Eccle-
„ siae cum consensu contutalis suae, et ADALBERTVS COMES DE
„ WINDEBERCH CVM VXORE ET FILIIS ADMODVM paruis, ad
„ QVORVM DITIONEM IDEM LOCVS HAEREDITARIO IVRE PERTI-
„ NEBAT (et) eumdem locum cum omnibus appendiciis suis etc.
„ quae ipsi aut *parentes eorum* dederant *aut aliqua consanguinitatis et*
„ *propinquitatis* eorum deditionis iure ad eumdem locum pertine-
„ bant etc. S. Petro dederunt, et ne traditio umquam posset
„ perfringi, communi consilio decreuerunt ut eumdem locum in
„ manum praedicti *Adalberti* Comitis delegarent, scilicet ut ipse
Ro-

a) Canis. T. III. P. II. p. 212.
b) ibid. p. 213.
c) Hund. Metrop. T. II. p. 54.

„ Romam iens hanc delegationem ſuper altare S. Petri confirma-
„ ret et ſtabiliret . . . Haec etiam conditio inter eos facta eſt de
„ Aduocatione, videlicet ut Fridericus qui tunc temporis Aduo-
„ catus erat, ſi filium genuerit ipſe, et poſteri eius iura Aduoca-
„ tionis ſemper retineant, ſi autem abſque liberis exceſſerint iura
„ ADVOCATIAE ad ALBERTVM COMITEM ET AD POSTEROS
„ EIVS *pertranſeant*, *et quisquis inter eos* NATV MAIOR fuerit, ip-
„ ſe ADVOCATVS conſiſtat . . . *Harum omnium rerum teſtes per au-*
„ *rem attracti ſunt Fridericus Aduocatus*, DVO FILII ADALBERTI
„ COMITIS, BERCHTOLDVS.

Satis ſuperque liquet ex his litteris Fridericum et Adalbertum proximos conſanguineos, ſi minus fratres fuiſſe.

Hic eſt ille *Fridericus Comes a Pogen* qui cum Aduocatus eſſet Ratisbonenſis bellum atrox geſſit cum Heinrico Superbo Baioariae Duce et in arce ſua munitiſſima Falckenſtein obſidionem ſuſtinuit. [a]

Animaduertimus iam Aduocatiam, quam geſſit Fridericus hic, poſtquam eam gerere debuit Albertus, a Thimone de Varnbach olim adminiſtratam fuiſſe. Animaduertimus etiam ab arce Windenberg nomen habuiſſe poſteros nonnullos Thiemonis, quorum ultimus, quem nouerimus, fuit Hermannus II. Hermanni I. filius nepos Vdalrici, qui primum de Windeberg poſtea vero de Ratiiinperg eſt nuncupatus.

a) Hochw. Catal. Epiſcop. Ratisb. l. 11. c. 23. et 24.

Si Monacho Weingartenſi fides adhibenda eſt integra, conſtat Bertholdum *Comitem de Pogen* patrem Adalberti auunculum fuiſſe *Friderici* „*Henricus*, inquit ille, [a] frater (Gwelfonis Maioris qui Niger dictus eſt, paterque fuit Heinrici Superbi) „*uxorem, iam* „ *dudum viuente patre de Saxonia accepit filiam Magmonis* (Magni) „ *Ducis et Sophiae ſororis Regis Vngariae Colomanni Wulfildem nomine.* „ *Erat tandem eadem Sophia antea cuidam de* CARINTHIA COPVLATA „ *ex qua* POPONEM MARCHIONEM, *qui duas filias, unam* BERTHOLDO COMITI DE BOGEN *copulauit.* Porro ſoror huius „ Sophiae Regi Graecorum nupſit. Aliam ſororem eius Berchtam quidam Comes ex clauſtro QVODAM SANCTIMONIALIVM „ *abſtractam duxit et ex ea* FRIDERICVM RATISBONENSEM *Aduocatum genuit.* „

Haec ſi ita forent ſciremus quomodo Fridericus Aduocatus conſobrinus fuiſſet Heinrici Superbi, ſcilicet ex Wulfilde nati, quae neptis erat Berthae.

§. III.

De Sophia tamen adeundus nobis eſt Annaliſta Saxo [b].

„ *tres fratres fuerunt ex domo Wimmarienſi oriundi Willehelmus Marchio ſeptentrionalis in Saxonia, Otto de Orlagemunde et* POPO. WILLEHELMVS *in Vngariam miſſus ab Heinrico IV. ut ferret auxilium* „ *Andreae Regi*, ADAMAVIT SOPHIAM *ſororem Ladizlai Regis Vngariae, cumque rediret in Vngariam, et ſponſam ſuam abducere pararet* „ *morbo correptus obiit.* SPONSAM *eius* SOPHIAM ODALRICVS MAR-

„ CHIO

a) c. x. Canis. T. III. P. II. p. 583. b) ad a. 1061. et 1046.

„ CHIO CARENTHINORVM *cognatus eius accepit. Marcham vero*
„ *frater eius Otto de Orlagemunde obtinuit. Horum ſcilicet Willebelmi*
„ *et Ottonis Marchionum* FRATER *fuit* POPO *qui babuit filium* ODAL-
„ RICVM *qui ſororem Ladizlai Regis Vngariae* SOPHIAM *duxit uxorem*,
„ *quae genuit ei iuniorem Odelricum.*

Apprime haec faciunt ad explicandum ſtemma Ebersbergenſe ſupra Libro VIII. Cap. 2. Tab. XX. adumbratum. Scilicet conſtat ex monumentis Ebersbergenſibus *Vdalricum I.* Carinthiae et Iſtriae [a] Marchionem filium fuiſſe Hadmuotae, Willipirigae I. Ebersbergenſis et Vdalscalci I. Archi Aduocati nepotem. Heic vero Annaliſta Saxo nos edocet quis fuerit maritus Hadmuotae, paterque Vdalrici: *Popo* nempe *Wimmarienſis Comes*; inferius [b] docebimus quinam fuerint Vdalrico Marchioni fratres, haec omnia uberius firmaturi.

„ Anno 1070. [c] ODALRICVS MARCHIO *Carenthinorum obiit*,
„ *cuius viduam Sopbiam ſororem Ladislai Regis Vngariae Magnus Or-*
„ *dulfi Saxonici Ducis filius accepit uxorem, genuitque ex ea duas filias*
„ *Wisbilden et Eilicam. Anno* 1106. *Magnus Dux Saxoniae obiit qui*
„ *duxerat uxorem* SOPHIAM *viduam* ODELRICI DE WIMMAR *ſororem*
„ *Ladislai Regis Vngariorum, genuitque illi duas filias Wiſbildem et*
„ *Eilicam. Eilica nupſit Ottoni Comiti de Ballenſtide, Wilſbildis nup-*
„ *ſit Heinrico Duci filio Welfi Ducis Senioris de Bawaria, genuitque*
„ *Heinricum inclytum Ducem Saxoniae et Bawariae et Welfonem et qua-*
„ *tuor filias. Vnam earum Iuditham duxit Fridericus dux Sueuorum,*
„ *alteram nomine Sophiam Bertboldus Dux de Zaringe, illoque interfecto*
„ *duxit*

a) Meichelb. Hiſt. Friſing. T. I. P. I. p. 261.

b) L. XII. cap. 2. § 2.

c) Annal. ad h. a.

„ *duxit eam Marchio Luipoldus de Stire, tertiam nomine Wifhildem Rodolphus Comes de Bregence accepit. Quarta, Maethildis nomine, nupsit Thieppoldo Iuniori filio Thieppoldi Marchionis senioris, illoque mortuo duxit eam Gebehardus filius Beringeri Comitis de Sulzbach.*

Annalista Saxo, ut vides, nihil de sororibus Sophiae memorat. At ex illis quae de Sophia habet, arguimus circa annum 1060. vel 1070. viuere debuisse Comitem illum de *Bogen* qui rapuit *sororem Sophiae* ex Monasterio, ut in thorum transferret.

Ergo ex hoc uno connubio Fridericus de Bogen consobrinus fuit Heinrici Superbi Baioariae Ducis. Monachus Weingartensis latiorem cognationem exhibet „Ipsa Sophia, secundum illum *ex Duce Magnone* quatuor *filias habuit Wulfhildem* nostram, *Alicugam* (Eilicam) *matrem Adalberti Marchionis de Saxonia; tertiam quam duxit Dux Morauiae &c.* Priores duas agnoscit Annalista; tertiam et quartam, de qua nos alibi, agnoscere non videtur.

Filias Heinrici et Wulfhildis earumque connubia eodem ordine, eademque ratione recenset Weingartensis queis Annalista. Haud temere itaque repudiandae sunt filiae duae quas Magno Duci tribuit, praeter eas quas memorat Annalista.

§. IV.

§. IV.

Interim ex duplici connubio quod inierunt Bogenſes duo, prior cum filia Poponis et Sophiae et ſorore Vdalrici I. alter cum Bertha Sophiae ſorore ſequitur Fridericum Aduocatum a Bertholdo I. originem non duxiſſe. Crederem vero omnino Bertholdum I. fratrem fuiſſe Bogenſis nominetenus nobis ignoti, ſed Berthae mariti, Bertholdumque genuiſſe Adalbertum, Bertham peperiſſe Fredericum patrueles.

Reſtat ut de cognatione Bertholdi Bogenſis cum Bertholdo Andeccenſi dicamus.

Perſuaſum mihi fere fuit olim Monachum Weingartenſem, infelicem ſaepius in exprimendis nominibus virum, et qui ſua ſcripſit poſtquam Dalmatiae Ducatus contigerat iam Andechſenſibus a Merania tunc nuncupatis, perſuaſum, inquam, mihi fere fuit olim ipſum *Meraniam* in *Morauiam* mutaſſe, errore vel oſcitantia facili, eoque ipſo aeuo ſat vulgari. Hoc ergo pacto Sophia Bertholdi Andechſenſis uxor, filia fuiſſet Sophiae alterius Hungaricae, et Magni Saxoniae Ducis, neptis vero Berthae qua natus eſt Fridericus de Bogen.

Multa huic inſunt opinioni quae mihi perplacent, et valide muniuntur ſilentio Annaliſtae Saxonis, qui operoſus ſemper in recenſendis Morauiae Marchionibus de coniugio Moraui Principis cum filia Magni ne vocula quidem una fatur. En Tabula:

Ladislaus I. S^us Rex Vngariae.

Sophia nupta I. Vdalrico I. Marchioni, filio Poponis de Weimar † 1090. 2. Magno Saxoniae Duci.	Bertha Nupta N. de Bogen.

Sophia's children:

Luitgardis Vxor Bertholdi de Bogen, qui hinc cognatus audit Bertholdi de Andechs.	Sophia nupta Bertholdo Comiti de Andechs qui hinc cognatus audit Bertholdi de Bogen.	Wulfhild, Eilica.

Bertha's son: Fridericus de Bogen.

Verum enim vero cum Annaliſtam Saxonem iterum iterumque euoluerem incidi in locum inſignem, qui ſidem Weingartenſis in tuto locat. Scilicet „A° 1123. *Vdalricus Dux Boemiae* im„mani motus ira *contra fratrem ſuum Sobeslaum* eum cum ſuis om„nibus expulit DE MORAVIA — Sobezlai CONIVGEM ALMI DVCIS „NATAM STEPHANVS REX PANNONICVS gratanter recepit COGNO„SCENS SVAM COGNATAM eſſe.„ Dubitasne Lector quin ALMVS DVX idem ſit qui MAGNVS? Video ſane Sobeslaum Marchionem Morauiae duxiſſe filiam MAGNI Saxoniae Ducis, quae maternum Sophiae ſcilicet genus ad Ladislaum Vngariae Regem referebat, et COGNATA utique ſuit Stephani II. Vngariae Regis;

Ladislaus I.

Colomannus Rex	Sophia nupta Magno Sax. Duci.
Stephanus II. Rex.	Sophia Vx. Sobeslai Marchionis Morauiae Cognata Stephani.

Conci-

Concidit itaque coniectura quam modo exposui, aliaque via incunda erit nobis qua cognationem Bertholdi de Andechs cum Bertholdo de Bogen adstruamus.

Opportune semet offert Hadewiga Adelberti de Bogen coniux, quam Hundius iam iam ex domo Neuburgensi ortam, et Eckberti I. filiam fuisse tantum non dixit.

Quo certius est Adelbertum Bogensem possedisse atque ad filios transmisisse Windbergensem Comitatum, eo procliuior sum ut credam Hadewigam ex Neuburgensi quidem familia utique oriundam at filiam fuisse Hermanni I. Comitis de Windberg ex Hadwiga, sororem vero imo et haeredem Hermanni II. Windbergensium ex Neuburgensi familia Comitum ultimi. Conferas hic Lector necesse est tab. XXV. capiti secundo huius libri adiectam, unde sequentia tantum excerpemus.

Thiemo II. Halensis Praeses.

- Meginhardus Comes.
  - Hermannus I. de Windberg Vx. Hedwig.
    - Hermannus II. de Windberg.
    - Hedwig haeres Castri Windberg, Vxor Adelberti de Pogen.
      - Bertholdus de Pogen Cognatus Bertholdi de Andechs.
- Thiemo III. Comes.
  - Heinricus II. Comes Prouincialis 1086.
    - Agnes nupta Arnoldo de Diessen praesidi Halensi.
      - Bertholdus de Andechs cognatus Bertholdi de Bogen.

§. V.

Friderico Aduocato patrem tribuunt Aſwinum de Bogen Aduocatum Altahenſem, quem patrem itidem fuiſſe aiunt Alberti noſtri. Fridericus itaque patruus fuiſſet Bertholdi de Bogen. His ego adſtipulabor donec certiora afferentur, aut monumenta e tenebris emergent quibus meliora conſtabunt.

Prope ſum ut *Adalbertum* Bogenſem Aſwini filium, qui A° 1125. paruulos iam filios habebat, eundem eſſe putem cum *Adalberto* alio qui *adolescens* adhuc erat anno 1106. et „ *inſtinctu Heinrici IV. Eximperatoris Legatos Heinrici V. in ciuitate Tridentina oppreſſit, quia partium illarum quamuis adolescens quodam Comitatu inſignis erat. Reliqui proceres indigne tractati ſunt a ſtultiſſimo captiuatore praeter Ottonem Bambergenſem, cui eo quod* SVVS MILES *eſſet, parcere cogebatur.* „ a. Haec optime cadunt in principem Bogenſem, utpote Bambergenſis Eccleſiae vaſallum notiſſimum a qua tenebat etiam Aduocatiam *Altabenſem.*

Tridentinis partibus vicinus Adalberti Comitatus, praediaque indigitant nobis originem *Arcuanorum Comitum* a Bogenſibus repetendam. Primi quos legi unquam Arcuani nuncupantur in litteris Friderici Imp. A° 1164. exaratis ubi Caeſar eos appellat *fideles ſuos Vdalricum et Fridericum I. de Arco.* Confirmauit Otto IV. litteras a. 1209. in gratiam Vdalrici II. Friderici II. filii Vdalrici I. nepotis. Friderici II. filio Vdalrico II. frater fuit Fridericus III. filii *Adalpretus* et Riprandinus quos iunctim leges in diplomate Friderici II. Imperatoris quo anno 1221. praedium eorum in Comitatum erexit, quia antiquitus ex *nobilibus et antiquis Comitibus originem protrahebant.* b.

Quae

a) Annal. Saxo Conr. Vrſperg. h. a.

b) v. ſingula haec in Cod. probat.

Quae cum ita ſint quid obſtat quo minus *Vdalricum I.* et *Fridericum I. de Arco fratres* filios dicamus ſiue *Hartwici* de Bogen a. 1142. celebris ſiue Adelberti II. A° 1140. in obſidione Faleyae occiſi ?

Originem hanc Arcuanorum a Bogenſibus confirmant nomen *Arco* quod Italum eſt et *Bogen* denotat, inſignia Bogenſibus antiquis et Arcuanis communia, elogium *nobiliſſimae gentis* a Friderico II. datum ſituſque Comitatus quem in partibus Tridentinis rexit Adelbertus Bogenſis: nomina Adalberti et Friderici apud Arcuanos aeque frequentia ac apud Bogenſes ea deprehendis: communis denique inde a tribus fere ſeculis et recepta in Baioaria opinio, Bogenſes ab Ottone II. Duce in Italiam pulſos fuiſſe. [a]

§. VI.

Nonnulla libet addere de *Hartwico* Adelberti Comitis Bogenſis filio, quem *Arcuanorum* ſatorem nuncupare fas eſt. Male is audit in excerptis Altahenſibus apud Oefelium. Caeterum legere eſt illum A° 1143. in litteris Conradi III. Regis: ubi medius inter *Gebehardum Sulzbacenſem et Engilbertum Hallenſem Comitem* teſtimonium praebet *Adalpertus Comes de Bogen et filius eius Hartwicus* [b]. Anno 1147. cum commutatio fieret inter Ottonem Friſingenſem Epiſcopum et Adelhayden Abbatiſſam Patauienſem teſtes fuerunt *Fridericus Ratisbonenſis Aduocatus — Poppo et Bertholdus Comites de Andechs, Hartwicus Comes de Pogen &c.* [c]

In monumentis Admontenſibus [d] reperio *Aſcuinum* quendam *de Aiche*, libenter ego heic legerem *Aſchwinum de Arche*, ut

 hoc

a) v. Ioh. de Wildenberg ap. Oefel. T. I.
b) Meichelb. Hiſt. Friſ. T. I. P. I. p. 326.
c) Inſt. Friſing. n. 1321.
d) ap. Pez. c. 62.

hoc tandem pacto assequeremur filium Hartwici. Sed temeraria utique foret haec coniectura.

Sufficiat haec de gente inclytissima annotasse postquam indicauimus quae potissimum ratio ineunda nobis esse videtur, ut explicetur *Cognatio* Bertholdi Bogensis cum Bertholdo nostro Andechsensi.

Tabula XXVII.

Comitum de Bogen.

Ascuinus de Bogen circa a. 1070. seqq.

- Adalbertus Comes de Bogen a. 1106 - 1142. Vxor Hedwig filia et haeres Hermanni de Windberg.
  - Adelbertus II. Comes de Bogen occisus a. 1140.
  - Bertholdus I. Comes de Bogen Vx. Luitgardis.
    - Comites Bogenses reliqui.
- Fridericus Comes de Bogen Vx. Bertha.
  - Hartwicus Comes de Bogen 1142. 1147. sator Comitum de Arco.
    - Vdalricus I. Dominus de Arco a. 1164.
    - Fridericus I. de Arco a. 1164.
      - Fridericus II. de Arco circa 1180.
        - Vdalricus II. Comes de Arco 1209.
          - Adelbertus Comes de Arco a. 1222.
            - Familia Comitum de Arco.
        - Fridericus III. 1209 - 1222.

CAPVT



CAPVT QVINTVM

SYNOPSIS.

De Comitibus de Wolfratshausen: Agnati fuerunt illi Diessensium seu Andechsensium. Natales eorum ad Fridericum Rochum referuntur.

§. I.

Si in animo haberem Arnpeckhii effata probare magis quam veritatem indagare, incumberet iam mihi, ut ostenderem Vohburgenses quoque Marchiones a Schyrensibus oriundos fuisse; nam et hos addit genti numerosissimae. Id tamen ne conabor quidem quamuis elementa nonnulla sufficiat unus Arnolfus vel Arnoldus Praepositus Emmeramensis, quem omnes et ipse Basnagius inter Vohburgenses referunt. [a] Ipse vero nos docet ex patre auum sibi fuisse Arnoldum qui vixit circa annum 960. cuiusque filius Arnoldi Praepositi pater, filiam duxit Berchtoldi Marchionis Nortgouiae, quem ideo *auum suum ex matre* nuncupat Arnolfus.

Crederem libenter Arnolfi Praepositi patrem Arnolphum quoque dictum alterumque esse ex duobus *Arnolfis* quos in *Sundergowia* Comites deprehendimus anno 980. duodecim ferme annis postquam Arnolfus I. vitam in Naba flumine finiuerat.

Quin

a) L. I. c. 13.

Quin et adderem Arnolfum hunc I. filium fuisse Arnolfi Comitis Palatini fratremque Berchtoldi ab Vngaris occisi, utque Arnolfo II. Comitatum in Sundergowia commode assererem ex veteribus monumentis eruere conarer Vohburgenses praedia in Baioaria meridionali possedisse, et Buranum Monasterium opibus suis ditasse. a.

Sed hoc argumentum satis esto leuiter attigisse ut ad Wolfratshusanos statim veniamus, qui ab Andechsensibus nullo modo auelli debent.

§. II.

Berchtoldo Andechsensi Diessensium fundatori et Sophiae marito socius fuit *Otto II. Comes* maritus *Laurittae*, cum ille a. 1132. offerret coenobium Diezense B. *Petro eiusque vicario Innocentio Episcopo.* b.

De Lauritta legitur in primo Diessensium Necrologio „ 3 *Kal.* „ *Septembris Lauritta obiit* FVNDATRIX *huius loci* „ In altero vero „ 2. *Kal. Septembris* LAVRITTA COMITISSA *obiit fundatrix huius loci,* „ MATER OTTONIS *et* HEINRICI COMITVM *fundatorum nostrorum.*„

De Ottone III. fundatoris filio legitur in altero Necrologio „ 4. *id. Nouembris Otto Comes obiit* FILIVS OTTONIS FVNDATORIS NOSRI. „ In primo vero „ 5. *id. Nouembris* OTTO COMES *Iunior obiit anno* „ 1127. *Papiae sagitta* CONFOSSVS, SEPVLTVS IN CAPITOLIO.„

Mortis

a) Chron. B. Buran. p. 89. b) Hund. Metrop. T. II. p. 181.

Mortis eius meminit Annalista Saxo: OTTO, inquit, Co-
„ MES DE WVLFRADESHVSEN *cum aliis quibusdam ex castris ciuitatem Papiam inconsulte adiit, et aliquos inde egredi ad se causa militiae iactando petiit, quod cum illi recusarent, ipse acceptis securibus portas effringere aggressus est, ubi et mox interfectus occubuit.*

Sed hunc casum refert Annalista ad annum 1136. exque eo tanto magis emendandum est Necrologium quod anno 1127. nulla in Italiam a Germanis suscepta sit expeditio, nec obsessa fuerit Papia.

Monachus Weingartensis a. postquam dixit *machinante Aduocato Ratisbonensi* FREDERICO *cum aliis aemulis Ducis Heinrici Ratisbonenses elegisse Heinricum unum de* NOBILISSIMIS FRATREM scilicet OTTONIS de WOLFERATENHAVSEN *narrauitque bellum huius Ottonis cum Henrico Duce*, addit, OTTONEM *saepedictum Comitem a Duce in gratiam receptum et stipendiis oblatis ad expeditionem illectum fuisse*, subiungit, *Heinricum in Italiam traiecisse*, ubique de Papia mentionem iniicit, IBI, inquit, et OTTO COMES DE WOLFERATENHAVSEN VITA PRIVATVS OCCVBVIT. Manifesta est autoris sententia *Ottonem occisum* fratrem fuisse *Heinrici Episcopi* Ratisbonensis.

In alia longe abit Hochwartus scriptor diligentissimus b. Is COMITEM de WOLFRATESHAVSEN *qui* CONFOEDERATVS FVIT CVM FRIDERICO ADVOCATO NEPOTEM FVISSE ait, HEINRICI EPISCOPI. Electus tamen hic fuerat iam anno 1130. quo adhuc viuebat *Otto*

a) c. 12. b) Lib. II. c. 24. ap. Oefel.

Comes Laurittae maritus : Recte itaque Weingartensis Heinricum Episcopum fratrem fuisse dixit OTTONIS II. tunc *Comitis.* Vtrum recte quoque dixerit eumdem Ottonem occisum esse anceps est quaestio.

In Codice Traditionum Diessensium Oefeliano duae chartae reperiuntur [a]. quarum altera „ *Oudalricus de Humeras tradidit portionem haereditatis suae in Wengen per manus* DOMINI SVI OTTONIS „ III. et HEINRICI et DOMINAE SVAE LAVRITTEN *in manus Aduocati Comitis Bertolfi* et filii sui *Popponis*, *altera Comes Heinricus* „ *tradidit suam Principalem curiam in Diezen* et *praedium suum in* „ *Wengen*. et *insuper* MATER SVA *domina* LAVRETTA COMITISSA „ *addidit mansum suum.*

De natalibus Laurettae infra Lib. XII. cap. 9. agetur : monuisse heic sufficiat filiam fuisse illam Ottonis Palatinorum Schirensium primi, A° 1132. defuncti cuius hinc generum Ottonem I. Wolfratshusanum vocauit Monachus Weingartensis.

§. III.

Suspicaris mortuum fuisse Ottonem II. Heinrici Episcopi fratrem, cum scriberetur charta posterior. Scis vero certo certius *duos Laurittae filios fuisse* OTTONEM III. et HEINRICVM II. hunc vero eumdem cum Episcopo non fuisse. Ottonis II. itaque cuius uxor Lauritta fuit, frater erat Heinricus I. Episcopus. Rem explicat charta Dietramicellensis [b]. quae anno 1107. scripta ex-

a) n. 64. et. 68. b) Hund. T. II. p. 176.

exhibet „ OTTONEM *I. Comitem de Dieſſen* cum *duobus filiis ſuis* „ OTTONE II. et HEINRICO repetentem partem ſyluae *Eglinger-* „ *furt ſeu Eglingenbarde, quam occupauerant inſtitutores Dietramcellen-* „ *ſes, et nouae eccleſiae largientem quicquid repetitum euicerat.* Haec eſt haud dubie *illa ſylua Leginbart*, cuius partem poſſederat *Arnoldus* de *Ribberisbuſa.*

Otto II. vero et *Heinricus* filii Ottonis I. anno 1107. memorati iidem ſunt, quorum alter Ratisbonenſis Epiſcopus euaſit anno 1107., alter Otto II. duxit uxorem Laurittam.

Otto I. utriusque pater quo anno obierit, quam uxorem habuerit dubitari poteſt.

De uxore ita in Necrologio Dieſſenſi altero 3. Kal. Februarii IVSTICIA COMITISSA *obiit ſepulta Danigen*, *mater* HEINRICI EPISCOPI RATISBONENSIS et OTTONIS COMITIS FVNDATORIS NOSTRI.

Recentiores tamen Ottoni II. Laurettae coniugi obtrudunt *Adelheidem* quandam, quam matrem vocant Ottonis Comitis et Heinrici. Latent vero hic errores immenſi, dequibus mox dicemus poſtquam connubium Ottonis I. cum Iuſtitia nouo argumento firmauerimus.

Vidimus militem *ab Homeras* caſtro nuncupatum miniſterialem fuiſſe *Ottonis III.* et *Heinrici II. Comitum*, Laurittae filiorum. Monachus Weingartenſis autem diſerte docet Homeras caſtrum

 per-

pertinuisse ad Ottonem Comitem Wolfratshusanum, ideoque ab *Heinrico Duce* oppugnatum. His suppositis dubium non est quin Ottonem I. nobis ex litteris Dietramcellensibus iam notum reperiamus in *Catalogo bonorum* quae *diuersi proceres habebant ab Ecclesia* Frisingensi *cum Meginwardus Episcopus esset*. Exhibet Meichelbeckius a. Catalogum cuius haec sunt verba: COMES OTTO DE „ OMERAS 2. *Curtes apud* TINIGGEN *et duas hubas apud Cirlo*.

Ne dubita quin Tiniggen idem sit locus qui *Danigen* (alias *Diengen*) in quo sepulta fuit IVSTICIA COMITISSA *mater Heinrici Episcopi*

Non possum igitur quin asseram OTTONEM DE DIESSEN qui vixit anno 1107. eumdem esse qui ab Omeras quoque nuncupatus est cuiusque uxor fuit *Iusticia*.

Praeter Ottonem I. Iusticiae maritum, praeterque Ottonem II. Laurittae coniugem patremque Ottonis III. et Heinrici II. Necrologium Diessense prius nominat quartum quendam „ 6. „ *Kal. Iun. Otto Comes post Monachus factus obiit sepultus Seon fun-* „ *dator loci istius*. Glossam adiecit manus recentior sequentem: Anno 1122. Otto hic idem esse nequit qui maritus Laurittae, „ nam ambo coniuges vixerunt adhuc a. 1132. nisi fallit nos In- „ nocentius Papa.

Necesse est ergo ut in eum sedulius inquiramus, spe macti sic tandem id explicatum iri quod de Ottone Adelhaydis marito somniarunt recentiores.

§. IV.

a) Hist. Fris. T. I. p. 289.

§. IV.

At euolue mecum Hiſtoriam S. Quirini Tegernſeenſis ab Oefelio editam [a] et habebis integram hiſtoriam Monachi illius Seonenſis.

„ COMES SIBOTO ADVOCATVS IN TEGERNSEE rem fa„ miliarem male adminiſtrans . . . ut ſumptibus parceret Conra„ dum I. Abbatem orat , ut THORI SVI CONSORTEM LAVRET„ TAM VXOREM *aliquamdiu ibi ſeruaret, quodei denegari non potuit.* „ *Veniens igitur Domum eam ad monaſterium miſit*, et *ipſe ad Noricum* „ *Ripenſe tranſiuit.* (*Fit prodigium*, *Comitiſſa fraudem ſubeſſe ſuſpica*„ *tur*) *clam miſſo legato Comiti ſignificat. Ille grauiter via commo*„ *tus*, *ſtatimque iter arripiens*, *redeundi gratia in Strenberg oppido* „ *Auſtriae pernoctauit*, *quod ditioni ſubeſt Tegernſeenſium* (*pratum ſubditi* Tegernſeenſis equi eius totum depaſcunt , ſed poſtridie dum conſcendit equum morbo lethali percutitur) „ *a ſuis deuebitur* „ *paulatim ad coenobium quoddam regularium Canonicorum S. Margare*„ *thae in Bamburg* , et *inualeſcente morbo* , *leniori deinde carpenti ve*„ *biculo imponitur. Mox legatus ab eo mittitur ad* SEONENSE MONA„ STERIVM, *atque Abbas in Seon celeriter aduocatur*, *quo nibil re*„ *morante ipſe*, *criminum confeſſione factas* , *in ortem poenitentium ſe* „ *transferens* MONASTICVM ſuſcepit HABITVM , COMITISSA „ *vix conſentiente quae multo ante Aduocata fuerat ex Tegernſeé*, *ſtatim* „ *eo languescente et iam moriens omnes fideles et amicos diligentius ora*„ *bat*, *ut ſi unquam animae illius conſulere vellent*, *nullum* FILIORVM „ *eius Aduocatiam Tegernſeenſem obtinere permitterent. Abbas deinde*

a) Tom. II. p. 61.

„ *qui poenitentiam eius susceperat et Monachum fecerat* , *eo in loco*
„ *eum sepeliuit:*

Viden quomodo misere turbauit omnia Historicus S. Quirini : Sibothoni Neuburgensi dat coniugem Laurettam quae Ottonis de Wolfrathausen uxor fuit ; quod ipse Biographus Abbatum agnouit , imo et in rubro Capitis de miraculis S. Quirini diserte legitur *Lauretta Vxor Comitis de Wolferzhausen.* Legerunt haec audieruntue autores alii rerum istarum ignari , et Sibothonem temere Diessensibus adnumerant , utque salua fiant omnia plerique Sibothonem illum eumdem fuisse putant cum Ottone Wolfratshusano duplici nomine nuncupato.

Fabula vetus est siquidem relata in Necrologium Diessense, sed nihilo tamen minus fabula dicenda erroruе quem aegre excuses. Vnum id quaeri potest , cur fabulam narrarit miraculorum compilator , aliter scripserit Biographus Abbatum , qui ipse nos docet SIGIBOTONEM *Comitem* Neuburgensem fuisse. Sed quis tandem unquam nascetur Oedipus qui aenigmata soluet in vitis Sanctorum ubiuis obuia. Id unum male me habet irrepsisse errorem in Necrologium Diessense, licet certum fere habeam manu recentiore interpolatas aut suppletas , si diis placet, esse Luitoldi notas Diessensium ferales. Caeterum vero nonnihil latere in fabula quam impugno iam probabo.

§. V.

§. V.

Indicat illud fundatio Monasterii Weiarn his verbis concepta: a.

„ . . . . *Ego* SIGEBOTHO Dei Gratia ALIQVANDO COMES,
„ *pro remedio animae meae et quondam coniugis meae Adelhaid nostrorum-*
„ *que filiorum* SIGEBOTHONIS et GERTRVDIS OMNIVMQVE PATRVM
„ *nostrorum, partem haereditatis meae concedentibus propinquis nostris*
„ *ad constituendam Vinariam cellam contradidi, in quo Canonicos locare*
„ *disposui . . . testes autem huius traditionis sunt Rudolph Aduoca-*
„ *tus et filius eius Sigebotho etc.*

Nouam cellam delegauit *Sigebotho* Ecclesiae Salisburgensi hac lege: „ *haec autem omnia me petente praedictus Archiepiscopus Con-*
„ *radus dabit Domino* RVDOLPHO *in Aduocatiam.*

Chonradus suscepit delegationem et fundationem confirmauit anno 1133. statuere itaque possumus anno 1132. Reipublicae vale dixisse Sigebothonem. Emendandum ergo est hic Necrologium quod funera Ottonis seu potius Sigebothonis Monachi in anno 1122. refert in anno 1132. forte referendum, nisi haec omnia de Ottone Iustitiae marito intelligenda sunt.

Propinqui quibus concedentibus Cellam Vinariam fundauit Sigebotho de Neuburg erant Rudolphus et Sigebotho. Quae vero fuerit ea propinquitas docet notula excerptis Gewoldianis addita his verbis: b.

Co-

a) Hund. Metrop. T. III. p. 342. b) ibid. p. 348.

„ *Comitis Sigbotonis pater dicebatur Rudolfus, auus eius Herran-* „ *dus, atauus eius Patto. Eiusdem Comitis mater dicebatur Gerdrut,* „ *auus eius Sigboto, atauus eius Gerolt. Filii Comitis Sigbotonis dice-* „ *bantur Chuno et Sigboto, mater vero eorum Hiltegartis.*

Deteximus itaque quaenam fuerit reuera uxor Sigebothonis noſtri ex Comite Monachi, *Adelhaydis* nempe eademque ipſi ſuperſtes.

Sed nimii forte fuimus in refellenda fabula; ad Ottonem Iuſtitiae maritum ramique Wolfratshuſani autorem redeamus.

Obiit ille, ſi de ipſo intelligenda ſunt quae de Ottone Monacho ſomniauit gloſſator Dieſſenſis, a. 1122. ſed iam grandaeuus utpote qui filium iam habebat a 1107. nepotes adultos a. 1136. natum ergo dicas eum circa a. 1060.


Hinc conſtat quam male a plurimus recentiorum Otto hic quem *Seniorem* et *Domus Maiorem* vocat Necrologium Dieſſenſe 9. Kal. Maii dicatur frater *Bertholdi* fundatoris. Luitoldus ſane Arnoldi obitum referens diſerte eum *patrem* vocat *Bertholdi*, quidni et *Ottonis* vocaturus, ſi Otto reuera ab eo genitus fuiſſet. Adde ſis Bertholdum A⁰ demum obiiſſe 1160. quo ergo pacto frater eſſe potuit viri quem A⁰ 1060. natum recte ſtatuimus.

Fatebor arduam eſſe de patre Ottonis I. quaeſtionem. Quod ſi tamen dicendum quod fert animus, arbitror filium ipſum fuiſſe

Fri-

Friderici Rochi. Aſſerto fauet 1º quod in ſexto monumento Dieſſenſium Oefeliano [a] in quo ſepulcralis memoria Dieſſenſium Comitum ordine natalium obſeruato celebratur, *Kuniſſa Comitiſſa* Rochi coniux praecedat nullo medio *Ottonem Comitem de Wolfratshauſen eiuſque uxorem Iuſtitiam* 2º quod Wolfrateshuſani praedia eadem poſſederunt quae tenuit Arnoldus Bellator Diengam ad Secuptam, ſyluamque Leginhard, quae vero Andechſenſium ab Arnoldo Atilenſi deſcendentium poſſedit nullus: 3º quod Kuniſſa Rochi coniux dicta eſt dominatrix in Dieſſen. At vero Wolfrateshuſani praecipuam fortunarum ſuarum ſedem Dieſſae habuerunt primasque in fundatione Dieſſenſis coenobii partes haud dubie ſuſtinuerunt 4º denique quod nomina Ottonis et Heinrici apud Wolfratshuſanos gentilitia, caeteris Andechſenſibus vero toto ſaeculo XII. ignota in gentem Rochi commode inuehi potuerunt a maioribus *Kuniſſae* deſumta.

Haec itaque erit Wolfratshuſanorum Stemmatographia.



a) Tom. II. p. 703.

Tabula XXVIII.

Arnoldus I. Bellator Dnus. in Rihherishusa a. 1025 - 1046.
v. Tab. XXVI.

Fridericus Rochus † circa 1090. Vxor Kunissa.

Otto I. Senior f. Maiordomus Comes in Diessen et Wolfratshausen † 1121. Vxor Iustitia.

Leutpoldus Comes † 12 Kal. Aug.

Otto II. Iunior Comes de Wolfratshausen. Vxor. Lauretta † 1137. 2 Kal. Sept.

Heinricus Episcopus Ratisbonensis electus 1130.

Otto III. Comes de Wolfratshausen.


Heinricus II. Comes de Wolfratshausen.

Reliqua dabit Hundius.

Arnoldus fundator Atilensis Vx. Gisela † circa 1100.

Familia Andechsensis v. Tab. XXVI.

LIBER



LIBER DVODECIMVS.

De Satoribus Augustae Gentis Boioaricae ab Ottone I. usque ad Ottonem Magnum Baioariae Ducem.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS.

Anacephalaeosis Historiae Schirensium Principum eorumque agnatorum libris X. et XI. adumbratae.

§. I.

Etsi a proposito meo longius aberrauerim cum familias pluririmas recenserem de quibus orti non sunt Duces Baioariae, nostra charissima cura, praestiti tamen quod poenitendum nemini erit, illas si minus illustrando omnino, ab insolitis saltem erroribus, quanta potui industria, integra fide vendicando.

Nunc vela dum contraho in eo esse debeo, ut omnia, quae fuse hactenus pertractaui, uno veluti intuitu dispicere queat Lector, in cuius gratiam paucis includam versiculis rationes quae argumentum absoluunt librorum X. et XI.

§. II.

Conſtat *Berchtoldum de Purgecka* Ottonis I. Schirenſis ſocium et cohaeredem, adeoque et ipſum e domo Schirenſi oriundum fuiſſe praediaque eadem poſſediſſe quae Lechsgemundani Comites poſtea tenuerunt.

§. III.

Conſtat eumdem Berchtoldum Comitem quoque Greisspacenſem fuiſſe adeoque filium Berchtoldi de Greisspach.

§. IV.

Conſtat haereditatem Berchtoldi de Purgecka creuiſſe Schauenburgenſes atque Tollenſtenios ſeu Eichſtettenſes Comites; hinc ſequitur et eos ad Greisbacenſem familiam gentemque Schirenſem pertinuiſſe.

§. V.

Conſtat Schauembergenſes et Tollenſtenios non praediorum tantum aliquot quae Berchtoldus de Burgecka a matre forſitan accepiſſe poterat, haeredes ſuiſſe, ſed patrimonii eius uniuerſi quod in mediis Schyrenſium latifundiis ſitum erat, nouo argumento et ipſos inter Schirenſes referri debere.

§. VI.

Conſtat Creiglingenſes Comites Tollenſteinioſque unam eandemque familiam conſtituiſſe, adeoque Creiglingenſes eodem iure quo Tollenſteinios Schirenſibus accenſendos eſſe.

§. VII.

§. VII.

Conſtat etiam Schauenburgenſes Comites a Subenenſibus fundatoribus originem duxiſſe. Idem de Creiglingenſibus Tollenſteiniisque dicendum.

§. VIII.

Conſtat Subenenſem Abbatiam a matrona Neuburgenſi de ſanguine orta fundatam eſſe.

§. IX.

Conſtat aliunde *Gruebanos* et qui ex iis prodierunt *Faleyenſes* Schirenſes fuiſſe.

§. X.

Conſtat porro eosdem communem cum Neuburgenſibus Comitibus qui Sigebotones dicti ſunt originem habuiſſe.

§. XI.

At vero conſtat *Iuotam* matronam antiquo Neuburgenſium Comitum ſanguine natam, et bonorum quae Sigebotones Neuburgici, Schauenburgenſesque imo et Faleyenſes deinceps poſſederunt haeredem, nupſiſſe Ottoni viro Schirenſi. Concedi ergo nobis debet Ottonem illum Iuotamque parentes fuiſſe Neuburgenſium Sigebotonum, Schauenburgenſium, Tollenſteiniorum, Grubanorum, *Lechsgemundanorum.*

§. XII.

Conſtat iterum proceres quos modo heic recenſuimus haeredes fuiſſe Bertholdi de Burgeck principis itidem Schirenſis: Concedi ergo nobis debet Ottonem Iuotae maritum proximum agnatum extitiſſe Bertholdi de Burgeck.

§. XIII.

Conſtat Ottonem *Iuotae* maritum patrem ſalutaſſe Bertholdum quendam eo ipſo tempore celebrem quo vixit Bertholdus de Greisbach pater Bertholdi de Burgeck: concedi ergo nobis debet, Ottonem fratrem fuiſſe Bertholdi de Greisbach, patrem utrique communem nomine referentis.

§. XIV.

Conſtat Bertholdum Seniorem, Ottonis patrem, Schirenſem fuiſſe, filiumque Friderici I. Kunegundae mariti; Fridericus I. itaque dicendus erit felix ſator Schirenſium, Neuburgenſium, Faleyanorum, Lechsgemundanorum, Tollenſteiniorum, Schauenburgenſium.

§. XV.

Conſtat Fridericum I. Schirenſem Dominum quoque fuiſſe in Dieſſen: multa praeter haec praeterque diſertum Arnpeckii teſtimonium ſuadent Andeccenſes ab eodem ſanguine quo Shirenſes genus ſuum traxiſſe. Concedi ergo nobis debet Arnoldum bellatorem Andechſenſium ſatorem atque Friderici I. Schirenſis et

et Diessensis Domini coaetaneum, fratrem huius ipsius Friderici I. fuisse.

§. XVI.

Constat pridem Wolfratshusanos Comites ab Andechsensibus descendisse: Concedi ergo nobis debet Fridericum Rochum Arnoldi Bellatoris filium, in quem aetas aliaque argumenta optime congruunt Wolfratshusanorum satorem extitisse.

§. XVII.

Fridericus I. Schirensium, et Arnoldus Bellator Andeccensium satores per aetatem filii esse nequierunt Bertholdi ab Vngaris occisi, quem monumenta omnia autorem Schirensium vocant: Concedi ergo nobis debet Bertholdi filium, Frederici et Arnoldi patrem fuisse Arnoldum Sundergouiae Comitem Adelhaydis maritum. Nec iniustum quid nimiumue nos postulasse superius demonstratum est.

§. XVIII.

At vero Friderici I. filius fuit Otto I. indubius proximusque Schirensium adeoque Augustae gentis Palatino-Boicae sator.

Haec omnia vero ut facilius intelligat Lector, oculis fidelibus subiecta, sequentem confecimus tabulam omnium quotquot nouimus Schirensium agnatorum.

Tabula

Tabula XXIX.

Schirensium Comitum, eorumdemque Agnatorum ex seculo XI. tabula.

Arnulphus Dux Baioariae.

Arnulphus II. Comes Palatinus † 953.

2 Arnoldus seu Arnulfus unde Comites Vohburgenses † circa 968.

1 Bertholdus II. Comes ab Vngaris occisus a. 955.

Comites & Marchiones de Vohburg a. 1210. extincti.

Arnolphus s. Arnoldus III. Comes Sundergouiae † circa 1010. Vxor Adelhayd.

Bertholdus III. occisus a. 983.

2 Arnoldus IV. dictus bellator siue de Rihherishusa 1025-1046.

Bertholdus IV. Comes a. 1020.

1 Fridericus I. Comes 1025-1040. Vxor Kunegunda.

Arnoldus V. Comes in Andechs fundator Atilensis a. 1073. † 1080. Vxor Gisela.

Bertholdus VI. (I) Comes de Andechs.

Fridericus II. Rochus Comes de Diessen † circa 1090. Vx. Kunegunda Alemannica.

Otto I. Comes de Scheiren † 1070. Vx. Hazaga.

Bertholdus V. de Greisbach † ante 1065.

Arnoldus VI. Comes de Diessen et Andechs, Praeses Hallensis † circa 1120. Vx. Agnes de Fornbach.

Otto II. (I) Senior s. Maior-domus, Comes de Diessen et Wolfratshausen † 1122. Vx. Iustitia.

Schira Wittelspachii v. Tab. XXX.

Otto II. Comes 1060. † circa 1070. Vx. Iuota de Neuburg.

Bertholdus VII. de Greisbach a. 1065. Vx Willitrud Palatina v. L. XII.

Bertholdus IX. (II) Comes de Andechs, fundator Diessensis † 1160. Vx. Sophia de Ammertal. † 1156.

Otto III. (II.) Iunior Comes de Wolfratshausen † 1137. Vx. Lauretta.

Heinricus Eps. Ratisbonensis.

Heinricus Comes de Lechsgemund † 1078.

Ernestus de Kregelingen † 1100.

Sibotho de Neuburg et Weiarn 1114.

Bernardus de Gruebe 1102.

Agnes nupta Ottoni de Scheirn.

Bertholdus de Burgeck † improlis Vx. Guta.

Popo Comes de Andechs Vx. Chunissa de Truhendingen.

Bertholdus X. (III.) Comes de Andechs Marchio Istriae † 1188. Vx. Hedwig filia Conradi de Dachau Ducis Dalmatiae.

Otto Eps. Bamberg 1177. † 1192.

S. Mathildis.

Otto III. Comes de Wolfratshausen.

Heinricus Comes de Wolfratshausen.

Heinricus Comes de Lechsgemund a. 1100. seqq.

Hartwicus de Kregelingen a. 1138.

Otto de Gruebe fundator Bernriedensis 1122. Vx. Adelhaid.

Bertholdus XI. (IV.) de Andechs, Marchio Istriae Dux Dalmatiae et Meraniae † 1204. Vx. Agnes.
Familia Meranensis Tab. XXVI.

Familia Wolfratshusana Tab. XXVIII.

Conradus I. Comes de Faleye 1166.

Familia Faleyensis Tab. XXIII.

Gerardus I. de Kregelingen et Tollenstein 1156. seq.

Heinricus III. Comes de Lechsgemund 1140. seq.

Fam. Lechsgemundana s. Greisbachensis Tab. XXIII.

Fam. de Tollenstein & Schauenberg Tab. XXIII.

Familia de Neuburg recentior. Tab. XXIII.

CAPVT SECVNDVM

SYNOPSIS.

Inquiritur in familiam Hazagae Comitissae Ottonis I. Coniugis; exploduntur fabulae quae ipsam ex Arragonia adsciscunt: probatur filiam fuisse Werneri Comitis et Willipirigae, hanc vero haeredem Vdalscalci Aduocati Frisingensis, et Ebersbergensium. Enumerantur partes opimae haereditatis.

§. I.

Omnes fere, quotquot de satoribus Schyrensium scripserunt, impegerunt in Werinharium quem volentem nolentem iusserunt esse huius gentis autorem. In fidem Conradi Schyrensis id scribere putabant quem non sequerer ego, etiamsi illa dixisset, quippe quae repugnant Ottoni Frisingensi. Propius tamen inspiciamus Conradi narrationem, ut errores eius, si quos errauit, deprehendamus.

Postquam dixit [a] Hermannum Hazigae priorem coniugem occupasse desertos saltus quos coli curauit „*sed hic*, *inquit*, *paululum* „ *a* Stilo narrationis divertentes *inserere curamus videlicet* vn- „ de *vel quae fuerit praedicta Haziga.*

a) Sect. I.

Haec igitur NOBILI et ANTIQVO GENERE *Principum de castro Schyren* orta, *nobilior* ACTIBVS *ut post claruit* COMITI HERMANNO DE CHASTEL *nupta fuit.*

Frustra igitur Hundius Auentinusque me docuerunt Hazigam filiam Regis Arragoniae fuisse, ut tamen hic lapsus fuerit Cunradus, quod nondum affirmabo, miscueritque imprudens genus Hazigae cum genere mariti, lapsusne est iterum cum adderet „ HVIVS *etiam Patriarcha Aquileiensis* et *supradictus Episcopus Polensis duo* FRATRES FILII MATERTERAE *ipsius* HAZIGAE fuerunt. Dixerat antea Cellam a *Polensi venerabili Episcopo* anno 1077. consecratam esse.

Mirum foret filiam Regis Arragoniae ex matertera consobrinos habuisse qui ambo Episcopatus in Italia, qua maxime orientalis est, et ambiuissent et impetrassent. Sed in hac fabula haerere ridiculum foret. Moneamus duntaxat Hazigae nomen nonnihil Hispanicum forte sapuisse, et ignaris praecipitibusque in coronas viris Hermannum de *Chastel* Regem aut Comitem visum esse *Castellarum* in Hispania, hincque ipsos uxorem illi petitum iuisse ex Arragonia vicina, post mortem primi coniugis, errores Isidis imitaturam et in Baioariam usque euagaturam.

§. II.

Prudens dixit Conradus *Hazigam ex genere Principum de castro Schyren ortam fuisse.* Nam a bi postquam monuisset *Castri Schyrensis partes* plures ad plures familias spectasse, addit parti-

um

um istarum aliam *apraecipuis et summis viris possessam esse qui et ab*
„ *eodem monte Schyrenses Principes dicti sunt*, *et inter quos quidam*
„ *Wernherus Comes fuit.* HVIVS NEPOS Comes FILIVS DOMINAE
„ HAZIGAE FVNDATRICIS qui *et postea solus eidem urbi dominabatur*
„ *quatuor filios habuit.*

Nepos Wernheri filius fuit Hazigae. Wernherus itaque pater fuit aut Hazigae aut eius mariti. At dixit Hazigam de genere Principum de Schyren fuisse. Sententia itaque Cunradi est Hazigam filiam fuisse Wernheri Comitis qui inter Principes Schyrenses emicuit.

Id quidem male congruit cum rebus a Wernhero gestis quem ait *Vngaros* „ *eduxisse temporibus S. Vdalrici aduersus Impera-* „ *torem Ottonem apud Augustam* ; Vix enim credet aliquis Wernherum qui anno 955. vir iam esse debuit patrem fuisse Hazigae anno demum 1103. defunctae. Alterutrum itaque falsum est. At cum Wernhero, meliora edocti, substituerimus Berchtoldum, dicendum erit Conradum de Wernero quodam ex saeculo recentiore locutum esse : asseremusque Hazigam filiam fuisse Wernheri huius Comitis. Monebimus vero Lectorem meminerit Hazigam, Hazacham et Hadewigam unum idemque nomen sonare.

Matertera Hazachae *Hadmuota* dicta mater fuit Ellenard Episcopi Polensis et *Patriarchae* Aquileiensis. Hadmuota illa Vdalscalci Archi Aduocati et Willipirigae Eberspergensis filia, nupta fuit Popponi de Weimar, uti quidem ex libro VIII. cap.

II. tabula XX. cum libro XI. cap. 4. collato conſtat. Videamus iam quis inde deriuandus ſit Aquilegienſis Patriarcha.

Duo Aquileienſes Patriarchae hoc ſaeculo maxime floruerunt. Primus fuit *Poppo* QVIDAM EX NORICORVM PROVINCIA *nobili progenie natus* · qui Heinrici II. antea Cancellarius electus fuit anno 1016. obiit anno 1044. et dicitur potens fuiſſe a.

Succeſſorem habuit Gozbaldum ſiue Gottebaldum Praepoſitum Metenſem, de quo hic non agitur. De Poppone quidem non magis ageretur niſi ex nomine, patria, generisque nobilitate arguere fas foret, prodiiſſe illum ex familia in qua Poppones vel Pabones frequentiſſimi fuerunt. Per aetatem vero non licet ut dicamus, Popponem conſobrinum fuiſſe Hazachae noſtrae.

Alter patriarcha Aquilegienſis nobis opportunus, quem diximus hoc aeuo floruiſſe Sigihardus eſt, qui poſtquam Heinrici IV. cancellarium aliquantiſper egiſſet, Patriarchatum Aquilegienſem obtinuit anno 1068. obiitque anno 1077.

Sola temporis ratio ſufficeret, ſi alia argumenta deficerent, ut aſſereremus Sigehardum hunc *conſobrinum Hazachae* noſtrae fuiſſe, eo magis quod Vghello audiat Germanus.

Patrem itaque habuit, ut iam fere conſtat Poponem de Weimar, matrem Hadmuotam, de qua fuſe actum eſt ſupra, fra-

a) Chronic. B. Buran. c. 6. Translat. S. Anaſt.

fratrem vero Vdalricum I. *Crainiae seu Carinthiae et Istriae Marchionem*, ut adeo mirum non sit Patriarchatum Aquileiensem Polensemque Episcopatum contigisse fratribus viri in hisce quidem regionibus potentissimi, generis autem nobilitate nulli cedentis; nec mirum quod defuncto sine liberis Vdalrico Istria omnis Sigehardo Patriarchae contigerit beneficio Heinrici IV.[a]

§. III.

Fuse actum est Libro VIII. cap. 2. de Hadmuota, probatum est etiam ex monumentis Ebersbergensibus ipsam sororem fuisse Willipirigae iunioris, quae in monumentis Ebersbergensibus [b] disertis verbis Vxor vocatur *Werinharii Comitis* qui ante ipsam defunctus est. Viden Lector quam egregie semet inuicem firment haec omnia? En schema: [c]

Sed hic Wernharus vixit post 1050 et 3 liberos ex Williberga suscepit, cf. n. 167 & 168 apud Oefele. unde has tradit. 155 male ad nuptias Wernheri [illegible] Schirensis & [illegible] Ebersp. probandas trahi videt[illegible]

Pabo de Scheyrn a. 1137.

Vdalscalcus Archi Aduoc. Frising. Vx. Willipiriga Ebersberg. † 1037.

Willipiriga nupta Wernhero Comiti.

Hadmuot nupta Popponi de Weimar.

Hazaga Camitissa Sigehardi ex matertera consobrina.

Sigehardus Aquileiensis Patriarcha Hazagae ex matertera consobrinus (b)

Ellenhard Episcopus Polensis.

 Post-

a) Vghell. Ital. S. Tom V. p. 57.

b) N. 155. ap. Oefele [illegible] 167, 168

c) Conferatur omnino Tab. XX. in fine cap. 2. Libro VIII.

Poſtquam haec ex Conrado Philoſopho cum Ebersbergenſibus monumentis collato, luce meridiana clarius demonſtrauimus, reſtat Lector, ut te in immenſum coniecturarum campum nobiſcum ducamus. Nec tamen opus erit audacia nec aſſentatione ut nobiſcum ſentias, adeo prona tibi videbuntur omnia, veroque ita quidem ſimilia ut quae veriſſima.

Meminiſti Lector eorum quae Libro VIII. pertractauimus ſcilicet,

I. Aduocatiam Friſingenſis Eccleſiae tantum abſuiſſe ut ad Schirenſes noſtros iam ſeculo X. peruenerit, ut Vdalscalcus Archi Aduocatus uſque ad a. circiter 1037. ipſi praefuerit.

2. Hanc Aduocatiam adeo haereditariam fuiſſe ut ad filias quoque tranſierit.

Miratus et fortaſſis mecum, quo tandem pacto Aduocatia iſta ab Vdalscalco numeroſae prolis parente geſta, ad Schirenſes noſtros deuoluta ſit. Deſine iam mirari Lector. Vidiſti illam dotis fere loco ceſſiſſe Willipirigae *Werneri* coniugi. Adminiſtrauit eam poſt Werneri obitum Sigehardus alter Willipirigae maritus; at vix Haziga Willipirigae filia et legitima, imo forte ſola haeres thorum conſcenderat Ottonis I. Schirenſis, quum Otto ſubito omnia Aduocatorum iura capeſſeret ad filios transmittenda.

Conſtat

Conſtat ergo Friſingenſem Aduocatiam iure uxoris atque materno ad noſtros perueniſſe.

Meminiſti Lector, Vdalscalcum Comitem fratrem fuiſſe Babonis Comitis de Schiren absque haeredibus defuncti: mirum ergo non eſt Hazagam dici filiam viri qui partem Schirenſis Comitatus poſſidebat. Attulerat illam *Wernario* marito Willipiriga, Babonis de Scheiren ex fratre neptis et haeres.

Meminiſti Vdalscalcum I. Comitatum ſuum patrimoniumque habuiſſe in pago Hoſiorum, circa caſtrum Ainling, et in eo ipſo tractu ubi conditum deinceps fuit Wittelspacenſe caſtrum. Mirum ergo non eſt haec omnia Schirenſibus noſtris ceſſiſſe poſtquam Hazagam Vdalscalci haeredem duxerat Otto I. noſter.

Meminiſti Geiſenfeldenſem Parthenonem ab Ebersbergenſibus fundatum eſſe: docebit autem te Hundius [a] Aduocatiam huius eccleſiae Ottonibus noſtris contigiſſe: mirum hoc tibi iam non videbitur cum ſcias Hazagae auiam legitimam imo ex aſſe fuiſſe Ebersbergenſium haeredem.


Meminiſti Aduocatiam Kuebacenſis monaſterii ab Ebersbergenſibus fundati ad Vdalscalci ex Willipiriga Ebersbergenſi filium Sigemarum delatam eſſe: extincta mox Sigemari familia iure ſuo in eam ſuccedunt Wittelspacenſes noſtri: nec mirum ſiquidem Willipiriga II. Hazagae mater, ſoror fuerat Sigemari.

Quin

a) Metrop. T. II. p. 246.


Quin et Ebersbergensis coenobii Aduocatia eodem iure ad nostros peruenit, quod suo loco dicetur.

Meministi denique Vdalscalco I. latifundia et Comitatum fuisse in Nortgouia; mirum ergo non est Hazagam nostram ibidem possedisse [a] praedium *Enzensdorf iuxta fluuium Regan*, et *Swiantam* hodie *Schwand* haud procul a Schwandorf. Recte itaque Conradus *Hazagam ortam dixit de nobili et antiquo genere Principum de Castro Schyran.*



CA-

a) Dipl. Heinr. V. de Fundatione Schirensi. Conr Philos. sect. III.



CAPVT TERTIVM

SYNOPSIS.

Inquiritur in origines WERNHERI *Hazagae patris, idemque esse hic dicitur cum Wernero Comite Ernesti Sueuiae Ducis socio. De Hermanno Comite Castellensi, primo Hazagae marito nonnulla obiter, demonstratur filium fuisse Ernesti Ducis, hincque deriuandum esse Hermanni cum Hazaga connubium.*

§. I.

De Wernhero patre Hazachae Comitissae de Skiram nisi aliquid dicerem viderer forte alienarum opinionum nimius contemptor, aut laboris, qui iam ad finem tendit, plus aequo impatiens.

Haud frustra, opinor, de Wernheri facinoribus et infortuniis nescio quid grande in animo habuerunt quotquot omnes de ipso scripserunt.

Natales eius detexisse mihi videor. Pater ipsi fuit *Sigibardus* Comes qui Monachum induit apud Emmeramenses: a. mater Perchta quae *una cum filio suo Werinherio* dedit praedia in *Haganpuch* pro stipe et diligenti cura SENIORIS SVI SIGIHARDI eamdemque largitionem confirmauit et auxit *cum eodem filio suo* WERINHERIO *post*

a) Codex Trad. Emm. c. 39. Pezii

obitum Sigibardi Monachi cuius ſupra mentionem fecimus [a]. Id contigit cum Ramooldus Abbas eſſet adeoque circa annum 1000.

Idem Werinherius *Wezil* vocatur [b]. *cum eadem Percbta ſequens flebile funus ſenioris ſui Guntperti, cui ſecundo nupſerat, aliam largitionem faceret Eccleſiae S. Emmeramenſi.* Ex quo ſequitur Werinherium vix adoleuiſſe cum obiret Sigihardus, ſiquidem matri eius ad alteras nuptias tranſire per aetatem licuit. Niſi omnia me fallunt, Werinhario grande nomen contigit, et, ſi cauſa melior fuiſſet, ſummis laudibus euehendum, utpote qui amiciſſimus fiduſque Achates adhaeſit Erneſto Sueuiae Duci.

Vocat eum Wippo Wehelonem vel Wecilonem Comitem. *Wecelum* nuncupat Poeta [c]. qui Erneſtum Baioariae Ducem cecinit, additque *cognati cum Erneſto ſanguinis fuiſſe.* Scriptores alii *Werebarium* ſalutant, Annaliſta Saxo Werinherum, dum narrat: „ anno 1029. (iuxta alios anno 1030.) *Erneſtum Ducem et* WERIN- „ HERVM *Comitem cum aliis multis in Alamannia occiſos fuiſſe.*

Wernherum hunc Comitem eundem plane non fuiſſe qui *Vngaros tempore* S. Vdalrici in Germaniam adduxit, ſatis ſuperque conſtat; adeo tamen Conradum Schyrenſem vexare nolo ut errorem in quem, iſta narrans incidit, excuſandum non credam, inde: quod Wernherus Hazachae pater atque Erneſtus cum Vngaris reuera foedus inierunt, qua de re audiamus Hermannum Contractum.

„Anno

a) Ibid. c. 40.
b) Ib. c. 67.
c) In Theſ. Martenn. et Durandi

„ Anno 1030. ERNVST DVX *cum exilio relaxatus Ducatum ſuum*
„ *recepiſſet, priuatorum conſilio uſus et denuo Imperatori refragatus Du-*
„ *catu priuatur, et frater eius iunior Hermannus Dux Sueuorum effici-*
„ *tur. Conradus Imperator iam dudum inimicitiis cum Stephano Vnga-*
„ *riorum Rege conflatis Pannoniam petiit, et quantum fluminibus et*
„ *paludibus non obſtantibus poterat Rabam deuaſtauit. Interim in Ala-*
„ *mannia cum Ernuſt dudum Dux eiuſque complices paruis viribus con-*
„ *tra Imperatorem agitantes praedis circa ſyluam Martianam populares*
„ *infeſtarent, a Manegoldo Comite ex Augienſi militia obſeruati et* 16.
„ *Calend. Septembris conſerto proelio victi ſunt, ipſoque Manegoltto ibi-*
„ *dem interempto Ernuſt pridem Dux et* WERINHERE COMES CAPVT
„ REBELLIONIS, *Adalbertus quoque et Werin nobiles milites cum aliis*
„ *ceciderunt et Ernuſt Conſtantiae, Manegoldus vero Augiae ſepulti*
„ *ſunt . . . Pax cum Stephano Rege Vngariorum redintegratur.*

Nec obſtat quod cum anno 1027. *in placito apud Vlmam habito Conradus ad deditionem Ernuſtum Ducem priuignum ſuum accepiſſet et per aliquot tempora exilio deputauiſſet, Cinyburg caſtrum Werenharii Comitis adhuc renitentis aliaque nonnulla rebellium caſtra capta ſunt.*

Quamuis enim conſtaret CINYBVRG caſtrum in Alamannia ſitum fuiſſe, potuit Werinharius id a maioribus accepiſſe, ut Chuno Palatinus Baioariae praedia in Sueuia habuit, aliique Baioarii optimates in Sueuia caſtra et agros poſſederunt, potuit Ernuſt amico praedium caſtrumque in Sueuia dediſſe, ut augeret eius opes dominationemque firmaret.

§. II.

Fateor lubens haec omnia ſupra coniecturam non eſſe; tanta vero ſingulis veri ineſt ſimilitudo ut veritatem ipſam mentiatur.

Cum vero de *Hermanno Comite* de Caſtell Hazagae marito nonnihil dicere polliciti ſimus, euoluere par eſt *Chronicon* Ensdorffenſe anno 1486. vel circiter conſcriptum et ab Oefelio editum, ubi plura reperiuntur de Comitibus Caſtellenſibus Hermanni maioribus poſteriſque.

Scatet quidem libellus fabulis vix tolerandis, ſed lubet inde tranſcribere „ *Wernhero alteri* FILIO ARNOLDI CAESARIS et DUCIS „ BAVARIAE, *et Arnoldi Ducis fratri in legitimam haereditatem ceſſiſſe* „ *Comitatum Schyrenſem et Comitatum Palatinum ad Rhenum, hunc* „ *Wernherum ex uxore Beatrice, quae filia erat eiusdem Regis Vngariae, cuius aliam filiam Agnetem duxerat Arnoldus Dux patrem fuiſſe* „ *duorum filiorum Ottonis et Eckardi et unius filiae Heilbigis, Eckardo* „ *contigiſſe Comitatum Principalem Schyrenſem, Ottoni Palatinatum ad* „ *Rhenum et caſtrum Wittelspach, et ideo vocatum eum eſſe Ottonem* „ *Comitem Palatinum de Wittelspach.* „ Riſum teneas quisquis legeris Comitem Palatinum Ottonem qui anno 1121. monaſterium Ensdorff conſtruxit *filium fuiſſe Beatricis*, et Wernheri Arnulfi fratris, nepotem vero ex filio Arnolfi Imperatoris qui obiit anno 899.

Sed

Sed his locus hic non eſt: pergit Iacobus noſter Ensdorffenſis Monachus qui vixit anno 1486. „ *Legitur in Chronico Caſtellenſi* „ *tempore Caeſaris Ottonis II. a lacu Methodio, ſic enim dicebatur propter aquam, veniſſe* DVCEM ERNESTVM *dictum, qui prouinciam amiſerat, huic a Caeſare Ottone II. datam partem Syluae in Norgawia, ubi nunc ſitum eſt monaſterium Caſtell, et eam ob cauſam excultam fuiſſe. Ex hoc originem trahunt multi nominati Comites in Nortgowia inter quos Comites de Sultzbach et de Caſtell.* „

Hic quoque fabulas times Lector, nec iniuria. Lacus Methodius ſunt paludes Maeotides quibuscum nihil unquam commune habuit Erneſtus; fuga a lacu Methodio eſt transmigratio Nortmannorum quos dicebant a paludibus Maeotidibus ad Balthicum mare ſe tranſtuliſſe. Vir ille qui fugit eſt Wipertus qui pulſus e Dania fuerat, et cuius filius ab Vdone vel Ottone Marchione Stadenſi in beneficium accepit latifundia vaſta quae Groiſeae ad Elſtram nomine poſtea venerunt.

Sylua illa extirpata et in praedium mutata nouale videtur eſſe quod anno 1104. *Wigbertus* in Merſeburgenſi dioeceſi exarare fecit a plurimis Franconiae vel potius Nortgowiae colonis, quos impetrauit a Comite de Lingenfeld, quosque tranſtulit in praedictum pagum ibique ſylua penitus exſtirpata praecepit incolere et haereditario iure deinceps poſſidere, nomine unicuique villae a primi coloni nomine indito.

At qui ſcis, inquies, fabulam Nortgowienſem veritatem eſſe Saxonicam? audi.

Dicit Parſueſius ex Comitibus de Caſtell ortum fuiſſe Comitem Fridericum de Caſtell, cuius filiam Heilicam duxit Otto Comes Palatinus de Wittelspach. Id vero falſum eſt, nam Fridericus ille Comes fuit de Lingenuelt et generum habuit Ottonem, ipſe vero oriundus fuit ex familia Burgrauiorum Ratisbonenſium ad quos pertinuit Comitatus Lingenfeld. At Fridericus ille Comes de Lingenuelt uxorem habuit Sigenam matrem Wigberti. Ita contigit ut translato ad Caſtellenſes Frederico Sigenae marito ad eos quoque transferretur quod ne de hoc quidem verum erat ſed de Wigberti maioribus, quia ſcilicet ex matre Sigena, ex itinereque ad vitricum, et translatione multorum colonorum celeberimus in hoc tractu fuit Wigbertus Groicenſis.

Si dubitas, confer ipſe Lector id quod narratur de Erneſto illo Duce profugo cum eo quod de origine Nortmannorum Annaliſta Saxo et de Maioribus Wigberti ipſoque Wigberto Monachus Pegauienſis narrant, obtinebisque ex fabula de Erneſto venditata nihil ſupereſſe praeter nudum Erneſti Ducis nomen. Ad hunc reipſa credo referendam eſſe originem Caſtellenſium Comitum, et non dubito fere quin Erneſtus ille Dux Sueuiae et Baioariae quem docuimus uxoratum fuiſſe, ex coniuge Irmgardi pater fuerit Hermanni de Caſtell, cui datum fuit nomen patrui Ducis Sueuiae.

Naſci

Naſci potuit Hermannus circa annum 1024. praediaque in Nortgouia et Franconia adipiſci a matre aeque et patre. Scimus enim Erneſtum agri in Nortgouia ditiſſimum, Irmgarden neptem fuiſſe virginis Hildegardis, in cuius praedio conditum eſt monaſterium Vrach.

Quae cum ita ſint, ſuſpicor omnino utramque Caſtellenſium Domum eodem ſatore gloriatam eſſe, ſicque ad nos quoque pertinere *Hermannum de Caſtell et fratrem ipſius Adelbertum* qui Schwarzacenſi Monaſterio dederunt praedium *ſuum in Lanckheim et duos manſos in* RVDDENHAVSEN. [a] Non aſſeram tamen, quod vetat aeui diſcrimen, Hermannum hunc eundem cum noſtro dici debere.

At ex quo non dubito quin recte plerisque viſum ſit ab Erneſto Duce de Rosſtal oriundos eſſe Comites de Caſtell, veriora mihi parent quae de Werinhario dixi, cuius filia *Hazacha* Hermanno Comiti de Caſtell nupſit connubium illud exigente patrum amicitia, infortuniorum communione.


At credo magis quam aſſerere audeo, hac de cauſa Poetam qui Erneſtum cecinit, celebraſſe cognationem *qua Werinharius cum Erneſto coniunctus erat.*

§. III.

a) Ludwig Script. T. II. col. 19.

§. III.

Quaeri forte poſſet utrius, Hazigaene an Hermanni fuerit praedium apud *Willingan*, quod Hermannus auxit occupata et exſtirpata vicina ſylua. Conſtat modo totum hoc praedium ad Hazigae filios ex Ottone translatum eſſe, hacque de cauſa et ratione ipſius originis quam utrique coniugi aſſignamus, veroſimilius eſt Hazigae patrimonium fuiſſe hoc praedium, ut quod a matre Willibirga Eberſpergenſi receperat.



CAPVT



CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS.

Probatur originem Boicae Domus Augustae ad Eccardtum I. filium Ottonis I. et Hazagae natu maximum referendam esse.

§. I.

Cum animus mihi non sit ea ambitiose in commentarios nostros transferre quae ubiuis sunt obuia, sed lucem affundere quam maxime potero obscuris, verisimilitudinem, si minus veritatem, addere dubiis, seligam iam dicendorum materiam in uniuersa Schirensium nostrorum Wittelspacensiumque gente, donec attigero Ottonem I. Baioariae Ducem, operis metam finemque laboris; id praecipue curaturus ut matronarum Schirensium nomina originesque in tuto collocentur.

§. II.

Certum quidem est et extra dubitationis aleam positum tres filios Ottoni I. fuisse ex Haziga vel Hazacha *Skirana*, qui omnes et singuli Aduocati euaserunt Ecclesiae Frisingensis, Comitesque audierunt. Natu maximus eorum Ekkihardus dictus est. Hunc vidimus praeponi fratri Ottoni, Ottonem Bernardo, cum Ekkihardus ipse Aduocatum ageret a. 1074. Ellenhardi Episcopi cum Sigehardo Patriarcha Aquileiensi de decimis paciscente. a.

a) Inst. Frising. n. 1248.

Anno proxime ſecuto iterum ceu Aduocatus adeſt Eckehardus Ellenhardo, qui pactum inibat cum Epiſcopo Ratisbonenſi et Aduocato eius Friderico. a.

Idem denique Aduocatus Eccleſiae Friſingenſis vocatur in aliis litteris b. quae teſtantur. „ *Nobilem foeminam confugiſſe ſub tutelam* „ *S. Mariae et tradidiſſe ſe ad altare eius ea conditione ut ipſa omnisque* „ *poſteritas illius legitimorum Eccleſiae ſeruientium iure et lege viuerent*, „ *Meginwardo Epiſcopo praeſente et Aduocato eius* EKKIHARDO *ſuſci-* „ *piente.* „

Sufficiant haec ad aſſerendum Ekkihardo caracterem *Aduocati Principalis Eccleſiae Friſingenſis.*

Certum eſt quidem ex pluribus monumentis Ottonem quoque II. et Bernhardum pro Aduocatis ſe geſſiſſe. Sed ex deſcriptione limitum quibus clauſa erat Aduocatia Ottonis II. aeque certum eſt ipſum *Regionarium* tantummodo, non vero Principalem Aduocatum fuiſſe, quod de Bernhardo quoque praedices oportet, licet uterque haud infrequens fuerit in exhibendo Aduocati officio.

Coniuncti ſunt ni fallor *Bernhardus et Ekihardus fratres* in litteris, quae illum ſatis illuſtrant.

„ *Cum Heinricus Rex victorioſiſſimus* c. *quemdam ſeruientem ſuum* „ *dare vellet Eccleſiae Friſingenſi; hominem illum nomine Fridericum in* „ PERNHARDI CVIVSDAM NOBILIS SVI FAMILIARIS *tradidit manum, ut* „ *eumdem S. Mariae delegaret in obſequium, ſumma ſummorum ſeruien-*

tium

a) Ibid. n. 1233.

b) n. 1257.

c) ibid. 1260.

„ *tium legitima cum ſua poſteritate penitus habiturum. Quae traditio*
„ *iuxta Regis praeceptum praedicto eſt ordine et tenore a* PERNHARDO
„ *peracta, a Praeſule Megiwardo, Aduocatoque* EKIHARDO *ſuſcepta,*
„ *praecipuis Eccleſiae ſeruientibus in ſuae ſocietatis aequalitatem praedi-*
„ *ctum Fridericum collaudantibus. Primus ex nobilibus teſtis adhibitus*
„ *eſt Comes* SIGIPOTO *noſter Neoburgenſis.* „

Inſigne rurſus monumentum Aduocatiae Principalis ab Eckihardo geſtae; diſcimus hinc etiam Bernhardum *familiarem fuiſſe Regis Heinrici IV.* iam ante annum 1084. quo Heinricus Imperator dici coepit.

Bernhardus quater, quod minimum eſt, Aduocatus dicitur et Aduocati officium agens ſiſtitur in totidem litteris quas indicauiſſe ſatis eſt [a]. Addo litteras [b] in quibus *primus de nobilibus teſtis citatur* PERINHART COMES.

De Ottone II. Aduocato ſi dicerem rem actam agerem.

§. III.

Vbi ad trium fratrum poſteros tranſitum facimus, immenſus nobis exſtat labor quamuis monumenta abundent. De Bernhardo quidem expedita res erit ſi dixerimus, aut prole caruiſſe aut ignotae huc uſque prolis patrem fuiſſe. Dicunt chlamydem cuculla mutauiſſe, quod minus credo. Magis placet eum cum Welpho Duce in Palaeſtinam pium iter ſuscepiſſe et eumdem eſſe BERNHARDVM COMITEM qui, ut et *Heinricus Comes Ratiſponenſis obiit Ieroſolymae* anno 1101. [c]

Pp 2 §. IV.

a) 1251. 1254. 1255. 1258.
b) 1261.
c) Annal. Saxo. ad h. a.

§. IV.

Inter Ekkihardum I. et Ottonem II. fratrem eius ingens ancepsque huc usque pugna pugnatur, uter fuerit sator Comitum Schyrensium qui Wittelspachii dicti sunt. Vicisse videtur Otto II. fauore recentiorum, Conrado Schyrensi ambiguum utrique auxilium praestante.

„ *Asserit hic* [a] *mortuis Haziga filiisque suis Eckhardo I. et* BERN-
„ HARDO *Abbatem Vischpachawiensem consilium de transferendo coenobio*
„ *habuisse cum magni nominis principibus* OTHONE *Comite de Schyren*
„ *filio iam saepedictae Hazigae et nobili Comite de Purgecke: hunc eum-*
„ *dem Othonem* MATRE SVA *et* FRATRIBVS *ex hac luce subtractis condi-*
„ *disse Monasterium in Vsenhouen, hunc eumdem ab Heinrico V. impe-*
„ *trasse priuilegium quo rogantibus praedictis Comitibus ut Rex concede-*
„ *ret praedictae cellae Aduocatum unum ex ipsis, instituit* OTHONEM
„ *scilicet* COMITEM NVNC ET POST EVM SENIOREM DVNTAXAT FI-
„ LIVM OTHONEM.

His armis praecipue usi sunt recentiores qui Othonem II. Hazigae filium Eckihardo praetulerunt ut eum Wittelspachiorum satorem pronunciarent, huncque ex albo maiorum a quibus oriunda fuit regnatrix familia expunxerunt.

§. V.

Quae quantaque mea est audacia, timerem tamen tremeremque si cum Conrado Schyrensi manus mihi conferenda foret. Et etiamsi mihi constaret eum errauisse, autoritate viri opprimerer, iis

a) Sect. III.

iis ſaltem iudicibus, qui mihi iam, ut rerum nouarum auido ſuccenſent.

At Conradum Conrado oppono, rationesque per ambages quaeſitas et ex viri, quem autorem veneror, ſtylo titubante hauſtas profligo, diſertam Conradi aſſertionem unice amplexurus.

En Lector ipſiſſima Philoſophi Schirenſis verba: „ Nunc „ ad Principes noſtri *temporis ſtilum vertamus quia difficile et ſuper-* „ *fluum videtur ſingulorum ſcribere facta. Nam, ut ſupra diximus,* „ *non duo vel tres ſed plurimi erant Principes Schyrenſes dicti, qui fe-* „ *re omnes exceptis paucis, duobus nominibus vocati ſunt, videlicet* „ *Otho et Eckhardus. Tres quippe erant qui uno nomine dicti ſunt* „ *Eckhart, quinque qui dicti ſunt Otho, duo Bernhardus, quidam* „ *Conradus*, QVIDAM ARNOLDVS, *ut fertur etiam Arnoldus Dux Ba-* „ *uariae, qui monaſteria deſtruxit et reditus eorum militibus diuiſit, pri-* „ *mus hunc montem habitabilem fecit. Inter hos* COMES ECKHARDVS „ FILIVM *egregiae ſtrenuitatis* OTHONEM *qui et poſtea* PALATINVS „ COMES *dictus eſt, habuit. Hic Otho cuiusdam nobiliſſimi de* LIN- „ GENFELD *filiam* HEILCAN *nomine* DVXIT VXOREM, *per quam* QVA- „ TVOR FILIOS *maximae liberalitatis et virtutis, ut adhuc multis pa-* „ *tet, habuit. Hi quatuor, quod rarum eſt, virtuoſi, fortunati, pru-* „ *dentes, felices erant (inter quos)* OTHO PALATINVS COMES, „ *quia tum temporis armis et conſilio magnus fuit*, DVCATVM BAVA- „ RIAE *laudabiliter meruit, homo fortunatus et prudentiſſimus.*

Miror ſcriptores, qui Conradum Schyrenſem in aliis plus aequo ſequuti ſunt, a diſerta eius ſententia diſceſſiſſe, ut ex eo ipſo colligerent quod nunquam credidit, quamuis dixiſſe videatur.

§. VI.

Vt vero non una Conradi autoritate erroris conuincamus oſcitantes illius interpretes utemur quoque aliis argumentis. Primum ſubminiſtrant monumenta Friſingenſia, quae hoc aeuo non pauca ſunt.

In litteris [a] quas *Hazacha Comitiſſa de Skiran* conſcribi iuſſit de decimis acta res dicitur COLLAVDANTE ET SVSCIPIENTE ADVOCATO ECKHARDO DE SCHYREN, quod cognomen de Schyren, nec Ottoni nec Bernhardo unquam tribuitur, argumento haud dubio Eckhardum viuente adhuc matre praecipuum Schyrae Dominum vel Maiorem Domus fuiſſe.

In aliis Litteris [b] circa idem tempus datis aut paulo ſerius primus teſtis notatur OTTO FILIVS EKKEHARDI. In aliis [c] iterum primus teſtis *de Nobilibus Otto de Skiren*, in aliis teſtis [d] primus teſtis OTTO FILIVS EKIHARDI.

Quae teſtimonia etiamſi ſola forent ſufficerent ſane aſſerturis poſt *Ekkihardum praecipuum Dominum Schyrenſem* eadem praerogatiua gauiſum eſſe OTTONEM FILIVM EIVS, huncque proinde diuerſum non fuiſſe ab Ottone qui ſolus urbi Schyrenſi dominatus, Schyrenſis quoque Monaſterii Aduocatiam ſibi et filiis ſuis aſſeruit.

Alia tamen autoritas accedit quae litem dirimere mihi videtur omnino.

§. VII.

Monachus Weingartenſis [e] tribus Magni Ducis Saxoniae filiabus quas recenſuit addit *quartam* quam EGEHARDVS Comes de SCHIT-

a) Inſt. Fris. 1253.
b) Ibid. a. 1259.
c) 1262.
d) 1266.
e) C. 10.

SCHITEN (Schiren) *a quodam monaſterio ſanctimonialium in Ratiſpona abſtulit ac ſibi matrimonio copulauit*, OTTONEMQVE PALATINVM EX EA PROGENVIT.

Id vero ſcripſit Weingartenſis haud imprudens. Scimus Heinricum Superbum Wulfildae filium, cognatum vel conſobrinum fuiſſe Friderici Aduocati Ratisbonenſis, qui genus ſuum ad Sophiam referebat. At cognatio ſimilis eademque plane Fridericum Ratisbonenſem inter et Ottonem Palatinum intercedebat. Ita enim Weingartenſis poſtquam monuerat Marchioni Leopoldo contra Heinricum Superbum adhaeſiſſe FREDERICVM et alios Comites ac totius a. Bauariae fortiſſimos, EXCEPTO PALATINO, addit:

„ Interea Otto Palatinus vir ſapientia *praeditus*, *cui ad utramque* PARTEM ACCESSVS PATVIT *utriusque exercitus apparatum contemplatur*, *illisque noſtrum copioſiorem eſſe denuncians*, *terrorem incutit*, *cogitansque quomodo ad bonum pacis perducat Fridericum* (de „ Bogen) ADVOCATVM COGNATVM SVVM *promiſſionibus ac minis circumueniens ad deditionem hortatur*. *Ille*, *utpote omnibus ſuis deſtitutus*, *conſiliis Palatini adquieuit*.

Quae cum ita ſint, et ita eſſe nemo ſanus negabit, congruit Scriptor ſubaequalis cum monumentis Friſingenſibus; congruit cum utrisque ſententia diſerta Conradi. Hinc ſane ſequitur veriſſimum eſſe quod aſſerebamus *Ekkehardum* I. ex filia Magni Ducis Saxoniae patrem fuiſſe *Ottonis Palatini*.

Hoc connubium Auentino quem Hundius b. laudat, ignotum omnino non fuit, licet Auentinus filium patri in thoro virgi-

ns

a) c. 12.

b) Stammb. Part. 1. p. 134.

nis Saxonicae ſubſtituerit. Monuit nimirum ille Ottoni III. quem nuncupat, ſeu Palatino filio Eckhardi nupſiſſe RICHARDIM *filiam Ducis Saxoniae Magni ſororem vero Wulfhildis* quam Heinricus Octauus ſeu Superbus duxerat.

Connubii vero quod indicat Weingartenſis ratione Wittelspachii Eccardigenae cognati fuerunt *Frederici I. Imperatoris*, ſiquidem hic ipſe filius erat Iudithae, nepos Wulfildis. Conſtabit igitur magis magiſqne de reſtituendis Eckhardo I. ſuis quos genuit poſteris, quamprimum Schyrenſes, a Frederico I. Imperatore aut cognatos aut conſanguineos; horum enim verborum uſus promiſcuus erat, ſalutatos fuiſſe deprehenderimus. Deprehendimus vero in litteris Friderici I. a. ad praelatos ac Miniſteriales Salisburgenſes datis, quibus ait, ad electionem noui Archiepiſcopi acceſſiſſe eos proceres Salisburgenſes qui Venetiae aderant, quo tempore reconciliati ſunt Papa et Imperator, *et de gremio*, inquit, *Eccleſiae Romanae Domnum „ videlicet* CHVNRADVM CONSANGVINEVM NOSTRVM *Palatinum in eccleſia veſtra enutritum . . . . concorditer et unanimi „ voto elegerunt . . . uniuerſitatem igitur veſtram diligenter commonitam eſſe cupimus ut Domino Chunrado Archiepiſcopo veſtro*, DILECTO „ CONSANGVINEO NOSTRO OBEDIRE *et ſeruire ſtudeatis.* Hic eſt ille Conradus frater Ottonis Ducis qui ad Moguntinam ſedem poſtmodum translatus eſt.



CAPVT

a) Chron. Reichersp. ad a. 1177.



CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS.

Inquiritur in originem Rami Dachauiensis. Probatur autorem illi fuisse Arnoldum filium Eckardi I. de Scheyrn nepotem OTTONIS I. ET HAZAGAE, *fratrem Ottonis (II.) Comitis Palatini I.*

§. I.

Singula prosequi cum in animo non habeam, de Dachauiensibus silerem nisi origo eorum subobscura, series erroribus obnoxia fuisset.

De Dachawiensibus ita Conradus Schyrensis, quem ut vides, libenter laudo:

„ *Mons et castrum Schyren non ab uno vel duobus principibus sed*
„ *a pluribus communis habitabatur, nam partem unam Principes qui et*
„ *postea de Dachau castro dicti sunt, possederant, nobilitatis linea et*
„ *armis insignes. Horum antiquissimus Comes Arnoldus nomine magnae*
„ *prudentiae homo tunc habebatur, cuius filius Conradus, non dissimilis*
„ *virtute patri Monachus postea factus duos filios Arnoldum et Conra-*
„ *dum haeredes reliquit, qui per magnae virtutis exercitium Dalma-*
„ *tiae meruit Ducatum.*

Quam me iuuat Arnoldum tandem in hac familia reperisse, nomen a maioribus dicatum et apud posteros Arnulfi Ducis fere

perpetuum ! At Conradus antiquitatum aut nimis parcus aut ignarus ne indicat quidem cuius filius fuerit Arnoldus I. Dachauienfis, fi tamen hoc cognomen unquam geffit.

Habemus in monumentis noftris Frifingenfibus [a] fub Meginwardo Epifcopo anno 1098. defuncto litteras quarum teftes ARNOLT DE SCIREN ET FILIVS EIVS CHVONRAT, Aduocatus erat *Perinhardus*. Teftis quoque fuit *Altman filius Ernufti Comitis*.

In aliis, quae fequuntur, litteris [b] *Eckihardus* Aduocatus dicitur, et teftes recenfentur *Ernuft Comes*, ARNOLT DE SKIREN, Vodalscalch de Elfendorf.

Vtraeque fcriptae fuerunt cum viueret adhuc *Eckhardus Comes*, indeque quod *Arnoldus* non vocetur Comes fere concludo ipfum patrem habuiffe Eckhardum I.

Hos eosdem viros Arnoldum et Conradum fiftit nobis Conradus Philofophus in calce traditionum quas fecerant *Haziga* cum manu trium filiorum fuorum, *Bernhardus* Hazigae filius, *Otho* eiusdem Hazigae filius, Perichtoldus Comes de Purgecke. Nulla foli Eckhardo tribuitur traditio.

„ *Teftes largitionis Bertholdinae fuerunt* OTHO COMES DE SCHY-
„ REN, ARNOLDVS COMES *et* FILIVS *eius* CONRADVS DE SCHYREN,
„ *fed poftea Dachau caftrum poffederunt*, *unde et nomen traxerunt*
„ (Haec annotatio eft Conradi ; pergit) OTTO *et* VDALRICVS FRA-
„ TRES *de Schyren qui et poftea Caftrum Wittelinspach poffederunt*, *Die-*
„ *marus de Starcholoh. etc.*

Qui

a) Inftr. Fris. n. 1268. b) ibid. 1269.

Qui hic dicitur Otho Comes de Schyren idem profecto est qui filius Eckardi I. sequitur eum frater eius Arnoldus et nepos Conradus.

Sed enim vero en tibi Lector argumentum palmarium aliud, quo constat Arnoldum Dachauiensem natales suos retulisse ad Eckhardum I.

§. II.

Arnoldus coniugem habuit Beatricem teste diplomate quod Heinricus V. Abbatiae Schyrensi anno 1124. concessit. Recensentur in eo inter fundatores monasterii Schyrensis COMITISSA BEATRIX ET FILII EIVS COMITES CONRADVS et OTTO DE DACHAV.

Hinc patet, quod in transitu notari velim, male omissum fuisse a Scriptore Schyrensi OTTONEM Arnoldi filium, Conradi Dachauiensis fratrem.

Hinc patet quoque lapsum esse Auentinum cum in Annalibus Schyrensibus ad annum 1108. statuit,

Petrissam viduam fuisse Eckhardi, cuius frater fuit Otto Palatinus Comes; Ottonem puta Hazigae filium; qui tamen error a nobis iam notatus est, mox ulterius confutandus.

Egregia foemina Petrissa occurrit primum in priuilegio Calixti II. Papae [a]. *Qui nimirum locus,* (Schirus) inquit Calixtus, ab *Othone Palatino Comite, consentiente egregia foemina* PETRISSA COMITISSA *et aliis quinque Comitibus oblatus.*

 Nomi-

a) Priuil. Schyr. p. 59.

Nomina fundatorum Schirensium omnia simul recensentur in alio priuilegio Calixti, ubi post *Hozacham* et tres eius filios Comites, expressis verbis nuncupantur *Comes Perichtoldus, Comes etiam Conradus, et frater eius Otho, et fratres Otho, Bernhardus et Eckahardus.* Altum hic de Petrissa silentium.

At in priuilegio Eugenii Papae a) redit *Petrissa.* Eugenius confirmat Schirae in perpetuum, *quicquid Otho Palatinus Comes* „ *eiusdem loci fundator consentiente nobili foemina Petrissa Comitissa et* „ *aliis quinque Comitibus, et quicquid Haziga cum filiis suis Eckhardo,* „ *Bernardo et Othone Comitibus seu etiam illustris recordationis Comes* „ *Pertulfus Comes etiam Conradus et frater* EIVS OTHO *Bernhardus* „ *et Henichardus . . obtulisse noscuntur.*

In hoc priuilegio, alias incondito satis et ex Calixtino male consarcinato, nihil est iterum ex quo elici queat Petrissam uxorem fuisse Eckhardi, matrem vero Ottonis Bernardi et Ekkardi.

At si utrumque priuilegium Pontificium curiose conferimus cum Heinriciano diplomate eadem de re et eodem ferme tempore a. 1123. scripto (nam unius anni spatium vix intercessit, de Calixtino dico) deprehendemus manifeste Petrissam illam esse eam ipsam BEATRICEM cuius filii erant Conradus et Otho de Dachau.

Eliminanda itaque erit Petrissa illa, nisi malimus verba quam res sectari. Beatricis nomen ab Italis corruptum mutatumque in Petrissam fuit, forsitan ut foeminam Religiosam ad D. Petrum cui oblata fuerat Abbatia Schyrensis, nominetenus reuocarent.

Non

a) Ibid. p. 63.

Non vidit hoc Auentinus, quod miror, quamuis priuilegia legerit quae ob oculos habeo, fed aucupandorum nominum plus aequo follicitus, ex diplomate Heinriciano elicuit [a] Beatricem, quam Arionoldo Comiti Dachuno uxorem daret, et recte; ex priuilegiis Pontificiis vero male quaefiuit uxorem Ekhardo II.

Beatrix itaque fiue Petriffa uxor fuit Arnoldi de Schyren, mater Conradi et Ottonis.

§. III.

Haec omnia ex priuilegiis Schyrenfibus iam haufit Conradus Philofophus *unamque Beatricem agnofcit matrem Comitum Conradi et Othonis de Dachau.* Petriffam plane ignorat. At cum Beatrix et filii eius principe loco nuncupati fuerint, ubi agebatur de ceffione Caftri Schyrenfis, manifeftum habes indicium patrem *Conradi et Othonis*, ARNOLDVM fcilicet *de Skiren*, partem eximiam huius caftri habuiffe, filiumque adeo fuiffe *Eckhardi de Schyren*, qui illud folus obtinuerat. Beatrici et filiis fubiunguntur Palatinus *Comes Otho*, huic PATRVELES SVI OTHO, BERNHARDVS et ECKHARDVS.

Poftquam vero probauimus *Othonem Palatinum Comitem* filium fuiffe *Eckhardi* fequitur inde, tres illos fratres qui patrueles ipfius vocantur, filios fuiffe aut *Bernhardi* fenioris aut Othonis II. Eckarti I. fratrum.

Pla-

a) ad a. 1113.

Placet vero ipſos patrem ſalutaſſe Othonem II. Hazigae filium, ſicque aſſequimur eos reuera patrueles fuiſſe *Othonis Palatini.*

Reſtat ergo ut Arnoldum de Dachau filium dicamus Bernhardi ſenioris, aut quae noſtra eſt ſententia Eckarti I. adeoque fratrem Ottonis Palatini.

Haec antequam diiudicemus notandus erit error Conradi Philoſophi, isque grauior quam ut circulos noſtros non turbaret, ſi intactum relinqueremus. Scilicet poſtquam nuncupaſſet I. Beatricem cum filiis duobus, 2. *Othonem Palatinum*, huiusque 3. *tres patrueles* addit, et ALII QVINQVE COMITES quorum nomina omiſiſſe videtur.

Phraſin integram hauſit noſter ex litteris Eugenii Papae confirmantis Schyrenſibus quicquid dedit *Otho* PALATINVS *Comes conſentiente* NOBILI FOEMINA PETRISSA *Comitiſſa*, *et aliis* QVINQVE COMITIBVS. Non animaduertit Philoſophus QVINQVE HOS COMITES eosdem eſſe qui paulo poſt in iisdem litteris, quamuis confuſe ſatis, diſerte nuncupantur: duos ſcilicet filios Beatricis ET TRES PATRVELES Othonis.

Nil tale reperitur in priuilegio Calixtino, ubi QVINQVE illi Comites recte recenſentur. Optime vero in diplomate Heinrici V. *videlicet Comitiſſa Beatrix et filii eius* COMITES (1) CONRADVS ET (2) OTHO

Otho de Dachaw, *nec non Palatinus Comes Otho et patrueles sui* (3) *Otho*, (4) *Bernhardus*, (5) *Eckehardus* - - Hi sunt quinque illi Comites quibus Conradus liberalius quam par erat alios quinque addidit Anonymos nec aedepol unquam nuncupandos.

§. IV.

Dabimus nos itaque Eckehardo duos duntaxat filios *Othonem* (III) I. *Palatinum* de Schyren, et *Arnoltum* (V) de Schyren. Huic vero, qui nunquam forte cognominatus fuit a castro Dachau ex Beatrice eius coniuge nati sunt Conradus I. et Otho (V.)

Conradus I. genuit Conradum II. qui Dux Dalmatiae euasit et Arnoldum quem omisit scriptor Schyrensis. Conradum I. Dachauiensem habemus in duabus chartis Frisingensibus sub Heinrico I. Episcopo scriptis.

In altera primus testis est Chvnrat Comes de Dachowe. In altera, quae sequitur, primi testes sunt Comes Chvnradvs de Dachowe et filivs eivs Chvnradvs. [a]

Alibi [b] *Kunradus de Dachowe* Aduocatus fuisse videtur Canonici Frisingensis.

At

a) Instr. Fris. 1281. 1282. b) Ibid. 1298.

At anno 1143. et ſub Ottone Epiſcopo qui tunc pactum inibat cum Sigmaro Abbate S. Stephani *de laicis nobilibus* primus teſtis notatur [a]. ARNOLDVS (VI) *Comes de Dacbawe*, ſcilicet frater, ut dicebam, Cunradi II. Ducis et filius Conradi I. Comitis, nepos Arnoldi I. et Beatricis.

Anno 1154. primus teſtis ſcriptus eſt [b]. de laicis CHVNRADVS DE DACHAWE DVX CROATIE DALMATIAEQVE, quod vide quam bene congruat cum iis quae diximus de Ducatu qui Andechſenſibus contigit.

Sequuntur tamen apud Meichelbeckium [c]. duae aliae chartae quarum teſtis eſt *Chunrat* DE DAHHOVE, *vel Chuonradus de Dachowe.* Sed cum nomen Ottonis Epiſcopi tantum praeferant, alias vero careant nota temporis omni, opinor eas referendas eſſe ad primos Ottonis Epiſcopi annos qui praeeſſe coepit anno 1137. deſiit anno 1157.

Arnoldum (III) Comitem de Dachowe fratrem fuiſſe Cunradi II. Dalmatiae Ducis, luce clarius probatur ex litteris quibus CONRADVS III. IVNIOR DVX DE DACHOWE DELEGAVIT PER MANVM PATRVI SVI ARNOLDI COMITIS TVNC ADVOCATI ET TVTORIS PRAENOMINATI DVCIS [d]. teſtis citatur COMES BERTHOLDVS idem, ni fallor, cuius uxorem fuiſſe puto *Hadewigam* ſororem Conradi III. Iunioris Ducis de Dachau, qui adhuc ſub tutore fuit poſt annum 1157.

Arnol-

a) Ibid. n. 1318.
b) Ib. 1322.
c) Ib. 1335. et 36.
d) 1345.

Arnoldum Comitem tunc fere improlem fuiſſe et prolis procreandae ſpe caruiſſe ex hoc arguo [a]. „*quod Comes de Valeia pro* „ *beneficio* COMITIS ARNOLDI *laudauit Epiſcopo Friſingenſi Alberto I.* „ *ſe daturum ſexaginta talenta, debuitque pignus ponere de praedio vel* „ *beneficio ſuo quod in Aduocatia illa non oppreſſurus eſſet populum Epiſ-* „ *copi nec iniuſtis vexationibus vexaturus.*

Primus pacti teſtis fuit Comes ARNOLDVS. Conſtat praeterea hisce ex litteris, viguiſſe tunc adhuc conſuetudinem antiquiſſimam qua diximus fratres patrimonium aut nunquam aut ſero diuiſiſſe. Cum enim de pignore ageretur quod Otto Comes ponere debuit, ſancitum fuit ut illud pignus de praedio ſuo vel beneficio CVM MANV FRATRIS SVI PONERET. „ QVOD SI FRATER „ COMITIS RENVERIT HOC FACERE, *laudauit Comes a fratre ſuo di-* „ *uidere tantum, quantum ſatis eſt ad hoc perſoluendum.* „


Monui iam Conradum Ducem iuniorem ſine haeredibus obiiſſe, incertum vero eſſe annum quo obiit. Pater in expeditione Friderici I. Imperatoris contra Mediolanenſes occubuit aut defunctus eſt adeoque anno 1158. l. c. Radevico

§. V.

Ad Ottonem (V) Conradi primi fratrem referunt originem Comitum Valeienſium; ſed probaſſe mihi videor *Gruebanos*, qui poſtea Valeienſes dicti ſunt, extitiſſe floruiſſeque antequam viueret

a) Inſtr. Friſ. n. 1346.

Otto, aut ſaltem filiis procreandis par eſſet. Quin et Otto de Gruebe Bernriedenſe Monaſterium fundauit cum Otto de Dachaw ſub tutela matris adhuc eſſet et a caſtro Dachawienſi nuncuparetur.



CAPVT



CAPVT SEXTVM

SYNOPSIS

Inquiritur in posteros Ottonis II. qui minimus natu fuit filiorum Ottonis I. et Hazagae Comitissae. Nouo argumento adstruitur Schirenses nostros iure Hazagae praefatae creuisse haereditates omnes Ebersbergensium, et Vdalscalci Frisingensium Aduocati.

§. I.

De Bernhardo I. Hazagae filio constat fere ipsum prole caruisse. Videri quidem posset, quin et visum est aliquando mihi, Bernhardum hunc eundem esse, qui Bernhardus de Mosen audiit, nostrique coaetaneus fuit, nec unquam reperitur inter testes traditionum a tribus Hazachae filiis factarum, frequens vero est in aliis huius aeui traditionibus. Laudo inprimis chartam sub Meginwardo Episcopo scriptam [a] in qua PERINHARDVS *Aduocatus et de Nobilibus* secundus testis est PERINHART DE MOSEN. Hoc pacto Bernhardi nostri filius fuisset *Otto de Mosen.*

Sed una absterreor charta [b] in qua primus testis notatur *de nobilibus* PERINHART COMES, ultimus PERINHART DE MOSEN. Perstabo itaque in sententia eorum qui negant Bernhardum nostrum familiam Schirensem propagasse.

a) Instr. Fris. 1251.

§. II.

Aliter ſe res habet cum Ottone II. Hazigae filio. Niſi enim corruptiſſimum eſt diploma Heinrici V. Imperatoris, hic eſt ipſe Otto fundator coenobii Vſenhouenſis de quo Imperator SAEPE IAM DICTI OTHONIS *Comitis* PARENS *piae memoriae* HAZIGA COMITISSA *cum reliquis duobus filiis ſuis Comitibus* PERINHARDO *ſcilicet et Eckhardo bona vel praedia longe ſeu prope poſita donarat.* At Ottonis II. fundatoris Vſenhouenſis *filius ſenior* fuit Otto IV. ob id ipſum patris in Aduocatia Vſenhouenſi ſucceſſor.

Otto hic IV. Othonis (III) I. Palatini Comitis patruelis fratres habuit Bernhardum II. et Eckehardum II. De ſingulis eorum nonnihil dicemus, exordiumque faciemus ab Ottone IV.

Dictus eſt ille *Comes Otto de Sciren* in charta a. ubi poſtponitur alii *Ottoni Comiti*, quem inferius probabo eumdem eſſe cum Palatino.

De Schira cognominatus eſt etiam Bernhardus II. in litteris b. ſub Heinrico Epiſcopo Friſingenſi ſcriptis quarum primus teſtis eſt BERENHARDVS COMES DE SCIRIN.

Idem

a) Inſtr. Friſ. 1313. b) n. 1310.

Idem denique cognomen gessit Eckehardus II. ut arguitur ex traditione Schyrensi [a]. „*Comes Eckhardus de Scheiren Monachum se* „ *apud nos faciens tradidit nobis tres curias*, *Snulerpach*, *Rewarn*, „ *Grundilchouen. Testes* OTTO PALATINVS COMES DE WITTE- „ LENSPACH, OTTO COMES DE SCHEIREN . . . OTTO, FRIDE- „ RICVS, *filii* PALATINI COMITIS.

Vt vero nihil, quod in promptu sit, omisisse videar dicam Ottonis II. coniugem, fratrum triadis matrem, Mathildim dictam esse, si fides adhiberi potest anonymo cuius *Farraginem historicam* edidit Oefelius meus [b]. fluit equidem luculentus scriptor ille, sunt tamen multa quae tollere possis. En verba eius ad an. 1107. „ *Hoc anno Monasterium* VISCHPADAV *vel* VSENHOVEN *fuit aedifi-* „ *catum per* COMITISSAM MATHILDIM; id vero referri ferme non potest nisi ad uxorem Ottonis II. Hazachae filii.

Ad Othonem IV. Hazachae nepotem, Othonis II. filium referendas esse credo litteras [c]. quibus Comes OTTO DE SCIRAN tradidit „ *Hobam unam Leron ad altare S. Mariae . . in illa die* „ *qua de sede Frisingensis Ecclesiae perrexit Hierosolymam Abbate Pru-* „ *none de Sciran adstante et capsellam signum peregrinationis illi dante.*

Obierat iam, cum Bruno Abbas Schirensis eligeretur a. 1124. Otto II. filius Hazachae Otto III. vero Ekkardi I. Filius Hazagae

 nepos

a) Conrad. Philos. p. 185.
b) Tom. II. p. 502.
c) Instr. Fris. n. 1291.

nepos iam tunc audiebat *Palatinus Comes*. Vnus itaque superest Otto IV. frater Bernhardi II. et Eckhardi II. cui adscribere possimus et largitionem et peregrinationem. Viuere desiit Bruno Abbas anno 1128. Intra hunc annum igitur et 1124. peregrinatus est Otto. Largitionis eius primus testis fuit Hocholt de Wolmvtesaha.

§. III.

Non sine causa, opinor, Otto III. peregrinatum profecturus largitione placauit S. Sebastianum, ut et Sanctam Mariam Frisingensem. Dubium enim non est quin alicubi Aduocatus fuerit Ecclesiae Frisingensis, quamuis id probare non possimus propter monumentorum nostrorum ambiguitatem, ubi de duobus viris loquuntur qui iisdem et nomine et cognomine utebantur. Otto IV. aeque fuit Aduocatus Eberspergensis aut cum fratre Eckhardo II. aut post eum.

De hoc affirmare mihi videor posse Aduocatum eum fuisse Eberspergensem quo tempore Adalbero Abbas erat, traditio enim facta legitur [a] *per manum* Advocati Ekkihardi, *praesente Abbate Adalberone*. Hic vero anno 1115. exeunte electus Abbas annum 1117. vix attigit. Anno igitur 1116. Aduocatus erat Ekkihardus coenobii Ebersbergensis. Nec extemporarium eum fuisse credideris cum in alia charta legas: [b] *Testes sunt isti*: Ekkehart Advocatvs etc.

In

a) Codex trad. Ebersb. n. 176. b) Ib. 191.

In libello [a] quoque concambiorum Eberſpergenſium reperitur EKKIHARDVS *Aduocatus.* Nomen Abbatis quidem heic deſideratur, largitor vero cuius munus ſuſcipit Ekkihardus, dictus eſt *Dominus Otto de* WITLINSPACH.

Largitionem fecit ipſe Ekkihardus, ſibique et nobis conſuluit cum id ageret. Ex charta enim quae ideo ſcripta fuit accuratius eum nouimus quam ex alia qualibet: [b] „*Quidam* NOBILIS HOMO „ *Comes ſcilicet* ECKEHARDVS PRINCIPALIS ADVOCATVS ECCLESIAE „ NOSTRAE *tradidit poteſtatiua manu molendinum quod dicitur Ruomol-* „ *desmule et praedium quod dicitur Husmanningen pro remedio animae* „ *ſuae parentumque ſuorum.*„

Nota temporis deeſt ſed ex teſtium nominibus manifeſtum eſt, largitionem hanc factam fuiſſe ſub Abbate Adalberone.

In litteris aliis quae huius Abbatis nomen exhibent teſtes recenſentur de MINISTRIS ADVOCATI *Heinrich de Grauingin et filius eius Heinrich.* Meminiſti praedium Grauingen fuiſſe penes poſteros Hazachae Comitiſſae.

Aliud indicium temporis, quo vixit Eberſpergenſis Aduocatus Eckehardus II. Comes, habemus in charta Abbatis Heinrici, qui electus eſt anno 1118. obiit anno 1148. [c]

Sub

a) n. 29.
b) Ibid. n. 193.
c) Libel. concamb. n. 31.

Sub eodem Abbate ſcriptae fuerunt litterae [a] quae docent *Ekkihardi* aut ſucceſſorem aut collegam fuiſſe OTTONEM. Factum eſt enim *concambium cum Eberſpergenſi Abbate Heinrico*, OTTONE ADVOCATO *conſentiente*.

Non me moratur quod anno 1130. vixit Eckhardus Comes de Dachaw teſte diplomate Lotharii Imperatoris [b] Etſi enim aliquis contendet huic ipſi Eckhardo quem ſuſpicor fratrem fuiſſe Cunradi II. et Ottonis, adſcribendam eſſe Aduocatiam Eberſpergenſem, non refragabor, cum Dachawienſis Schyrenſisue fuat nullo apud me diſcrimine habeatur, is qui apud Eberſpergenſes Aduocatus fuit.

Satis eſt unum ex Hazachae poſteris Eberſpergenſem Aduocatum fuiſſe, quod munus ad Principes ex Eberſpergenſi familia oriundos ſpectare unice debuit. Ita enim abſolui fidem, qua ſpopondi me oſtenſurum eſſe hanc Aduocatiam Hazachae poſteris contigiſſe. Ex quo conficio me non erraſſe ubi egi de cognatione Schyrenſium cum Eberſpergenſibus, ex coniuge Vdalscalchi Comitis deriuata.


§. IV.

Quod tunc omiſi, quamuis oſtenderim Vdalscalchum Aduocatum quoque fuiſſe S. Stephani Friſingenſis [c] nunc, arrepta hac anſa, ſupplebo. Scilicet et haec quoque Aduocatia contigit

a) Ib. n. 30.
b) Hund. Metr. T. III. p. 303.
c) vid. ſup. Lib. VIII. Hund. Metrop. Tom. III. p. 317.

git Schyrenſibus [a] primusque ex eis hanc geſſiſſe videtur PERNHARDVS SCHIRENSIS, MONASTERII S. STEPHANI ADVOCATVS, quem legere eſt in charta ſub Meginwardo Epiſcopo ſcripta.

Aduocatus eiusdem loci poſtea fuit [b] OTTO PALATINVS COMES, utpote haeres ex aſſe omnium fere Schyrenſium, qui ab Hazacha originem duxerunt, quorumque poſteritas breui emarcuit.



a) ib. p. 318.

b) ib. p. 319. 320. 321.

Tabula XXX.

Schirensium Comitum usque ad Ottonem Ducem.

Arnulphus Dux Baioariae † 937.

Arnulphus II. Comes Palatinus † 953.

Arnoldus s. Arnulphus (III) unde Vohburgenses Marchiones a. 1210. extincti.	Bertholdus II. Comes ab Vngaris occisus a. 955.

Arnoldus (IV) III. Comes Sundergouiae † circa 1010. Vx. Adelhayd.	Bertholdus (III) occisus a. 983.

Fridericus I. Comes a. 1025. † 1040. Vx. Kunegunda.	Bertholdus (IV) a. 1020.	Arnoldus (IV) Bellator unde Andecenses et Wolfratshusani v. tab. XXVI. XXVIII.

Otto I. Comes de Scheiren † 1070. Vxor Hazaga filia Werneri Comitis et Willipirigae Ebersbergensis: haeres Aduocatiae Frising. † post 1100. v. Cap. 2.	Bertholdus (V) de Greisbach † 1065. unde Lechsgemundani Faleyenses, Neuburgenses etc. v. tab. XXIII. XXIX.

Eckartus I. Comes Schirensis † circa 1098. Aduocatus Frising. Principalis Vx. (Richardis) filia Magni Billungi Sax. Ducis.	Otto II. Comes Aduocatus Frising. † ante 1137. Vx. Mathildis.	Bernhardus Comes Aduoc. Frising. † 1101.

Otto (III) Comes de Scheiren & Palatinus Baioariae primus † 1132. Vx. (Agnes) soror et haeres Bertholdi de Burgeck Palatini Comitis Cap. VIII.	Arnoldus (V) Comes Vx. Petrissa s. Beatrix.	Otto (IV.) fundator Vsenhouanus.	Bernhardus II. Comes.	Eckartus II. Comes et monachus.

Otto (V) II. Palatinus Comes † 1155. Vx. Heilica de Veltheim † 1170.	Lauritta nupta Ottoni II. de Wolfratshausen.	Vdalricus praepositus Frising.	Conradus I. de Dachau.	Otto (V) de Dachau.	Patrueles Ottonis I. Palatini.

Arnoldus (VI) de Dachau.	Conradus II. Comes de Dachau, Dux Dalmatiae Vxor Adelhayd de Putelendorf. v. Lib. XI. Cap. 3.

Conradus III. † anaer.	Hedwig nupta Bertholdo de Andechs Marchioni Istriae v. Tab. XXVI.

Otto Magnus Dux Baioariae.

† 1146 vide praef. p. XV not. Non. Aug. vide Chron. Necrol. Admont. apud Pezium Script. T. II. p. 205. Heilica † XVIII Kal. Oct. ibid. p. 207 an. 1142 [illegible]

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM

SYNOPSIS.

Series Palatinorum Comitum ex gente Schirensi procreatorum, adeoque et Maiorum Augustae Domus redintegratur. Vindicantur illi tres Ottones quorum primus filius erat Eckarti I. tertius Dux Baioariae euasit anno 1180.

§. I.

De Eckihhardi I. posteris dicturus finemque Commentariis hisce tandem impositurus, iis difficultatibus laboro, quibus vix maiores expertus sum unquam. Asserenda est series genealogica nostrorum, a recentioribus misere foedata, imo et truncata; dicendum quoque de Comitiua Palatina, quo tandem pacto huic Domui fuerit illata. Argumentum utrumque graue est, operosum, ne dicam inuidia plenum. Aggrediar tamen qualiacunque sint, ne mihi ipsi defuisse videar cum ad metam iam dum accessurus essem.

Exordium faciam a serie Ekardigenarum genealogica, illam eo usque perducturus, unde securus sit ad alterum argumentum transitus.

§. II.

Mihi forte ipsi constare non videbor si, postquam asserui fidem Conradi Philosophi ab Eckhardo I. repetentis originem Ducum

Baioariae, dixero eundem omiſiſſe integram generationem, dum unum tantummodo Ottonem inter Eckhardum I. et Ottonem Ducem poneret, cum duo nuncupandi fuiſſent.

Errorem ſuſpicari debuerunt ii qui nobiscum perpenderunt Ottonem III. de Schyren filium Eckhardi jam grandem natu fuiſſe cum adhuc viueret Meginwardus Epiſcopus anno 1095. defunctus. Cum enim certum ſit Ottonem ſeniorem Ottonis Ducis patrem ultra medium ſeculum XII. vitam produxiſſe dandi forent illi Neſtorei fere anni, ut vir anno iam 1098. rebus gerendis haud impar anno demum 1155. ut vult Monachus Ensdorfenſis, aut etiam 1146. quem malunt Auentinus et Hundius, exuuias mortales deponeret.

Longius praeterea diſcederem ab opinione vulgari ſi duos tantum Palatinos Ottones agnoſcerem, quorum alter idem eſſet cum Ottone Duce. Tres enim uno ore numerant Ottones, qui omnes Palatini fuerunt, ſcilicet Ottonem Hazigae filium nobis II. Ottonem III. qui obiit a. 1146. et Ottonem denique IV. qui Dux euaſit a. 1180. Hunc autem calculum abſit ut erroneum pronunciem. In illo tantum erraſſe credo Auentini aſſeclas quod Ottonem, Wittelspacenſium Palatinorum primum, filium dixerunt *Hazigae*, qui reuera filius erat Ekhardi I. Caetera cum veritate congruere nullus fere dubito.

Conradus ipſe Philoſophus indigitauit nobis quod res eſt cum inter teſtes Berchtoldinae largitionis circa annum 1107. factae praeter OTHONEM Comitem de SCHYREN, Eckardi I. puta filium eo loco, qui filios eius decebat, recenſeret OTHONEM et VDAL-

VDALRICVM FRATRES DE SCHYREN Comitis elogio vacuos adhuc utpote ſuperſtite patre. Addit praeterea Philoſophus *Othonem* et *Vdalricum poſtea caſtrum Wittelspach poſſediſſe*, quod argumentum eſt haud ambiguum delati ad Ottonem Vdalrici fratrem Comitatus Palatini, ſiquidem Comitiua haec cum dominio Wittelspacenſis caſtri nunquam non fuit coniuncta.

Quod ſi vero obtineamus Othonem Vdalrici fratrem Palatinum Comitem fuiſſe, conſtabit. 1. eum diuerſum omnino eſſe ab Ottone Hazigae filio, quippe qui fratrem Vdalrici nomine inſignitum non habuit. Conſtabit quoque diuerſum eſſe illum ab Ottone Ekkardi filio qui anno 1107. iam dudum Comes audiebat et ante reliquos Schyrenſes omnes, quorum ſenior erat, nuncupandus veniebat.

At Vdalrícum Ottonis fratrem ita nouimus ut quem maxime, ſcimusque Aduocatum fuiſſe Eccleſiae Friſingenſis qualem eſſe decebat nepotem Eckhardi.

Vdalricum Aduocatum ſiſtunt litterae a. quibus Heinrico Epiſcopo largitio facta eſt „ *praeſente et ſuſcipiente ſine omni contra-* „ *dictione piiſſimo atque dulciſſimo Aduocato Vdalrico.*

Inſtar vero omnium eſſe poteſt b. charta qua aliud agens Vdalricus, Aduocatus tamen dicitur.

„ *Domnus* HODALRICVS ADVOCATVS ECCLESIAE noſtrae tra-
„ didit ad altare S. Mariae Imichinhouin . . . . *Iterum idem*
„ ADVOCATVS HODALRICVS *tradidit munitionem quae vocatur Zimu-*
„ *uaſin vel Werda* (et) *apud Ridigan* . . . *apud Cuntheringen* . . .
„ *apud Ebroltiſtetin etc.*

a) Inſtr. Fris. 1296. b) Ibid. 1313.

„ Hoc autem totum factum eſt IN PRAESENTIA FRATRIS SVI „ OTTONIS *laudante et conſentiente hanc eandem fieri traditionem, et* „ *ipſe primus teſtis.* Hi ſunt teſtes OTTO FRATER ADVOCATI *ite-* „ *rum* COMES OTTO DE SCIREN.

Non ſine cauſa Vdalricus piiſſimus et dulciſſimus Aduocatus eſt dictus. Eo enim pietatis et dulcedinis deuenit ut ſacris initiari vellet apud Friſingenſes, et Praepoſitus euaderet. Teſtantur id litterae [a]. quibus compoſita lis eſt *inter Lotharium Abba-* „ *tem Rotenſem et Domnum Ottonem* PALATINVM COMITEM *de prae-* „ *dio in Niuuarn quod vendiderat Lotharius Abbas Ottoni, qui pretium* „ *eius nec ſoluerat nec ſoluere volebat. Re ad Ottonem Epiſcopum* „ *Friſingenſem delata, opera eius emollitus Otto praedium in manus* „ *Domini Friderici fratris ſui delegauit, ſed ſtatim in beneficium recepit.* „ *Itaque praefatus Dominus Fridericus praedium iam ſaepius dictum ſu-* „ *per reliquias etc. Friſingae tradidit, praeſentibus his teſtibus, Otto* „ *Praepoſitus S. Andreae,* VLRICVS PRAEPOSITVS FRATER PALA- „ TINI.

Scimus itaque Ottonem Vlrici vel Vdalrici fratrem Comitem Palatinum omnino fuiſſe diuerſum autem ab OTTONE Eckhardi filio, nec non ab Ottone Hazigae filio, ſcimus praeterea ad Eckhardi I. poſteros ſpectaſſe *Comitiuam Palatinam, et Aduocatiam principalem Eccleſiae Friſingenſis*: ſequitur hinc Ottonem Eckhardi filium patrem fuiſſe Ottonis et Vdalrici quorum alter Palatinus alter Aduocatus Friſingenſis euaſit. Huic vero absque liberis defuncto in Aduocatia ſucceſſit Otto frater idem qui Palatinus erat, fidem aſſerto facientibus monumentis plurimis ſub Heinrico Epiſcopo conſcriptis.

Iuue-

a) Ib. 1323.

Iuuenes adhuc erant nec dum Comites *Otbo et Vdalricus* fratres anno 1107. cum teſtes adeſſent traditioni Berchtoldinae. Facile ergo ad annum usque 1146. vel etiam 1155. vitam protrahere potuit Otto.

Addo, ne quis mihi negotium faceſſat, eumdem hunc Ottonem Vdalrici fratrem qui ſub Ottone Epiſcopo Aduocatus ſimul audit Friſingenſis et Palatinus Comes ſub eodem Epiſcopo, adeoque circa annum 1140. filium iam habuiſſe cognominem qui rebus gerendis par eſſet, quandoquidem *quoddam concambium* a. *ſub Domini Ottonis Epiſcopi Venerabilis* et OTTONIS ADVOCATI ET FILII SVI OTTONIS praeſentia, quo oportuit iure, confirmatum et roboratum eſt, et huius rei teſtes ſunt et per aurem, ut mos eſt, tracti ipſe DOMINVS OTTO ADVOCATVS et OTTO EIVS *filius*. Otto itaque frater Vdalrici diuerſus fuit ab Ottone qui poſtea Dux euaſit, hicque idem eſt cum *Ottone filio Ottonis Aduocati.*

Haec uniuerſa et ſingula vero, ſi dubium adhuc ſupereſſe poſſet Lectori, extra omnem controuerſiae aleam ponentur capite IX. ubi demonſtrabimus Ottonem inter Palatinos primum Eccardi I. filium obiiſſe circa a. 1132. Ottonem vero Palatinum II. Vdalrici fratrem anno 1155.

§. III.

Peractis hiſce, diſpiciendum eſt nobis utrum Otto III. Eckhardi filius Palatinus reuera fuerit, quod affirmauit Monachus Wein-

a) ib. 1324.

Weingartenſis. Hoc uno autore freti id aſſerere procul dubio poſſemus. Sed aliis forte argumentis non caremus.

Abbatia Vſenhouenſis Schyram translata aut ſaltem ibi litteris Caeſareis munita eſt anno 1124. tuncque viuebat iam PALATINVS COMES OTHO III. *et patrueles ſui Otho IV. Bernhardus II. et Eckehardus II.*

Hic itaque Otho Palatinus idem eſt qui filius Eckhardi, nepos Hazigae, quandoquidem patrueles eius erant Otho IV. Bernhardus II. et Eckehardus II. filii Othonis III. itidemque Hazagae nepotes. Haec eo libentius aſſevero quo diſertius ea conſtant ex diplomate Heinriciano haud facile impugnando.

Accedit Iacobus Ensdorffenſis cuius teſtimonium haud nullius eſt momenti in re tam antiqua, quando laudat inſtrumenta domeſtica.

„ At ille cum, inquit, OTTO COMES PALATINVS BENE „ MERITVS FVISSET DE CAESARE HEINRICO IV. (V) *ab eo dono* „ *accepit* CVRTEM ET *dominium Weinpach dictum ſitumque in Comi-* „ *tatu Ottonis Comitis de Horeburgh, quod omne* CAESAR DEDIT OT- „ TONI ET EIVS HAEREDIBVS *ut in litteris Caeſareis continetur. Id* „ *contigit anno* 1112. *regnante Heinrico IV. praeſentibus idoneis teſti-* „ *bus ut litterae ferunt.* Arbitror Ottonis titulum a Iacobo deſcriptum eſſe ex litteris ipſis Heinrici quas ob oculos habuiſſe videtur: ſicque mire ſtabiliuntur ea quae docuerunt nos Heinricus V. in diplomate Vſenhouano et Monachus Weingartenſis.

In eo autem lapsus est Ensdorffensis noster quod Ottoni, Ekkardi filio iamque A° 1112. de Heinrico V. bene merito desponsauerit Heilicam Friderici Lengenfeldensis sororem, quae nonnisi A° 1170. obiit, filiumque habuit Fridericum anno demum 1196. defunctum.

Anno quidem 1139. scriptae sunt litterae fundationis monasterii Ensdorffensis ab Ottone Palatino peractae. Notant annum illum Excerpta diplomatica apud Oefelium in calce Chronici Ensdorffensis reperienda. Anno vero 1146. HELICA COMITISSA PALATINA CONIVX OTTONIS largitionem fecit, recte itaque *Fundatrix* nuncupatur.

At cum Heilica certo certius mater fuerit Ottonis Ducis et Friderici a. 1196. defuncti sequitur inde eam coniugem fuisse Ottonis II. Palatini quem elogio fratris Vdalrici designamus, minime vero Ottonis Palatini I. qui filius erat Eccardi I.

§. IV.

De connubio Ottonis inter Palatinos primi, quem filium fuisse aiunt Hazigae, ego vero Eckardi I. filium fuisse probaui, varie scribunt recentiores. Sibi ipsi non constat Auentinus. Audiamus Hundium [a] „ *Ottonis (Palatini Primi) uxor Richardis* „ *filia Ducis Magni Saxoniae et soror Dominae Wolbildis vel Wulfhildae* „ *quae nupsit Heinrico VIII. Duci Baioariae. Ita Auentinus in Chronica* „ *Lib. 7. sed in Annalibus Schyrensibus nuncupat eam dominam Agnetem*

a) Stammb. P. I. p. 134.

„ *Lotharingiae Ducissam, nisi forte plures uxores habuit. In Chronica*
„ *Vnderstorffensi illa Domina Agnes de Lotharingia datur sequenti Ot-*
„ *toni IV. pro Holica quasi non haec sed illa eius uxor fuerit, qua de re*
„ *nihil affirmari potest, cum Auentinus secum ipse non conueniat, ex uxo-*
„ *re Richardi quae in Vnderstorff sepulturam habet genuit Otto tertius*
„ *Ottonem quartum Ludowicum et Vlricum.* „.

Diceres Hundium nefas credidisse plura scire quam sciuerat Auentinus? Nos vero, qui temporis rationem habemus, negamus omnino Ottoni ulli nupsisse sororem Wulfhildis Saxonicae. Sed autore Weingartensi asserimus sororem illam Wulfhildis uxorem fuisse *Eggebardi I.* matrem Ottonis Palatini de Wittelspach. Agnetem matronam nondum repudiamus, asseueramus vero Heilicam nupsisse Ottoni II. fratri Vdalrici.

Nemo nobis vitio vertat quod testimonio utimur Auentini, quantumuis dubitantis sibique ipsi contradicentis. Monuimus iam supra et ingenue profitemur Auentinum circa monumenta summa fide, quamuis ambitiose nonnunquam, egisse, in hallucinando infelicem fuisse.

Ita praemonitus Lector et audaciae nostrae jam assuefactus redeat nobiscum, oramus, ad Comitiuam Palatinam, ubi de ea disserere cessauimus.



CAPVT

CAPVT OCTAVVM

SYNOPSIS.

Coniecturae de iure tituloue quo Schirenses adepti sunt Comitatum Baioariae Palatinum. Asseritur Rapotoni Palatino sororem fuisse Willitruden Hohenwartensis et Bergensis coenobii fundatricem, hanc nupsisse Bertholdo de Greisbach ipsique peperisse filiam quam duxit Otto Schirensis. Castigatur Historia fundationis Bergensis a Bruschio vulgata.

§. I.

Si de ullo magistratu, de Comitiua Palatina procul dubio constat haereditarium et persaepe dotalem fuisse. Extincta igitur cum Ratpotone anno 1099. familia Palatina redire debuit hic magistratus ad maritum Adelhaidis exhaeredatae qui tunc Berengarius Sulzbacensis erat, Adelhaydis, inquam, utpote neptis Chunonis I. Palatini filiae vero Chunonis II. Palatini; ni forte filiam vel sororem habuit Ratpoto, cuius ut proximae haeredis iura potiora essent. At nouimus filiam Ratpotonis Taurensis adeoque sororem Ratpotonis Palatini Comitis dignam sane omni industria nostra.

„ *Hohenwartense, inquiunt,* a. *coenobium fundatum est a* RAPO-
„ THONE *Comite de* TAVRIS *eiusque coniuge Hemma, amborumque bo-*
„ *rum honestissimorum coniugum liberis* ORTOLFO *et* WILLITRVDE *in*
„ *hoc ipso coenobio quiescentibus, de quibus tale ibi legitur Epigramma:*

T t 2 OR-

a) Hund. T. II. p. 272.

„ ORTOLPH, WILLITRVDIS huic clauſtro cauſa ſalutis
„ Poſcunt obſequia ſub munere quotidiana
„ Hemma quibus mater, RAPOTHO quippe pater.

(Dignum prorſus carmen ſaeculo quo obierunt fundatores coenobii Hohenwartenſis.)

„ *Templum conſecratum eſt anno domini* 1074. *Ortolfus Comes interfuit expeditioni Gotefridi Bulionenſis in Saracenos, obiit vero in itinere cum rediret a terra ſancta. Poſt obitum fratris Ortolfi Domina* WILTRVDIS *omnia bona paterna collecta piarum ſororum congregationi et inceptae a parentibus ac fratre Domui Dei tradidit, cuius ipſa prima legitur fuiſſe gubernatrix et Abbatiſſa. Obiit anno* 1081. *ex Chronico Monaſterii. Extat de ea tale adhuc in coenobii monumentis Epigramma*;

„ Quando valedixit Wiltrudis inclyta mundo
„ Floruit hic primo per eam monaſticus ordo

Hucuſque nihil eſt ex quo argui poſſit Willitrudem virginem obiiſſe. Addunt tamen: „ *Tumulo eiuſdem primae huius loci et fundatricis et gubernatricis tales antiquitus ſuperadditi fuerunt verſiculi, nunc omnino aboliti*;

„ Virgo flos florum, praeclare nitens, ſuperorum
„ Gemma, tibi vota perſoluens concio tota
„ Per te ſaluari petit et pro fine beari.

Iniuſti iniquioreſque foremus in autorem carminis ſi haec de Willitrude intelligi vellemus, matrona nimirum ne in album quidem Diuorum relata; per quam *ſaluari petere* in uirum a Chriſto Saluatore nuncupatum cadet nunquam. Credimus itaque verſiculos incomptos, ſi vel maxime inſculpti fuerunt ſepulcro Willitrudis, formulam precum eſſe queis inuocabatur *flos virginum, ſuperorum gemma Maria.* Nihil itaque erui inde poteſt circa coelibem vitam a Willitrude ductam.

Tem-

Tempus, quo obiit Willitrudis, quod attinet, pugnant de eo inter se Hundii autores. Si enim mortua est anno 1081. quo pacto superstes dici potuit *Ortolfo* qui interfuit expeditioni Godefridi Bulionensis adeoque vix vita functus est ante annum 1101. [a]

Rotunde magis et expedite Vitus Arnpeckhius: „*Vieldrudis* „ *Comitissa fundatrix Monasterii Hohenwart obiit anno* 1080. *sepulta* „ *ibidem cum fratre suo Ortolfo Comite*, *Patre Rappote Comite de Thau-* „ *ren et matre Hemma Ducissa Austriae.*

Credamus itaque Willitrudim obiisse anno 1080. vel 1081. et cum Comitissa fuerit, nec virgo unquam dicatur, nupsisse eam Comiti nobis quidem huc usque ignoto.

§. II.

Maximi interim rem momenti assecuti sumus dum probauimus inter mortales aliquando deguisse foeminam quae Willitrudis dicta sit, sororque fuerit Ratpotonis Comitis Palatini. Quo enim se contulit Willitrudis, haeredes illic habere debuit, qui Comitiuam Palatinam aliquando adipiscerentur.

Hoc assecuti conferamus cum fundatione Hohenwartensi fundationem Bergensem qualem eam descripsit Bruschius [b]. quem partim secutus est Hundius.

„ *Pergenium vel Bergense S. Crucis coenobium in Eystetensi Episco-* „ *patu et praefectura Heersbrugk dimidio milliari a Neuburgo Danu-* „ *biano amplissimum coenobium fundatum legitur anno Domini* 976. *Im-* „ *perante Othone II. ab illustrissima Principe ac Domina*, *Domina*

a) Pez. Thes. Anecd. T. III. Arnp. Lib. IV. c. 43.

b) Monast. Germ. Chronol. cent. I. p. 97.

„ WILLITRVDE BERTHOLDI *ultimi Bauarorum Ducis honestissima coniu-*
„ *ge . . . Successit Arnoldo fratri suo Berchtoldus ille Dux qui* DOMI-
„ NAM WILLITRVDEM *nobilissimam foeminam* GISILBERTI *Belgarum et*
„ LOTHARINGORVM DVCIS E GERBIRGA IMPERATORIS OTHONIS
„ MAGNI GERMANA SORORE *filiam uxorem habuit. Is Bertholdus cum*
„ *Ducatui Bauarico praefuisset* 12 *annis* SINE HAEREDIBVS *obiit anno*
„ *Dni* 949. *Bona eius ex Principum sententia in regium fiscum redacta*
„ *sunt . . .* DOMINA WILTRVDIS *vero vidua mansit quae dotales ad-*
„ *huc prouincias tenebat et ipsis imperabat*, SVLTZGOVIAM *videlicet*,
„ NORDGOVIAM, SCHWANFELDVM *et praedia circa Heersbruggum*
„ SITA. (HOC *coenobium Bergense construxit anno* 976.) *consentiente*
„ *Othone II. eius vero prima etiam Abbatissa et gubernatrix ipsa facta*
„ *confirmationem suae fundationis et priuilegia ab Othone II. Imperato-*
„ *re et a summo Pontifice Ioanne XV. obtinuit et impetrauit. Habet*
„ *hoc coenobium priuilegia et diplomata non solum ab Imperatoribus Otho-*
„ *nibus duobus postremis, sed ab Imperatore Heinrico etiam claudo qui*
„ *dedit monasterio pagum* TOLLNSTEIN *cum adiacentiis, ab Imperatore*
„ *etiam Conrado Franco et eius uxore domina Gisela quae dedit Vrsingum*
„ *pagum cum adiacentiis.* „

Erat mihi magnus Apollo Bruschius et venerabar tot nomina Imperatorum quae congessit magis quam diplomata antequam pagum Tollnstein nuncuparat qui fuit in Suburbio Eichstettensi et perpetua *ditio Comitum Chreiglingensium*: si tamen pagus dici debuit quod castrum erat. At hoc ipso nomine si quid veri latet, nobis indicantur veri fundatores coenobii Bergensis: *Tollenstenii* enim haeredes fuerunt Berchtoldorum de Greisspach et Purgeck.

Nemo esset quin crederet Bruschium ea optime sciuisse et perspecta habuisse, quae tanto cum apparatu scripsit. At sibi ipse non

non conſtitit et in Metropoli Moguntinenſi ſub Reginaldo Eichſtetenſi Epiſcopo ſcripſit hoc monaſterium inſtitutum fuiſſe a GVTA VXORE BERCHTOLDI COMITIS DE LECHSGEMVNDE.

Bruſchius ipſe Bergenſe Monaſterium nunquam adiuit, ſed de eo ſcripturus petiit ab Abbatiſſa quae tunc erat, ut ſibi transmitteret ea quae ſciri de ſuo Monaſterio deſideraret. Conſcripſit ipſa Catalogum Abbatiſſarum, Praeſul haud illiterata, quem Bruſchio transmiſit. Hinc didicit ille nomina *Berchtoldi* et *Willitrudis*, quibus Ducis encomia forte addidit Abbatiſſa, ut fuerunt ante luſtra aliquot animi Monachorum Monialiumque magnorum nominum avidi et nonniſi Imperatores Regeſque et abſtruſa ſaecula ſomniantes. His elementis Bruſchius de ſuo penu liberaliter addidit quicquid ſubminiſtrabat illi hiſtoria aeui quo vixit Berchtoldus Dux; et uxorem Berchtoldi Ducis, cuius nomen adhuc dum ignoratur, *Willitrudem* vocauit nomine apud Saxones et Lotharingos prorſus ignoto : produxit viduitatem Willitrudis uſque ad annum 976. Citauit nomina imperatorum qui nuncupandi erant, ſi caetera vera fuiſſent, fabulamque vendidit ambitioſam ſatis, ſed veritate, ut plurimum carentem.

Sequitur Catalogus Abbatiſſarum Bergenſium mancus, clauduſque. Reiicitur mors Willitrudis in annum 976. ſequuntur illam quatuor Abbatiſſae quarum dies funebris ad fidem Necrologii notatur. Additur quinta a caſtro aut villa cognominata more plane inſolito, ea quidem, qua vixiſſe dicitur, tempeſtate. Abbatiſſam ſeptimam Rilindis vocatam electam perhibent aliquot luſtris poſt annum Domini 1095. quo, inquiunt, *anno denuo conſecrata legitur Baſilica Bergenſis coenobii.* Rilindis Abbatiſſa cui tribuuntur verſiculi pro ſaeculo haud inelegantes, miſſa dicitur in coenobium

bium *Altitonense* ut illud reformaret, interim periisse incendio monasterium Bergense et desolatum fere mansisse usque ad annum 1156. quo restauratum fuit sub Abbatissa REGELINDI.

Verum enim vero minuit iam immensam Bergensis coenobii antiquitatem carta a nobis superius citata, in qua BERGA VILLA RECIA adhuc A°. 1057. vocatur sitaque dicitur in Comitatu BERTHOLDI COMITIS. Deinceps *Rilindis* illa quae *aliquot lustris* post annum 1095. praefuisse dicitur, inque monasterium Altitonense ablegata, eadem haud dubie est quae *Regelindis* a. 1156. electa. Probat assertum nomen utrique prorsus idem, probant ipsa Bergensia monumenta quae Rilindin Altitonam missam aiunt ab Imperatore Friderico I. qui anno 1152. ut in vulgus notum est, imperii habenas primum capessiuit. Quod cum ita se habeat salua iam sunt omnia. Integra est nec interrupta Abbatissarum series inde a Willitrude ad Rilindim usque. At vero si Rilindis quae sexta post Willitrudem numeratur A° demum 1156. electa est, Willitrudis obitus reponendus erit utique in annum circiter 1080. sicque singulis Abbatissis contigerit 16. fere annorum Praesulatus.

Viden quam optime cohaereant omnia. Fundat Willitrudis Bergam anno 1076. Fundationem peragit Guta Bertholdi Comitis uxor a. 1095. praesunt coenobio Abbatissae quinque, quarum postrema a Schuomedach castro facile cognominari potuit seculo XII. hanc excipit a. 1156. Rilindis seu Regelindis a Friderico I. Altitonam, ad reformandum S. Odiliae coenobium, ableganda.

Sed Willitrudis Bergensis coenobii fundatrix vidua erat Bertholdi cuiusdam. Optime sane: Viduam et ipse fuisse pronuncio

Bert-

Bertholdi illius de Greisbach in cuius Comitatu ſita erat *Berga villa* regia. At Guta Bertholdi coniux quae Bergenſem Eccleſiam dedicari fecit, vxor omnino erat Bertholdi de Burgeck et Greisbach nobis abunde noti, nurus autem Willitrudis fundatricis. Meminiſti Bertholdos noſtros Greisbacenſes illic praepotentes fuiſſe ubi latifundia poſſediſſe dicunt Willitrudem, Tollenſteinii videlicet, circa Hersbruckam, et in Schwanfeldo.

Iam vero redeamus ad Willitruden noſtram Hohenwartenſem. Mirumne tibi videtur eodem anno 1080. duas obiiſſe in anguſto ſatis Baioariae angulo Comitiſſas Willitrudis nomine, haud ita vulgari, inſignitas?

Mirum profecto videretur illud et mihi niſi perſuaſum haberem Willitruden Bertholdi Greisbacenſis uxorem, aliam non fuiſſe quam Willitruden Hohenwartenſem Rapotonis Taurenſis Comitis filiam, Rapotonis II. Palatini ſororem. Sic forte eluceſcet cur Rapotoni Taurenſi propinquum ſuum Heribertum largitione beanti illico poſt *Chunonem* fratrem et ante Potonem patruelem teſtis adfuerit Berchtoldus: videlicet quia gener illius erat, a) ſic conſtat quoque cur conſenſus Rapotonis Palatini neceſſarius fuit Sigebotoni, beneficia auita in praedia mutaturo: agebatur nempe de re Bertholdi de Burgeck tunc forte minoris adhuc, qui nepos ex ſorore erat Rapotonis.

a) Inſtr. Fris. n. 1219.

§. III.

Per illas ambages eo deuenimus ut dicere debeamus poſt mortem Ratpotonis Comitis Palatini et Ortolfi fratris Comitiuam Palatinam contingere debuiſſe *Berchtoldo* ſeu *Bertulfo* de Burgecka cuius uxorem Gutam detexiſſe nobis videmur.

Fateor nullum ſupereſſe monumentum quo conſtet Berchtoldum unquam Comitem Palatinum audiuiſſe: ſed quis quis id negare vellet eadem monumentorum penuria laboraret; nemo etenim hucusque dicere potuit quis poſt annum 1099. anteque annum 1112. *Palatinus Comes in Baioaria fuerit.*

Non deeſt tamen ratio, leuiuscula quidem ſed tanti quanti facienda, ex qua elicere queamus, Berchtoldum vel Bertulfum quemdam Comitem Palatinum aliquando in Baioaria fuiſſe. Hanc ſubminiſtrat mihi Caeſarius Heiſterbacenſis autor ſeculi XIII. cuius Hiſtoriarum memorabilium excerpta edidit Leibnitius. a. Is enim de Palatino de Witillimbach, qui Regem Philippum occidit, agens, cum nomen viri male teneret, aut duos viros integro ſaeculo diuiſos miſceret BEROLPHVM PALATINVM

a) Script. rer. Brunsw. n. 42. Caeſar. L. VI. c. 26.

NVM nuncupauit quem Ottonem nuncupare debebat. Vix toleranda quidem haec: ſed haud inutilia nobis ſi confici inde poſſet vixiſſe unquam in Baioaria Bertholdum Palatinum, cuius, aliunde forte noti, nomen Parricidae Ottoni indiderit Heiſterbacenſis. At ſi fuit unquam Bertholdus quidam Palatinus diuerſus ſane non erat a Bertholdo de Burgeck.

§. IV.

Atqui meminiſti Lector Bertholdo de Burgeck filios fuiſſe nullos, omnemque eius haereditatem, quae opima erat, agnatis ceſſiſſe. Quid ergo obſtat quin dicamus ſororem Bertholdi nupſiſſe Ottoni Schirenſi, Ekkarti filio, huncque uxorio iure acquiſiuiſſe Comitatum Baioariae Palatinum, utpote prorſus haereditarium?

Clam quidem me non eſt tribui Ottoni, Palatinos inter primo, Vxorem Lotharingicam. Auentinus diſerte rem affirmat. Sed necdum proſtant monumenta ulla queis aſſertum illud probari queat; nec in uniuerſa Lotharingiae Ducum proſapia quae late patuit, nobisque poſt Calmeti lucubrationes notiſſima eſt, deprehendes Agnetem ullam Palatino Baioariae ulli deſponſatam.

Accedit teſtimonium Heinrici V. minus clarum quidem illud ſed quod alicuius tamen eſſe videtur momenti. Narrat ille

 hiſto-

historiam fundati ab Ottone Hazagae marito et Bertholdo de Burgeck coenobii Vischpachaugiensis, quod *praedictorum virorum nepotes* deinceps Schiram transtulerunt. At vero Otto Palatinus Eckarti filius certo certius fuit nepos Bertholdi de Burgeck, si verum est quod diximus Ottonem, Palatinorum primum sororem Bertholdi in thoro habuisse.

Obiicietur forte nobis, qui fieri potuerit ut agnati Bertholdi de Burgeck remotiores haereditatem eius cernerent, si soror ipsi fuisset ulla? Et cum praedia agnatis cessissent omnia qua tandem ratione Palatina dignitas sola sororio Bertholdi sit relicta?

At vicimus si hinc eluctatis dubium ultra mouetur nullum.

Memineris Lector 1. diplomatis Heinriciani Rotense monasterium concernentis: „ *Habuit Cono Palatinus, inquit Heinricus* „ *IV. duos liberos quibus substantiam suam diuisit Cononem scilicet et* „ IRMOGARDAM *quae* CVM MARITO TRADERETVR PORTIONEM SIBI „ DEBITAM ACCEPIT *et* DE PARTE RELIQVA OMNEM CALVMNIAM LEGITIME REFVTAVIT „ Cum igitur fundaretur coenobium Rotense ne petitus quidem est consensus Irmogardae eiusue coniugis. Haeres tamen fuit illa Comitiuae Palatinae eamque uxorio iure gessit *Cono de Meglingen*; nempe solemne iam erat ut haec Comitiua foeminas sequeretur.

2. No-

2. Notum eſt bona auita quae patrimonialia quoque dixerunt feudorum adeo naturam ex priſcis germanorum moribus habuiſſe, ut maſculi remotiores excluderent ſemper foeminas gradu propiores. Cum autem Palatina dignitas mere haereditaria fuerit, imo et per foeminam, matrem puta, Bertholdo de Burgeck contigerit, mirum non eſt ſororem eius iure materna ſalua habuiſſe, cum bona patrimonialia ad agnatos tranſirent.


3. Habemus exemplum inſigne contentionum huius generis apud Monachum Weingartenſem [a]. *Gwelfo*, inquit ille, *ſub an-* „ *nis adoleſcentiae ſuae mediante fratre ſuo Heinrico Duce filiam Gote-* „ *fridi ditiſſimi Palatini de Caluue Outam nomine accepit uxorem. Vn-* „ *de et omnia* QVAE ILLIVS ERANT TAM BENEFICIA QVAM PATRI- „ MONIA *obtinuit* (vi connubialis pacti quod mediante Heinrico „ initum fuit) ALBERTVS IGITVR COMES FRATRVELIS EIVSDEM „ PALATINI, *videns* OMNEM SPEM SVAM, *quam in* MORTE PATRVI „ *poſuerat*, *fruſtrari*, *de iniuſta eum diuiſione calumnians haereditatis* „ *ac medietatem omnium ad ſe haereditario iure ſpectare proclamans ca-* „ *ſtrum Caluwe dolo ſubripuit et milites in eo locauit.*

Nihil ergo contra hypotheſin noſtram concludi poteſt ex diuiſa inter agnatos haereditate Bertholdi de Burgeck, maneatque ratum donec meliora doceantur, Ottonem I. Palatinum Eckarti I. filium duxiſſe ſororem Bertholdi de Burgeck Comitis Palatini,

 quam

a) c 12.

quam quidem *Agnetem* vocabimus in gratiam Auentini, huiusque connubii iure peruenisse ad Schirenses nostros Comitatum Baoiriae Palatinum.



CAPVT

CAPVT NONVM.

SYNOPSIS.

De Ottone I. Palatino Eckarti I. filio Agnetis Palatino-Greisbacensis marito eiusque obitu. De Ottone II. Palatino, Ottonis I. filio Heilicae marito eiusque obitu. Filius ipsius Otto Senior s. Magnus Dux Baioariae Gentisque Augustae Sator.

§. I.

Postquam probauimus duos Ottones Palatinos Comites fuisse ante eum qui Dux euasit a. 1180. ex hisce vero alterum, qui frater Vdalrici erat, eumdem esse Ottonem Schirensem qui obiit anno 1146. vel 1155. incumbit nobis ut dicamus quo tempore exuuias mortales deposuerit Otto Palatinorum primus Eggehardi vel Eckhardi filius, Ottonis et Vdalrici pater. Adscribunt a. Ottoni maiori, quem patrem Ottonis Ducis vocant, fundationem Vndestorfensis coenobii et eumdem putant qui anno 1111. non vero 1077. ut apud Hundium est, auxilium praestitit Heinrico Imperatori, cum Paschalem Papam caperet. „ *Heinricus V. Apostolicum cum Cardinalibus Regiae custodiae deputauit anno* 1111.„ b. tuncque adfuit Otto, atque ob nauatam operam egregiam, anno proxime secuto praedium amplum in Nordgouia a Caesare accepit. Credidit tamen aut credere voluit Calixtus Papa inuito Ottone captum esse Paschalem, eaque de re litteras habemus sequentes.„

„ *Illu-*

a) Hund. Metrop. T. III. p. 303. b) Annal. Saxo ad h. a.

„ *Illuſtri viro Ottoni Comiti Palatino Calixtus Epiſcopus: Dolere*
„ *te et vehementer triſtari audimus eo quod in illa Regis expeditione fue-*
„ *ris in qua Dominus noſter S. Mem. Paſchalis nimis crudeliter captus*
„ *fuit non tamen* CAPTIONI AVT RETENTIONI EIVS CONSILIVM SEV
„ AVXILIVM PRAEBQIESTI *unde gaudemus valde et omnipotenti Deo gra-*
„ *tias agimus, quod cor tuum S. Spiritus viſitatione ad poenitentiam in-*
„ *clinauit. Vt autem de bono in melius proficias in remiſſionem tibi pec-*
„ *catorum tuorum iniungimus Eccleſiam Regularium Fratrum conſtruere*
„ *quae ſub B. Petri et eius Romanae Eccleſiae iure ac ditione in perpe-*
„ *tuum debeat permanere. Datum Laterani 7. Cal. Iulii.*

Obiit Calixtus anno 1124. Electus fuerat A⁰ 1118. Intra hos igitur annos ſcriptae ſunt litterae ad Ottonem, quas modo legiſti.

Iuſſibus Calixti haud paruit ſtatim Otto, ſi verum eſt anno demum 1126. fundatum fuiſſe *coenobium Vndenſtorffenſe.* Muniuit illud litteris ſuis Lotharius anno 1130. quarum teſtis eſt OTTO PALATINVS COMES in litteris ipſis dictus *Otto de Vndenſtorff.*

Ex Bulla tamen Innocentii Papae certo certius conſtat fundatorem Vdenſtorffenſem ipſum fuiſſe OTTONEM COMITEM PALATINVM ſuperſtitem adhuc quo tempore expediit illam anno ſcilicet 1131.

Hoc vero anno ipſo obiit Otto, ſi credere licet Hundio qui epocham hauſiſſe videtur ex monumentis Vndenſtorffenſibus: OTTO inquit ille, FVNDATOR OBIIT anno 1131. Quod ſi ita eſt nemo ſanus hunc Ottonem eumdem eſſe dicet qui anno 1074. iam adultus erat, rebuſque publicis adhibebatur Hazachae nempe filius

lius et Eckhardi frater: ſiquidem viribus adhuc valebat Otto Palatinus I. de quo hic ſermo eſt cum moreretur A° 1130. Chuno Ratisbonenſis Epiſcopus, bellumque inter Henricum Superbum et Wolfratshuſanos exortum, caſtra aduerſa ſubinde obiens, autoritate ſua compoſuit.

Sed ſexagenario tamen proximus fuiſſe debet, cum moreretur, Otto noſter, ſiquidem filia ipſius Lauritta, Ottoni II. Wolfratshuſano iam anno circiter 1116. pepererat Ottonem III. A° 1136. Papiae occiſum. Nepotem itaque ex filia fere vicennem vidit Otto antequam viuere deſineret quod optime congruit cum aetate quam aſſequi debuit Otto Eckardi filius A° 1098. iam clarus: minime vero dixeris virum qui A° 1116. avus iam erat vitam protraxiſſe ad annum uſque 1155. Nec facile credes Laurettam cuius filius ſtrenue pugnans occiſus eſt A° 1136. fratrem habuiſſe A° 1195. denique defunctum, utrumque vero dicas oportet, ſi Ottonem Palatinum, Ekkarti filium, patrem fuiſſe contendas Ottonis Ducis. Recte itaque capite ſeptimo tres ſtatuimus Ottones Palatinos, quorum primus obiit A° 1131.

Eodem quo Chuno Epiſcopus anno, obiit quoque Hermannus Auguſtenſis Praeſul iuxta Annaliſtam Saxonem. [a]

Volunt nonnulli Hermannum hunc Wittelspacenſem, et tantum non affirmant eum ipſum *Hermannum filium Ottonis Palatini Comitis* qui cum patre reddidit Eccleſiae S. Stephani mancipia quae

 ſibi

a) ad a. 1132.

ſibi iniuſte mancipauerant [a]. Cum vero Hermannus Auguſtenſis ferulam adeptus ſit anno 1096. falſum eſt omnino illum eumdem eſſe cum Hermanno Palatini filio quandoquidem hic ne clericus quidem dictus eſt unquam, nec facile per aetatem id licuerit. Aſſentirer libentius Mathiae Mareſchalcho de Pappenheim qui Hermannum filium fuiſſe ait Rapotonis cuisdam forte Taurenſis, adeoque fratrem Ratpotonis Palatini Comitis.

Verum enim vero de Ottone Palatino I. Eckhardi filio ſatis diſſeruimus. Nunc tranſitum faciemus ad Ottonem Palatinum II. Vdalrici fratrem, Ottonis praefati filium Eckharti nepotem.

§. II.

Nihil magis notandum eſt nobis de hoc Ottone quam connubium eius cum Heilica filia, ut ait Conradus Philoſophus, *Frederici de Lingenfeld nobiliſſimi Comitis.*

De hoc connubio ante omnes adeundus eſt Monachus Pegauienſis in Vita Viperti ſeu Wigberti Greizenſis Comitis [b]. Vipertus I. duxerat Sigenam filiam *Goswini Comitis Senioris de Leige* ex eaque ſuſceperat *Wigbertum qui puerulus adhuc erat* quando pater obiit anno 1040. Mauult Menckenius [c] anno 1050. cum anno demum 1110. obierit Sigena eius vidua et mater Wigberti II. Wigbertus II. autem demum a. 1124. defunctus ſit.

„ Do-

a) Hund. Metrop. T. III. p. 320.
b) c. I. §. 8. 10.
c) Scriptor. T. III. p. 846.

„ *Domina Sigena tanti viri contubernio viduata tandem vix aegre* „ *aliquanta consolatione recepta* COMITI FRIDERICO DE LENGENFELT „ *se sociari passa est, ex quo filium eiusdem nominis suscepit,* FILIAM *quo-* „ *que quam* RVGGERVS *Comes ducens* RVGGERVM MAGDEBVRGENSEM „ *postea Episcopum et Fredericum Comitem ex eadem habuit. Is quoque* „ *uxore suscepta filiam genuit quae* OTHONI PALATINO *de Witilinsbach* „ *nupsit duosque filios edidit scilicet Ottonem Palatinum patre defuncto et* „ FREDERICVM COMITEM. „

Dicunt Ruggerum fuisse Comitem de Veltheim. Filius eius Rutgerus iunior iuxta Chronographum Saxonem Archiepiscopatum Magdeburgensem adeptus est anno 1120. Annalista vero Saxo ait anno 1119. *Rockerum successisse Adelgoto Magdeburgensi Archiepiscopo.*

Immane quantum errauit Monachus Pegauiensis, aut Heilica uxor Othonis Palatini non fuit *Lingenfeldensis* sed WELTHEIMENSIS adque Lingenfeldenses non nisi ex avia pertinuit. Si a me quaeritur cui maxime fides habenda sit Monacho Pegauiensi aut Conrado Schyrensi dubitabo quidem, dicam tamen Pegauiensem, qui hanc familiam totam descripsit, praeferendum esse Conrado qui nesciuisse videtur quo nomine compellatus sit pater Heilicae.

Auentinus, Bruschius, ipseque etiam Arnpeckius nil me morantur cum omnes ad unum secuti sint Conradum Philosophum, hic vero Lingenfeldensem videatur dixisse Heilicam, quia Lengenfeldensis familia utpote Baioarica, viro Baioario notior esse debuit.

Nunc temporis rationem ineamus: Sigena nupsit Frederico de Lingenfeld anno fere 1055. Mater fuit filiae anonymae circa annum 1056.

Nupſit haec Ruggero Comiti anno fere 1076. eodemque enixa eſt forte Fredericum Comitem. Fridericus uxorem duxit circa annum 1096. anno igitur 1097. nata eſt Heilica quae nubere vix potuit ante annum 1112.

Dic iam Lector, utrum Heilica uxor eſſe potuerit Ottonis Palatini Comitis Ekarti filii qui ſoror fuit Ottonis Wolfratshuſani; dic an mater Laurittae eſſe quae ipſa iam A° 1116. peperit filium Ottonem A° 1136. occiſum. Conſtat itaque Heilicam neutiquam nupſiſſe Ottoni Ekkarti filio, qui autoritate ſua bellum compoſuit inter Heinricum Superbum et Ottonem Wolfratshuſanum Fredericumque de Bogen exortum; quod ſi conſtat, certum eſt quoque Ottonem Vndensdorffenſem fundatorem non patrem ſed auum fuiſſe Ottonis qui poſtea Dux euaſit; adeoque Heilicam nupſiſſe Ottoni II. Palatino fratri Vdalrici, filio vero Ottonis Palatini I. nepoti Eckhardi, pronepoti Ottonis Primi et Hazigae Comitiſſae.

Otto et Vdalricus adolescentiae proximi fuiſſe videntur iam anno 1107.

Circa annum igitur 1116. uxorem ducere potuit Otto et ſuperſtite adhuc patre, filios gignere Ottonem Ducem, Fredericum, Cunradum et Ottonem Iuniorem.

Obiit Heilica anno 1170. ſeptuagenaria maior. Quo anno obierit Otto II. Palatinus ipſius Coniux dubitatum eſt hactenus. Hundius enim Auentinus, aliique mortuum aiunt A° 1146. Ensdorffenſe autem Chronicon A° 1155. Totus ego quantus ſum tranſeo in ſententiam Ensdorffenſis coenobitae, autore charta Friſingenſi

genſi [a]. A° 1147. conſcripta, in qua ſimul memorantur OTTO PALATINVS COMES ET FILIVS EIVS OTTO; hicque ea munia obit, quae iuuenem ſaltem decebant, adeo ut Ottonem poſtea Ducem facile agnoſcas.

§. III.

Anno vero 1143. teſte Conrado Rege, cuius diploma habemus „ *Palatinus Otto de Witelinſpach iudiciariam poteſtatem quam ſu-* „ *per Miniſteriales Eccleſiae Friſingenſis iure Aduocatiae habere videba-* „ *tur, prorſus abnegauit, et in praeſentia Epiſcoporum et caeterorum* „ *Principum ſecundum conſuetudinem Curiae omnino exfeſtucauit.* „

Affirmare auſi ſunt Hundius et Auentinus Aduocatiam ipſam omni ex parte tunc abdicatam fuiſſe ab Ottone; id ſi foret ad annum 1143. et anteriores referendae eſſent omnes litterae abſque die et conſule ſcriptae in quibus reperimus ambos Ottones, patrem filiumque aduocatorum munus obeuntes, conſtaretque ante hunc annum Ottonem filium Ottonis ſenioris adultum iam fuiſſe. At vero abrupte nego Aduocatiam ipſam ab Ottone Palatino tunc exfeſtucatam fuiſſe. Inter monumenta enim Alberti I. Friſingenſis Epiſcopi qui Ottoni ſucceſſit litteras [b]. reperio anno 1177. ſcriptas quibus dicitur *concambio interfuiſſe et aſſenſum praebuiſſe* OTTO ADVOCATVS EIVSDEM Eccleſiae Friſingenſis PALATINVS COMES MAIOR. Primus teſtis adhibetur OTTO PALATINVS COMES MAIOR ET ADVOCATVS.

Adde litteras alias de commutatione inter Rapotonem Abbatem S. Stephani et Adilbertum Epiſcopum confectas, [c]. et quae inſtar multarum eſſe poſſunt:

 „ Prae-

a) Inſtr. Friſ. n. 1321.
b) Inſt. Friſ. 1343.
c) Ibid. 1349.

„ *Praedium in Holaren* Domino Ottoni Palatino Comiti a
„ Frisingensi Episcopo *beneficiali iure concessum fuerat; Itemque*
„ *illud Dominus Otto homini suo cuidam Eberhardo de Frikendorf simi-*
„ *militer autem Eberhardus pro hominio praestito cuidam Dietpoldo de Sin-*
„ *desbusin idem concesserat, ex quibus duorum in fine nominatorum assen-*
„ *sum de commutatione, mediante non modici pretii quantitate praedictus*
„ *Abbas obtinuit, tandem in praesentia tam* Adilperti *Episcopi quam*
„ Ottonis Palatini Comitis vtrivsqve Ecclesiae Advocati *et*
„ *assensu utriusque supra nominati hominis concambium peractum est et te-*
„ *stimonio plurimorum confirmatum.* Testes Otto *Palatinus Comes*
„ *Heinricus Comes de Scuoenburch &c.*

Laudare quoque possem pactionem [a] initam cum *Prouisoribus Syluae Ecclesiae Frisingensis, ordinante Domino* Ottone Palatino Comite, praesente quoque Domino *Adilberto Episcopo autoritate utriusque;* Sed illa satis sunt ut constet Auentinum male interpretatum esse litteras quibus Otto senior abdicauerat iurisdictionem in Ministeriales, retenta Ecclesiae Aduocatia.

Sunto tamen appendicis instar litterae [b] quas compilator Frisingensium monumentorum male retulit ad Ottonem I. Episcopum, cum referendae essent ad Ottonem II. quibusque munita fuit commutatio quaedam ab Ottone Episcopo cum viro qui *dispensator erat Panum Frisingensis Episcopi.* Facta est illa pactio *consensu et voluntate Domini Ottonis Frisingensis Episcopi et Ducis Ludowici Aduocati.* Ex iis enim litteris constat Ludowicum Ducem patri in Aduocatiam successisse.

§. IV.

a) ibid. 1350. b) Ib. 1337.

§. IV.

De Ottone Seniore qui obiit anno 1155. notabo adhuc, hunc illum ipsum esse in quem atrociter inuectus est Otto Frisingensis Episcopus cum in Chronico scriberet de Comite illo de Schyren ab Vngaris occiso. Non inficiabor Ottonem Aduocatia abusum fuisse, quod satis liquet ex diplomate Cunradi Regis de abdicata ab Ottone iurisdictione in Ministeriales.

Nec minus grauis fuit Otto Abbati Tegernseensi cui iniuriam intulit, qua se grauari dicebat Conradus Rex. a.

At plus una de causa succensuit Otto Frisingensis Episcopus Ottoni II. Palatino omnibusque Schyrensibus. Meminerat Ottonis II. Palatini astutia, quam laudat Weingartensis spem ademtam fuisse Luipoldo Marchioni Ottonis Episcopi fratri potiundae Baioariae, et expellendorum Gwelforum; forte et aemulum habuerat ipse Vdalricum Praepositum Ottonis Palatini fratrem, cum Episcopatum Frisingensem ambiret.

Constat sane mihi Wittelspachios Palatinos bene animatos non fuisse in Principes Austriae qui inhiabant Ducatui Baioariae.

Otto Frisingensis ergo priuatam iniuriam ulciscebatur, odiaque domestica exercebat quotiescunque in Schirenses Wittelspachios inuehebatur.

§. V.

Ottone Seniore mortuo anno, ut dixi 1155. mansit Comitiua Palatina indiuisa penes tres fratres *Ottonem maiorem, Fredericum*

a) Pez. Cod. diplom. n. 90.

cum et *Ottonem* minorem vel iuniorem. Conradus enim fratrum quartus ſacris addictus Archiepiſcopatum Salisburgenſem et poſt hunc Moguntinum adeptus eſt.

Fratrum triadem ſimul iunctimque exhibet nobis charta Emmeramenſis [a] cui titulus eſt DE DONATIONE OTTONVM COMITVM. *de Wittelinspach.*

„ OTTO PALATINVS SENIOR DE WITTELINSPACH *profitebatur* „ *ſe habere omni anno de Eccleſia S. Emmer. carradam vini in loco Phafenſtein non iure beneficii ſed loco donationis et caritatis quae donatio* „ *a tempore Ergilfridi Abbatis* (qui praeeſſe coeperat anno 1129. deſierat anno 1143) *et Succeſſorum eius* (Berchtoldi et Adalberti) „ permanſit usque ad tempora Peringeri Abbatis. *Poſt mortem* „ *itaque eiusdem* PALATINI filiis eius eadem donatio omni anno a lo- „ co noſtro conferebatur. Monitu itaque et petitione FRIDERICI „ FILII EIVS (QVI MEDIOXIMVS FRATRVM *ſuorum erat*, *et gladiatura* „ *ſe exuerat et meliori vitae ſe mancipauerat fratres eius* OTTO SENI- „ OR *et* OTTO IVNIOR pro anima PATRIS et MATRIS *eamdem donati-* „ *onem vini in loco Ensdorf in manus Epiſcopi Chunonis reſignauerunt* „ . . . *facta ſunt haec anno Dominicae incarnationis* 1179. *regnante* „ *Friderico Imperatore praeſentibus his teſtibus quorum nomina haec ſunt* „ *Fridericus Palatinus etc.*

Credam quidem *Fredericum gladiatura ſe exuiſſe ;* monachum induiſſe valde dubito, cum in hac ipſa carta *Palatinus* dicatur eodemque elogio poſt mortem Ottonis Ducis adhuc fruatur.

Litterae quidem exſtant Chunradi Archiepiſcopi Moguntini poſt mortem Ottonis Ducis et Agnetis ſcriptae, *cum iam regnaret* *Illu-*

a) Cod. Emmer. Pezii c. 194.

Illustris filius ipsorum Ludouicus Dux Bauariae „ *quibus Conradus nuncupat fratres suos Dominum Fridericum* QVONDAM *Palatinum et Dominum Ottonem Palatinum ; Et testatur Agnetem indulsisse ministeriali-*
„ *bus suis licentiam dandi praedia sua quot et quanta vellent ad haec*
„ *tria claustra Schyre , Ensdorf , Vndensdorf , consequenter autem*
„ *idem* FRIDERICVS *id ipsum omnibus* MINISTERIALIBVS SVIS INDVLSIT
„ (aliudque addidit quo fruituri erant vitae suae tempore) *Do-*
„ *minus autem* OTTO IVNIOR PALATINVS *sub hac forma licentiam id*
„ *ipsum faciendi suis ministerialibus indulsit quod mediam praediorum*
„ *suorum partem conferre liceret , de reliqua vero media parte nihil nisi*
„ *super hac requisito suae voluntatis assensu licitum esset ordinare.*

Qui Monachus fiebat Ministeriales non retinebat , nec titulum Palatini. Audacter itaque affirmo Fridericum quidem cingulum deposuisse et veteranae militiae otium adamasse , monachum autem nunquam fuisse.

De Comitatu eius notare in promptu est iacuisse illum ubi sita erat villa Elsindorf testibus litteris [a] *Berchtoldi Comitis de Andechs et Aduocati Burensis*, qui anno 1161. post longas lites inter Admontensem et Burensem Abbatis ABDICATIONEM fecit praedii Elsindorf in manu scilicet FRIDERICI PALATINI COMITIS in CVIVS COMITATV POSSESSIO ILLA FVNDATA , *et in cuius iudicio eadem dissensio fuerat olim ventilata.* Scimus autem in agro Ratzenhouensi Mainburgensis praefecturae exstare adhucdum Praeposituram *Elsendorff.*

In eo igitur tractu Comitatum suum habuit Fridericus Comes Palatinus frater Ottonis Maioris, Ottonis Iunioris et Chunradi Archiepiscopi.

a) Chron. Ben. Bur. p. 93.

De praediis eius commendandae ſunt maxime litterae a. quarum titulus: *Teſtamentum Friderici Palatini Hieroſolymam ſecundo pergentis* „ His litteris Fridericus praedia multa variis in locis ſita delegauit in manus variorum nobilium ut variis darent et monaſteriis et amicis.

„ *Praedia ſita erant in Gundilkouen, Witramsdorf, Salkendorf, „ Hermarſtetten, Buirbach, Ergoltingen, Stainperch, Marpach, „ Lengenfeld, Rotenmoſe, Schillmhouen, Kolbach, Aſpach, Ecke, „ Deckenbach, Kelhaim, Wibilisdorf, Almetingen, Wartesbouen, „ Wiemaresperg, Laichilingen, Purchſtall, Litinngen, Ludemaresdorff, „ Paſingen, Perloch, Swersgeloch, Krais, Tetenberg, Amendorf, „ Wenge, Sewen, Guntherishauſen, Riute, Gerhlitsdorf. Caſtrum „ in Haginburch et omnia praedia ad ipſum caſtrum pertinentia, quae „ ſunt trans flumen quod vocatur Maniwalt delegaui in manus Ottonis „ Iunioris Chonrado Archiepiſcopo fratri meo* „

„ *Alia praedia erant in Vndingen, Luterbach, Pudbenhoffen, „ Muſſe, Integilindorf, Millinhauſen, Petendorf, Abitinhauſen, Vel- „ den, Salarn, Antshouen, Puech, Harda etc. etc. Ii in quorum ma- „ nus delegauit praetr alios fuerunt Otto Maior et iunior, fratres, in- „ quit, mei, Ilſungus cui delegauit vineas in Carnia, Herandus, Vdal- „ ricus de Sataa, Vdalricus de Lochauſen, Gerhardus de Randecke, „ Adalbertus dc Schirlingen, Heinricus de Lusdorof, Otto de Oſthaim, „ Vdalricus filius Erneſti de Ouwe, Eberhardus de Newuertingen, Ho- „ boldus de Schenburch, Albero de Pruche, Heinricus de Schendenburch, „ Hademarus de Abuſen etc.*

„ *Praedia danda erant coenobiis Schiren, Vndensdorf, Kuebach, „ Thierhaupte, Ensdorf, Victualia in Lingenuelt ita diuidenda erant ut*

a) Hund. Metrop. Salisb. T. III. p. 380.

„ *ut duae partes ad Ensdorf, tertia pars castro remaneret, ex quo se-*
„ *qui videtur Fredericum Dominum huius castri fuisse. Alia coenobia*
„ *ditanda erant, inferius monasterium in Ratisbona Wellenburck, Pi-*
„ *burck, Canonici Maioris Ecclesiae Ratisbonensis, Scoti S. Iacobi, S.*
„ *Emmerami Abbatia, Canonici Maioris Ecclesiae Frising. S. Vitus*
„ *Frising. Schestlain Ebersperg, Neustifft Frising. S. Georgius in Tal,*
„ *Tegernsee, Malersdorff, Berchtersgadense, Geisenuelt. Dedit praeterea*
„ *Fredericus praedia ampla Chunrado fratri et Archiepiscopo, Ernesto*
„ *Praeposito, Ottoni filio Lantgrauii et Adilhaidae sorori suae.*

Haec largitio confirmat id quod scripsit Ensdorffensis Monachus, Ottonem Comitem Palatinum sororem suam Heilbigin (puta Haidwigam) nuptui dedisse Comiti Gebhardo de Leuttemberg)

„ *Dedit quoque Fridericus Waltbero de Abensberg, impignorauit*
„ *Walwino sororio Goswini, dedit Adilberoni de Pruckberg, Hoboldo*
„ *de Schenburck Domino Perchten et filiis suis; Ministeriales, inter*
„ *quos fuit Eberhardus de Purckheim, dedit Ottoni Iuniori, dedit prae-*
„ *dium Antshouen Comiti Arnoldo de Dachaw, item Comiti Chunrado*
„ *de Valeye, dedit quoque Comitibus de Andechse.*

„ *Coenobia duo quae praetermissa fuisse videntur Atele et Wei-*
„ *henstephen ditata quoque sunt, Castrum in Schendenburck et homines*
„ *qui fuerunt Heinrici Comitis et molendinum et armentum in Abe, et*
„ *praedium in Rutte et castrum in Kelheim et duo molendina super Danu-*
„ *bium ibidem delegaui, inquit, in manus Hademari de Abusen fratri-*
„ *bus suis* (lege meis) *Ottoni maiori et iuniori etc.*

Lectoribus permitto iudicium de his largitionibus, de Donatariis, deque situ praediorum. Hoc uno testamento continetur fere summa argumenti mei.

§. VI.

Quae dicenda forent de duobus Ottonibus Friderici II. fratribus praesertim vero de Ottone maiore seu Baioariae Duce, aut superflua viderentur si vulgaria et trita consarcinarem, aut prolixiora si inquirere in eum vellem ut tantum virum deceret.

Sator fuit gentis, cui fata meliora asseruit recuperato Ducatu Baioariae; quem maiores alii virtute sibi pepererant, alii amiserant, alii denique in votis habuerant, nunquam obliti parentum suorum patrimonium fuisse. Profuit haud dubie Ottoni cognatio cum Frederico Imperatore; his enim adminiculis indiget ipsa virtus, profuit magis prudentem, constantem, audacem fuisse, quae vana erant, nec magni fuisse nec reformidasse. Domi militiaeque magnus, nihil omisit, nihil frustrá aggressus est. Amicum Imperatorem nec deseruit, nec adulando corrupit; uterque heros fuit, plus potuit alter, alter amico utilior fuisset, nisi occasio se obtulisset, quam arripuit Fridericus, restituendi cognato Ducatus auiti. Nulla alia est tanti momenti Prouincia apud Germanos, quae tamdiu iisdem dominis paruerit. Faxit Deus ut Augustis, felicibus, piis, Publicolis, veri consciis, aequi rectique tenacibus Dominis, Patronis Patribus aeternum, quantum fas est pareat, iis fruatur, eos colat ametque Gens antiquissima, fidelis, strenua, potens.

FINIS.

Otto I. (
Hazaga
Wernhe

Bertholdus (VI) I. de Andechs.

Fridericus II. Rochus Comes de Diessen † circa 1090. Vx. Kunizza.

Ekkartus I. Comes Scheirn Aduocatu Principalis Frising circa 1098. Vx. (Ach-chardis) filia Ma Ducis Saxoniae.

I) Comes esses Hal- 1120. Vx. ch.

Otto I. Maiordomus Comes de Wolfratshausen † 1122. Vx. Iustitia.

Otto (III) I. de Scheirn Comes Palatinus Bai. † 1132. Vx. Agnes) filia et haeres Bertholdi V. de Greisbach.

Bertholdus (VII) II. Comes de Andechs, fundator Diessensis † 1160. Vx. Sophia de Ammertal.

Otto II. Comes de Wolfratshausen † 1137. Vx. Lauretta Ottonis I. Palatini de Schiren filia

Otto II. Comes Pal. † 1155. Vx. Heilica de Veltheim.

Vdalricus Praepositus Frising.

Lauret nupta toni de Wolfratshau sen.

opo Comes de ndechs Vx. Kuissa de ruhen-ingen.

Bertholdus (VI) III. Comes de Andechs Marchio Istriae † 1188. Vx. Hedwig filia et haeres Conradi II. de Dachau.

Otto Eps. Bambergensis 1177. † 1192.

Sta. Mechtildis.

Otto III. † 1136.

Heinricus I. Comes de Wolfratshausen.

Otto III. Magnus Comes Palatinus et a. 1180. Dux Baiariae.

Domus Augusta Boio - Palatina.

Bertholdus (IV) X. Comes de Andechs Dux Dalmatiae et Meraniae † 1204.

Ramus Merania-Andechsensis extinctus. 1248

Ramus Wolfratshusanus extinctus.

APPENDIX

Monumentorum nonnullorum ex scriniis Salisburgensis Ecclesiae prolatorum, quae pro suo in Autorem ac bonas littera fauore humanissime cum ipso communicauit Illustriss. ac Reuerendiss. Ferdinandus Truchsessius ex Comitibus de Zeyll, Baro in Waldburg, Ecclesiae Metropolitanae Salisburgens. Decanus, Cathedralis Augustanae Canonicus.

Nº 1.

In Codice membraneo manuſcripto perẹleganti X. Seculi, et folii minoris, qui aſſeruatur in Archiuio Capituli Eccleſiae Metropolitanae Salisburgenſis haec leguntur.

De Concambio Albrici.

L. VI. cap. 13.

Notum ſit igitur omnibus Sanctae Dei Eccleſiae fidelibus, quoniam Odalbertus Iuuauenſis Eccleſiae Archiepiſcopus Domus Dei res emeliorandas cum *Albrico Comite* quoddam fecerat Concambium. Tradidit etiam ipſe Albricus in manus Odalberti Archiepiſcopi et *Aduocati* ſui Kerhohi ad *Gamanaron* hobam unam propius Domus Dei iacentem, et flatum ferri quod Aruzi dicitur, fodere ſine cenſu quantumcunque unusquisque de famulis Domus Dei potuiſſet, in perpetuum ad Sanctum Petrum, Sanctumque Rodbertum in proprietatem poſſidendum. Econtra vero prefatus Archiepiſcopus Odalbertus una cum Aduocato ſuo Kerhoho eidem ven: viro Albrico tradidit de rebus Domus Dei et Sancti Rodberti ad Adamunton locum patellarem unum, quem tunc ipſe Albricus habuit in beneficium, et de Territorio Domus Dei, in agris et pratis tertiam partem illic iacentem, ita ut in aeuum ſibimet foret proprietas, et Poteſtatiuus etiam de ea tradendi, commutandi vel quidquid ſe libeat, faciendi.

Iſti ſunt teſtes ex utraque parte per aures attracti.

Kerolt. Gotideo. Sigihard. Nordperht. Roruich. Engildio. Kerhoh. Ocker. Ratheri. Fricho. Selpker. Rafolt. Chunirih. Reginhart. Ogo. Zuentipolch. Odalscalch. Engilscalch. item Fricho. Vuitagouuo. Gundpold. Vuillihelm. et ipſe Vuillihelm utriusque partis fideiuſſor exiſtit:

Actum ad S. Georgium. anno Incarnat. Domini DCCCCXXXI. die V. Kl. Iul. feliciter Amen.

Et *ut agnitioni omnibus habeatur*, *et error penitus* abſtergatur, ipſe ALBRICVS *fuit* ARNVLFI DVCIS PATRVELIS FILIVS *Herolt nuncupatus.*

Cap.

Complacitatio inter Odalbertum Archiepiſcopum, et Vueriandum, vel Adalſuindam Vxorem ſuam.

Notum ſit igitur omnibus Fidelibus Chriſtianis, qualiter Odalbertus Iuuauienſis Eccleſiae Archiepiſcopus quamdam Complacitationem cum quodam Nobili viro *Vueriant* vocato, et cum uxore ſui nomine Adalſuind Conſilio Fidelium ſuorum agere decreuit. Tradidit namque prediċtus Vueriant cum Adalſuinda uxore ſua in manus Odalberti Archiepiſcopi et Aduocati ſui Reginperti proprietatem ſuam, quam in *loco Hus dicto traditione Arnulſi, et Pertholdi* Ducum accepit ut poſt obitum ſuum et Vxoris ſuae *Adalſuindae*, ac filiorum ſuorum Berhtoldi et Bernhardi, atque filiarum ſuarum N. Hiltigart et Vuoza ad Sanctum Petrum Sanctumque Rodbertum ad Iuuauenſem ſedem perenniter in proprietatem poſſidendum. Inſuper etiam de eadem praedicta Curte hobam unam et territoria II. in quibus manentes duo reſiderent, ſtatim ad Domum Dei inueſtituram dimiſit. E contra vero Odalbertus Archiepiſcopus cum manu Reginberti Aduocati ſui tradidit Vueriando et Adalſuindae Coniugi ſuae Curtem Frieſach dictam cum Eccleſia et Decimis ac aedificiis, mancipiis etc.

Iste Werianthus hic [illegible] Comitum de Peltschach in Carinthia an. 1080 ex[illegible] Wilhelm Comit [illegible]

Iſti ſunt teſtes ex utraque parte attracti: *Albrih Com. Engilpert Com.* Megingoz. Starhant. Reginhart. Heimo. Vualtum. Kerhoh. itd. Starhant. Sigipold Com. Arnis. Abraham. Engildio. Reginpert. Rafolf. Irinch. *Sigibart.* Diotmar. Arbeo. itd. Arbeo. itd Diotmar. Altapert. Engilmar. Vuaſagrim. Framrih. Vuolfliot. Kerhart. Ratperht. Vuoluuni. Adalker. Reginolt. Chunirih. Vuoluolt. Otachar. Odalscalch. Vuolfgrim. Fizzilo. Vuelant. Gundolf. Razili. Izo. Azo Lampert. Vualto. Sicco. Odalrih. Huch. Tuto. Teſino. Kizo. Vmizi. Eparger. Hunipert.

Poſtea iſtis teſtibus renouatum eſt; quorum nomina ſunt. Perthtold Dux. *Sigihart Com.* Diotmar. Papo. Pero. Vuillihelm. itd. Perhtolt. Hartuiuh. Ruodpert. Siccili. Arbeo. itd. Diotmar. Vueriant.

ant. Ruodheri. Otachar. Adalhart. Ilifunch. Marhuuart. Herolt. Afcuuin. Salacho. Pernhart. itd. Otachar. Gundpold.

Anno Domini DCCCC. XXVIII. Actum ad Karantan. VII. id. et VI. ID. May.

Cap. L. XI.

De Complacitatione Engilberti Praesbyteri.

Nihil fibi quisquam cernit Chriftum minuendum, qui econtra recipit Emolumentum. Quapropter Odalbertus S. Iuuauenfis Ecclefiae Archiepifcopus priorum S. eiusdem Iuuauenfis fedis Antiftitum actus moresque fequendo cum quodam eodem praefcripto Praesbytero fuo et Nobili Viro Nom. Engilperht. pro fuae Domus Dei incremento quamdam complacitationem agere decreuit, ficuti et fecit. Tradidit igitur idem Engilperth praesbyter cum manu Aduocati fui Diotmari caufa complacitandi, in manus Odelberti Archiep. domini fui proprietatem fuam talem, qualem in *Salzpurchgowe* habuit prius a Domo Dei commutatam, id eft in tribus locis prope in uno campo iacentibus nuncupatis Perhcah. Lohon. Straza. inter haec tria loca territorii fcilicet hob. III. et mancipia VI. in eandem complacitationem tradidit. &c. . . .

Ipfiusque complacitationis ifti funt teftes. *Sigihard, et Fratres eius Nordeperht. et Engilperht.* Diotmar et frater eius Pernhart. Kerhoh. Ogo. Hadamar. Selpker. Ocker. itd. Gerhoh. Pirithilo. Durinch. Engilperht. Puopo. itd. Engilperht. Heimo. Arnolt. Herideo. Fricho. Adulpht, Vuitagouuo. Ruodlant. Kifalhart. Tagaperht. Grimperht. Irminhart. Ratheri.

Actum ad Salzpurch. anno Incarnat. Domini DCCCCXXXI. V. ID. Feb.

In

In Nomine Dei Eterni. Agnoſcat igitur omnium Fidelium tam praeſentium ſcilicet, quam futurorum ſagacitas qualiter Venerabilis Fridaricus Iuuauenſis Eccleſiae Archiepiſcopus quoddam Concambium conſultui fidelium ſuorum clericorum ſcilicet, et Laicorum conſentiens. cum *Sigibardo Fratre ſuo* facere decreuit, veluti et fecit. Tradidit namque praedictus *Comes Sigihardus* in manus praedicti Archiepiſcopi ſuique Aduocati Perenhardi talem Proprietatem, qualem viſus eſt habere in *Salzpurcgouue* in Comitatu Hartwici Comitis locis nuncupatis. Yuinttramminga. et Mechintal. perpetualiter in proprietatem ad Sanctum Petrum S. que Ruodbertum poſſidendam. Econtra vero tradidit praedictus Venerabilis Archiepiſcopus Fridaricus cum manu Aduocati ſui Peranhardi in manus dicti *Sigibardi* et *uxoris ſuae Tuillae* talem proprietatem, qualem di in Saltzburcgowe in Comitatu prefati Hartwici viſus eſt habere. loco nuncupato Holzhuſa perpetualiter in proprietatem habendam. equali menſura. et ſi praedicti Sigihardi proprietatis aliquid ſupra menſuram precellat. tamen ad praedictam Domum Dei conſiſtat. et iſti ſunt teſtes ex utraque parte per aures adtracti. *Vuillibolm Com.* et *filius eius Liutolt.* Gerolt. Otachar. Adalperht. Geroh. Hettfolch. Pero. Adalfrit. Aſcrih. Heimo. Alprihc. Regimperht. Vueriant. Razo. Erchanger. Frechof. Otkoz. Yuolfolt. Anno Incarnat. Domini DCCCCLX. III. Actum Salzpurc. ſub die X. Kal. Mai.

Notum ſit omnibus Chriſti praeſentibus atque fidelibus futuris utriusque perſonae; Qualiter *quaedam Nobilis Domina nomine Tuilla.* quandam complacitationem cum Fridarico Venerabili Salzpurgenſis ſedis Archiepiſcopo faciendam decreuit. Tradidit namque praefata *Domina Tuilla* cum manu Aduocati et ſenioris ſui *Sigibardi Com.* in manus Friderici Archiepiſcopi et Aduocati ſui Pernhardi talem proprietatem, qualem tunc viſa eſt habere ad Vuinchilarum. et Otinheimun. I. nobilium virorum hobas. IIII. et iugera XV. cum

* 3 agris.

agris. pratis. pafcuis. filuis. molendinis. Cultis. et incultis. omnibusque ad eadem loca pertinentibus et Mancipia xi. quorum haec funt vocabula. Sttili. Yuoppo. Eincho. Gunzi. Azîli. Adalgoz. Sunza. Zidraga. Luiza. Sicca. Enza. Infuper ad Otinheimun iugera. xxx. per vado ad Muntegilin pertinente. poft obitum vitae fuae *filiorumque fuorum Engilperti. atque Nortberti.* ad S. Petrum S. que Ruodbertum perpetualiter in proprietatem poffidendum. Econtra quoque tradidit Fridaricus Archiepifcopus iuxta quod Affenfus et Confilium fuit omnium fuorum fidelium clericorum ac laicorum Nobilium atque Ignobilium, cum manu Aduocati fui Pernhardi. Yuillae in manus Aduocati et fenioris fui *Sigihardi Comitis*, quidquid idem Sigihardus Com. à S. Petro S. que Ruodberto tunc in beneficium habuit in his iii. locis. i. ad Muntegilin. i. Fifcaha. ac Percheimum. hoc eft Nobilium Virorum hobas. xii. cum Agris. pratis. pafcuis. filuis. Molendinis. Cultis et incultis. et ipfum vadum de quo fupra fcripfimus pro quo iugera. xxx. datas ad Otinheimum. et infuper Mancipia. xxx. ii. quorum nomina funt haec. Lanzo. Innzi. Trebegoz. Yuozi. Diotuni. Engilhild. Sigiuuolf. Azo. Engilman. Iohan. Adalfrid. Enzi. Raccoman. Enza. Yuaza. Heiza. Meripirin. item Enza. itd. Enzi. itd. Azo. Penno. Rizo. Gotto. Hezo. itd. Azo. Cundhard. Ruodpold. Goza. Geza. Imaza. Aza. Nanthild. usque ad finem vitae fuae pro ea quoque filiis fuis *Engilperto*, fcilicet, atque *Nordperto.* quamdiu vixerint. eadem loca praefcripta i. ad Vinchilarum. Otinheimum. Muntegilin. Fifcaha. Percheimun. et mancipia omnia praedicta poffidenda, et quis quis illorum diutius vixerit trium, illa omnia habeat usque ad finem Vitae fuae, et poft obitum illorum trium, in poteftatem atque veftituram S. Petri. SanctiqueRuodberti haec omnia redeant et in Euum permaneant. Huius Complacitationis ifti funt teftes ex utraque parte per aures adtracti. Hatuuic Com. Otachar. Com. Meginhard Com. *Liutpold Com.* Ruodolf. *Aripo.* Erchanger. Yueriand. *Adalperht.* Yuoluolt. Papo. Adaluni. Egino. itd. *Aripo.* Engilhart. Herideo. Hettfolc. Yuezil. Engilram. Altuom. itd. *Adalperht.* Reginhard. Eparhard. Hadalperht. Scròt. Sutthart. Peppo. Ratolt. Rifuni. Chuonrat. itd. Yuezil. Odalfcalch. Otkoz.

Sine Anno vel dato.

In

No 2.

In nomine Sanctae et indiuiduae Trinitatis Arnolfus Diuina fauente Gratia Rex. Notum sit Sanctae Dei Ecclesiae, nostrisque praesentibus scilicet, et futuris, qualiter nos quidam Ministerialis nomine Heimo Serenitatis nostrae magnitudinem deprecatus est, ut in orientalibus partibus in pago Gruntvviti dicto, ubi Arbo terminalis Comes praeesse visus est super proprietatem suam Legalem sibi rectitudinis potestatem in proprietatem concessissemus. At nos petitionibus eius libenter annuentes memores crebri devotique eius obsequii decreuimus ità fieri. ' Dedimus quidem ei cum *consensu praefati Comitis* eiusdem hereditatis suae rectitudinem perpetuo iure in proprietatem. Et iussimus hoc Celsitudinis nostrae apices indè fieri, per quos sancimus firmissimeque iubemus, ut nec praenominatus Comes nec ullus iudex publicus, nec ulla ex iudiciaria potestate persona ausu temerario contra hanc nostrae institutionis auctoritatem in easdem proprii sui iuris causas, aut homines eius tam ingenuos, quàm seruos ibidem habitantes distringendos vel ullas inlicitas occasiones seu ullius praessurae calamitatem ingerre vel excoctare praesumat. Sed liceat illi successoribusque suis eandem rectitudinem secure atque tranquille habere, ac possidere in aeuo. Eo videlicet rationis tenore, ut homines eius inde cum terminali Comite ubi ipse degerit urbem aedificent. Et si quàndo necesse eueniat ad semetipsos defendendos cum rebus suis illuc confugium faciant. Custodias cum caeteris more solito ad communem suae saluationis vel circumspectionis contrà inimicorum insidias tutelam vigilanter exhibentes. Ad publicum iam fati comitis mallum scilicet idem Heimo seu incurius eius legem ac iustitiam exigendam vel perpetrandam pergat. Et si forsan de Marauorum Regno aliquis causa iustitiae supervenerit, si tale quidlibet est, quod ipse Heimo, vel aduocatus eius corrigere nequiuerit, iudicio eiusdem Comitis potenter finiatur. Insuper etiam statuimus ipsique Heimoni praestitimus, ut uniuersa debita legalia denegata inibi in proprio suo residente

ſidente terciaquė pars bannorum ſub eodem hereditarii iuris tenore ſibi in proprium ex integro perſoluantur, qui dicuntur Ciuiles Banni. Caeteraquė debita cuncta, ad integrum ſine alicuius partitione de eodem populo aeternaliter illum ſucceſſoresque eius permaneat. Et ut haec conceſſionis noſtrae auctoritas inuiolabilem in Dei nomine per omnia voluentis mundi curricula obtineat ſtabilitatem, et à fidelibus noſtris omnibus verius credatur, ac diligentius obſeruetur manu propria ſubtus illam roborantes anuli noſtri impreſſione iuſſimus inſigniri.

R

Signum Arnolfi NE A S Sereniſſimi Regis.

L

Aſpertus Cancellarius ad vicem Theotmari Archicapellani recognoui. (L. S.)

- - - Dominicae - - - Indict. - - - aut I. Regni domini - - - in nomine - - - -

No. 3.

No. 3.

Priuilegium Ludouici Regis super curte Salzburghou, et omnibus Curtilibus, Aedificiis, et pertinentiis eius, et de Salinis Pilgrimo Archiepiscopo concessum Anno DCCCC VIII. *

In Nomine Sanctae et indiuiduae Trinitatis. Ludouicus diuina fauente gratia Rex. Notum esse volumus omnibus Sanctae Dei Ecclesiae fidelibus, nostrisque, praesentibus, et futuris, qualiter nos pro adipiscenda aeternae vitae mercede, et pro amore Dei, et Sanctorum eius videlicet Petri Principis Apostolorum, et Sancti Ruperti Confessoris Christi, atque Pontificis, et omnium Sanctorum Dei, et per interuentum, et supplicationem fidelium nostrorum Episcoporum scilicet et Comitum Hatthonis vero Moguncienfis Archi Episcopi, Adalberonis Episcopi, atque Salomonis Episcopi, et Cuonradi Comitis nostri atque propinqui, et Dracholfi Episcopi, atque Megimberti, in praesentia caeterorum Principum nostrorum, et cum consultu eorum, quasdam res proprietatis nostrae ad monasterium, quod dicitur Salzburg, in potestatem praedictorum Sanctorum, et in Pastoralem Dominationem Pilgrimi ibidem constituti Archiepiscopi, in pago Salzburghoue dicto, in *Comitatu Sigihardi*, hoc est curtem nostram Salzburghou vocatam, quam ipse Archiepiscopus tunc in ministerium habere visus est potestatiue in proprietatem concessimus, atque transfudimus totam cum integro, cum curtilibus, omnibusque aedificiis, Campis, agris, pratis, pascuis, Syluis, lacis, aquis, aquarumque decursibus, venationibus, molendinis, piscationibus, viis, et inuiis, exitibus, et reditibus, quaesitis, et inquirendis, terris cultis et incultis, mobilihus, et immobilibus, mancipiis quoque omnibus utriusque Sexus, parscalis, cum omnibus Censibus in *Halla, et extra Halla, in Salina, et extra Salinam, circa fluuios Sala, et Salzaba vocatos, in Auro, et Sale*, et pecoribus, cum theloneis duobus, qui vulgo Muta vocantur, et cum omnibus appendiciis, et ad-

ia-

* ex autogr.

iacentibus rebus suis, et cum ministerialibus Hominibus sub notatis, Kerolt cum uxore sua, et filiis, et cum omnibus in ministerium commissis, Stino et Engiluuan cum uxoribus, et filiis eorum, et cum omnibus rebus ad praedictam curem iure legitimeque pertinentibus, tali iure ad iam dictum locum Salxburg in potestatem tradidimus, et ulterius nullius personae homo ausus sit, hanc donationem confringere; si hoc quis facere cogitat, Dei iudicium incurrat Vnde quidem iussimus hoc autoritatis nostrae praesens praeceptum conscribi ut ipso res perpetuis temporibus libere atque securiter deinceps absque ullius personae obstaculo firmissimo vestitu ad eandem sedem possideantur. Et ut haec autoritas nostra firmior habeatur, et per futura tempora verius credatur, ac diligentius obseruetur, manu nostra eam roborauimus annuloque nostro sigillari iussimus.

Signum Domini Ludouici serenissimi Regis. Odalfridus Cancellarius ad vicem Pilgrimi Archicapellani recog. et ss. data XVI. Calend Ianuar. Anno incarn. Dom. DCCCCVIII. indict. XI. Anno Regni Domini Ludouici VIII. Actum ad Waipillinga in Dei nomine feliciter Amen.


No. 4.

Nº. 4.

In nomine Sanctae et indiuiduae Trinitatis. Otto Diuina fauente Clementia Rex. Notum esse volumus omnibus Sanctae Dei ecclesiae fidelibus nostrisque praesentibus videlicet et futuris, qualiter nos pro adipiscenda aeternae vitae mercede et pro amore Dei et Sanctorum eius videlicet Sancti Petri principis Apostolorum et Sancti Robberti Confessoris Christi atque Pontificis et omnium Sanctorum Dei, nec non et per interuentum cari fratris nostri Henrici quasdas res proprietatis nostrae ad monasterium quod dicitur Salzburch in potestatem praedictorum Sanctorum et in pastoralem Dominationem Herolti ibidem constituti Archiepiscopi in pago Salzburchouue dicto, in Comitatu Reginberti hoc est curtem nostram Salzburchhof vocatam potestatiue in proprietatem concessimus atque transfundimus. Totum cum integro. Cum Curtilibus omnibusque aedificiis. Campis agris. pratis pascuis siluis lacis aquis aquarumque decursibus, venationibus molinis atque piscationibus viis et inuiis exitibus, et reditibus, quaesitis, et inquirendis, terris cultis, et incultis. Mobilibus, es immobilibus. Mancipiis quoque omnibus utriusque Sexus. Parscalcis. Cum omnibus Censibus *in Salina et extra Salinam. Circa fluuios Sala, et Salzaha vocatos in Auro et Sale* et pecoribus. Cum Theloneis duobus qui vulgo Mutta vocantur.. Et cum omnibus appendiciis et adiacentiis rebus suis, et cum ministerialibus hominibus sub notatis id est Neruet cum uxore sua et filiis et cum omni natione et sibi in ministerium commissis. Hominibus mulieribus et infantulis et ut supra scriptum est cum omnibus rebus ad praedictam Curtem iure legitimeque pertinentibus tali iure ad iam dictum locum Salzpurch in potestatem tradidimus, ut ulterius nullius personae homo ausu . . . . hanc donationem confringere, et si hoc quis facere cogitat Dei iudicium incur . . . . uidem iussimus hoc praesens auctoritatis nostrae praeceptum conscribi, ut ipsae res per-

petuis temporibus libere atque ſecuriter deinceps absque ullius perſonae obſtaculo firmiſſimo veſtitu ad eandem ſedem poſſideantur.

Confirmatio . . . . . tura tempora verius credatur, ac diligentius obſeruetur manu propria roborauimus, et annulo noſtro ſigillari iuſſimus.



Popo Cancellarius ad vicem Fridurici Archicapellani ſubnotaui et ſ.

Data VI. Id. Iun. Anno incarnat. Domini. DCCCCXI. Indict. XIII anno autem Regn. Ottonis piiſſimi Regis IIII. actum Mogoncio.


No. 5.

No 5.

In nomine Sanctae et indiuiduae Trinitatis Otto Fauente clementia Rex. Profuturum nobis indubitanter credimus, si sustentandis fratribus cum nostris bonis ad seruiendum Deo profuerimus. Proinde notum sit omnibus Christi fidelibus praesentibus scilicet, atque futuris. Qualiter nos ob amorem Dei omnipotentis, et ob spem aeternae Salutis per interuentum Fridarici Iuuauensis ecclesiae Archiepiscopi, nec non ob petitionem fratris, et Comitis Sigahardi, atque aliorum nostrorum fidelium scilicet Comitum Vuarmunti et Hartwici Iuuauensibus Canonicis in praedicta Vrbe Iuuaua Deo Sanctoque Petro Principi Apostolorum et Sancto Ruodberto die noctuque seruientibus quendam nostri iuris locum Grabanastat vocitatum in proprium ius tradendo donauimus, in pago Chiemichouue in Comitatibus Otacharii Sigahardi ac Willihalmi Comitum situm cum omnibus rebus eidem loco adiacentibus idest. Terris Cultis et incultis. Curtilibus, et aedificiis mancipiis utriusque Sexus. Parskalchis et aliis Seruis. Cidalariis. vectigalibus. cum ecclesia in honore Sancti Iohannis dedicata et cum tota decimatione infra terminium Hirzpach. Erilispach. Agduta. ad eandem ecclesiam terminata, cum foresto incipiente a flumine Truna usque ad Maerenstein pertingente cum alpibus in Siluis, pratis, pascuis saginationibus. venationibus aquis aquarumque decursibus. in piscationibus, hoc est, in Lintpiuga, sine habenda partitione et communione aliorum, et tribus partibus piscationis in *Argartha*, prout ante regali potestate in banno erant. Molendinis etiam molendinorumque locis viis et inuiis quaesitis et inquirendis, interius vel exterius exitibus et reditibus. Omnibusque utensilibus ad eundem locum Grabanastat iure pertinentibus, ab illo videlicet loco ubi riuulus Chaltunpach influit Rotuntruna et de Chaltunpach ad Vuidinsluda et super montem Wolirsperch usque ad riuulum, qui infra Ruotinistetun intrat in albam Trunam et de Dunnivurtun usque ad Bruch; et de Bruch usque ad cacumen montis. Eo tenore ut infra supradictos

terminos nullus habeat licentiam habitandi vel extirpandi vel noualia excolendi nisi praenominatorum fratrum Coloni. Et in Salina curtilia cum patelis patellarumque locis, nostro regio more praedictis, Canonicis cum omni integritate potenter concessimus. Id quidem ea ratione fecimus, ut si Episcopus eiusdem monasterii aut alia quaelibet potens persona, haec supradicta de praebenda Cononicorum violenter eripuerit. Cuncta redeant in potestatem Dominae Iudithae et filii eius Heinrici Ducis suaeque potestatis. Placuit igitur hoc praeceptum inde conscribi, et ut haec nostrae donationis auctoritas firmior stabiliorque sequentibus consistat. Annuli nostri inpressione intus sigillari fecimus manuque propria firmauimus.

Signum Domini Ot- tonis Serenissimi Re-
gis Liutolfus Cancel- larius ad vicem Bru-
nonis Archicapellani recognoui.



(L. S.)

Data. VI. Id. Iunii. Anno Dominicae Incarnationis DCCCCLIX. Indictione II. Anno vero Regni piissimi Regis Ottonis XXIV. Actum Rorae in Dei Nomine feliciter Amen.

No. 6.

No. 6.

Anno ab Incarnatione Domini MLVIII. septimo Kl. Martii indict XI *Fridaricus* filius Comitis *Eponis* propter beatum Episcopum *Hartwicum*, qui fuit suus quondam secundum carnem Cognatus, dilexit locum istum: Ideo donauit, et obtulit Canonicis Ecclesiae Sanctorum *Petri*, et *Ruodberti*, ubi idem Episcopus sepultus est consentiente sibi *Christina* iugali Sua locum, qui dicitur Villa Sancti Odalrici, et Capellam ibi in honore Sancti Odalrici constructam cum omnibus adiacentiis vel pertinentiis illius loci. Et ut donatio, et oblatio illa firma, et legitima esset, reliquit earum rerum vestituram, cartamque ipse *Fridaricus* ipsis Canonicis praesens praesentibus dedit, scriptam, et confirmatam secundum legem *Longobardorum* et *Baioariorum*, tali conditione, ut Canonici illi qui nunc, et pro tempore in eadem Ecclesia Sanctorum Petri, et Rodberti ordinati fuerint et Deo deseruient, eas res, quales in supradicta carta leguntur, post decessum eius, id est *Fridarici* potestatem habeant ad us — — — et sumptus suos faciendos. Insuper tradidit *Fridaricus*, qui supra praedictis Canonicis inter Seruos, et ancillas numero quinquaginta. Sed et ob memoriam et noticiam ad inuestigandam post eius vitam posteritat — — — eorum, nomina eorum sicut hic sunt scripta praesentauit. Gnanna, Eglia, Amma, Dieza, Steinburga, Gisila, Iudita, Trula, Muza, Stogilast, Enza, Gota, Azila, Acica, Lanza, Maria, Enza, Perth, Adalpirna, Adalrunda, Rihilda, Hizipirna, Regmarus, Gizilo, Cono, Nortuuin, Velant, Vezelo, Valcherus, Odalscalchus, Egilo, Hartuicus, Oci, Adalperth, Adalrich, Westennus, Vllipoldus, Marcwardus, Otto, Gunther, Manigolth, Gumperth, Wleo — — — Pertheri, Vizelo, Reginharth, Techogna, Benno, Gannna — — — Samson.

Pri-

Nº 7.

Priuilegium ab Othone Romanorum Rege Domino Odolrico àb Arco conceſſum de viginti quatuor Libris Imperialium. *

Die Martis 14. exeunte menſe Auguſti in Epiſcopatu Verónae in pratis Sti Danielis iuxta lacum Gardae in praeſentia Domini Conradi Dei Gratia Spirenſis Epiſcopi et Regalis Aulae Cancellarii Domini Henrici de Calendino Regalis Aulae Mariſcalchi, Domini Guilielmi Marchionis de Monte ferrato, Domini Henrici de Malinere Domini Marchoardi de Virech, Henrici de Conſtantia ſcribae Regalis Aulae, Domini Alberti Stretii de Cremona Medici Regalis Aulae, Domini Briaiani cauſidici de Tuſculano, Sirachonis Archipraesbyteri Salodii, Domini Alberti Mitiſogi, Domini Marzarii de Arcu, et aliorum, atque Ioannis de Theno Notarii, qui fuere rogati teſtes et ſpecialiter ad hoc conuocati.

Ibi coram Domino Othone, diuina potentia Romanorum Rege ſemper Auguſto Dominus Odolricus de Arcu filius Nob. Domini Friderici petiit Inueſtituram de ſuo recto Feudo àb eo Domino Othone Romanorum Rege, et Dominus Rex ipſum Dominum Odolricum inueſtiuit de ipſo ſuo Feudo, nomine recti feudi. Quod Feudum eſt de 24. Libris Imperialium, quas ipſe Dominus Odalricus debet accipere, et habere ab eo Domino Rege, vel a ſuis nuntiis in Feſtiuitate Sancti Martini poſt quindecim dies omni anno apud Laudum, vel alibi ubi Domino Regi placuerit, et opportunitas eidem Domino Odolrico fuerit, ſecundum quod conceſſum fuit a Nob. Domino Federico Romanorum Imperatore Domino Federico de Arcu, Patri dicti Domini Odolrici, et Domino Vdalrico Patrico eiusdem Domini Odolrici, et in quodam priuilegio ſigillato, ex Sigillo Nob. piae memoriae Domini Federici Romanorum Imperatoris ſupraſcripti, continetur, ibi coram Domino Rege Othone oſtenſo et lecto, cuius tenor talis eſt.

* de anno 1209.

Pri-

Et insuper dictus Dominus Odolricus de Arcu incontinenti nobiliter iurauit fidelitatem nominato Regi Othoni contra omnem hominem, sicut Vassalus Domino, facit. Et ipse Dominus Rex ipsum Dominum Odolricum osculatus fuit pro iam dicto Feudo.

Actum est hoc Anno a Natiuitate Domini MCCIX. Indictione duodecima.

Ego Ioannes Sacri Palatii Notarius his supradictis rogatus interfui, et huic instrumento me subscripsi de voluntate et praecepto nominati Domini Othonis Romanorum Regis.

Et ego (hic nomen Notarii est vetustate corrosum in Priuilegio Authentico conscripto in membrana) Sacri Palatii Notarius interfui et rogatus, ac ex praecepto Domini Othonis Regis et voluntate hanc (hic pariter deficiunt non nulla verba, quae nimia vetustate legi non potuerunt)

N. 8.

Priuilegium Friderici II. qui Dominos Arci Comites, et districtum Comitatum constituit

Fridericus II. Diuina fauente Clementia Romanorum Imperator semper Augustus, et Rex Siciliae etc. *

Imperialis Excellentiae Dignitas tunc dignae laudis titulis rutilat, cum erga fideles suos, et deuotos fauorabilem se exhibet, et benignam, et eorum grata seruitia non patitur irremunerata transire. Inde est quod Nos attendentes puram fidem, et sinceram deuotionem quam Fridericus de Arco, et eius Nepotes Adelpretus et Riprandinus ad nostram Excellentiam habuerunt fideliter et deuote, respicientes, et ad deuota obsequia, quae ipsi Fridericus Adalpretus et Riprandinus nobis exhibuerunt, et poterunt (praestante Domino) imposterum exhibere, ipsos, et eorum haeredes ex eis legitime descendentes de largitate et beneuolentia nostra honore et nobilitate Comitatus nobili-

* * * tamus,

* 1221.

tamus, et eos ex certa ſcientia de caetero nobiles Comites facimus et conſtituimus, ac ſi antiquitus ex antiquis et nobilibus et antiquis Comitibus originem protraxiſſent, liberantes eos, et eorum legitimam generationem in perpetuum, paenitus eximentes ab omnibus angariis, et perangariis, et ab omnibus oneribus ruſticanis. Inſuper inueſtimus, damus atque largimur, et Imperiali auctoritate confirmamus iam dictis Friderico et Nepotibus eius Adelpreto, et Riprandino, et ſuis haeredibus generaliter et integraliter Iurisdictionem et diſtrictum, merum, mixtumque Imperium, Rimania, Banna, Telonia, Ripatica, et omnem publicam functionem totius Curtis, et Territorii Caſtri Archi, Burgi, et Villae de Turbulis, Caſtri Drenae, et Caſtri Spinedi, et omnium Locorum, quae dictus Fridericus, et ſui Nepotes habent, et tenent, vel in futurum habebunt, et omnium habitantium in praedictis Terris et Locis nunc et in futurum, et quicunque deſcendentes ex ipſis in Montibus et Planis, Agris, Pratis, Paſcuis, Siluis, Venationibus, Piſcationibus, Molendinis, Ripaticis, cum omni iure et honore, ita quod liceat eidem Friderico, et eius haeredibus, et ſuis Nepotibus Adelpreto et Riprandino, Eorumque Haeredibus, et Cohaeredibus usque in infinitum praefatam Iurisdictionem liberè exercere in criminalibus et pecuniariis, ac liberalibus cauſis in bannis auferendis, in Collectis ponendis, et in omnibus generaliter agendis, quaecunque ad Iurisdictionem et Diſtrictum, et ad alia praefata pertinent.


Haec omnia ſupra ſcripta ſtatuimus, et facimus, atque decernimus ex certa ſcientia, et ſpontaneo motu. Inſuper volentes, quae dubia ſunt, vel quae à ſapientibus in dubium poſſunt deduci: Nos clara interpretatione manifeſta facere, cum ſit Nobis datum Legem condere, et interpretari, et maxime beneſitia Imperialia legitime exponere et interpretari: conceſſionem ſupra dictam ſic interpretamur, ut nedum verum uniuerſale Dominium, ſed honor et Diſtrictus uniuerſalis et etiam merum Imperium et pleniſſima Iurisdictio conceſſa ſit, et eſſe videatur praedicto Friderico, ſuisque Nepotibus Adel-


Adelpreto et Riprandino, eorumque haeredibus in praefatis Terris, et Locis, et pertinentiis, et Perſonis in eis quandocunque habitantibus, et hanc interpretationem, et expoſitionem ex certa ſcientia, et ex Conſilio Procerum facimus; iniungentes, et ſtatuentes, et etiam concedentes, ut ſic in omnibus praeſentibus, praeteritis et futuris obſeruetur, ſtatuentes, et Imperiali auctoritate firmiter praecipientes, ut nulli unquam Perſonae altae, vel humili Eccleſiaſticae vel ſeculari licitum ſit, hanc noſtrae Donationis, atque conceſſionis et Confirmationis paginam infringere, vel eis temeritatis auſu obuiare; et ſi quis contra praedicta venire tentabit, mille Libras puri auri perſoluet, medietatem Camerae Noſtrae; aliam medietatem iniuriam paſſis: ut autem haec noſtra donatio, et confirmatio in perpetuum inuiolabiliter obſeruetur, praeſentem paginam conſcribi et Noſtro Sigillo iuſſimus communiri.

Huius rei Teſtes Albertus Magdeburgen. Stae Eccleſiae Archi-Epiſcopus, Albertus Triden. electus, Andreas Alpinus, Anſelmus de Zuſtino, Riccardus Camer. Brixianus Iudex, Gherardus de Ceruo et reliqui.

Acta ſunt haec Anno Domini MCCXXI. Indict. 9. imperante D. Noſtro Friderico inuictiſſimo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto: et Rege Siciliae, Anno Romani Regni eius nono, in Sicilia 23. Imperii vero eius ſecundo.

Dat. apud Brunduſium tertio Kalendas Martii feliciter A. et T. S.





Index ſecundae Partis.


Bern-

Eber-

Indi-

Pala-

Venusta



Errata potiora Partis ſecundae.

Pag. 6. lin. 17. lege nudaretur

18. — 3. filiam lege viduam

— — — 11. lege Gerbergae

130. — 11. Fritilones

142. — 10. fuadet

168. — 9. lege, ita ut neceſſe ſit omnino, bona illic habuerit &c.

170. — 12. Tuota

180. — 11-20. et paſſim pro Iutta lege Tuta

223. — 17. Arnold. III. lege Arnold. VI.

291. — 5. uno lege primo

338. — 1. et paſſim Altilona l. Altitona

